


PROPERTY OF THE
University of Michigan Libraries
1817
ARTES SCIENTIA VERITAS





ARCHIVUM

FRANCISCANUM HISTORICUM

PERIODICA PUBLICATIO TRIMESTRIS

CURA

PP. COLLEGII D. BONAVENTURAE

ANNUS VI. = TOMUS VI.

Typographia, Directio et Administratio
AD CLARAS AQUAS, FLORENTIAE
FIRENZE-QUARACCHI
1913.

PROPRIETAS LITTERARIA



DISCUSSIONES

TEXTUS ANTIQUISSIMUS

EPISTOLAE S. FRANCISCI DE REVERENTIA CORPORIS DOMINI

IN MISSALI SUBLACENSI

(COD. B. 24 VALLICELLANUS)

Codex omnium antiquissimus hucusque notus S. Francisci continens *Epistolam ad omnes Clericos*, seu tractatum *De reverentia corporis Domini et de munditia altaris* est Assisanus 338, de cuius aetate utique docti inter se non conveniunt, ita ut vel alteri saec. XIII parti vel initio saec. XIV generatim eum attribuant (1). Dubitabatur quoque utrum textus formam habeat tractatus, an epistolae ad omnes Clericos directae. Waddingus (2) in forma utique initio et fine longiori inter epistolas recensuit, et quidem ut XIII, eumque secuti sunt omnes posteriores Editores, donec Editores Ad Claras Aquas inter tractatulos eumdem textum publicaverunt (3), eo quod « codices hanc opusculi formam (scl. epistolae) haud habent (4) ». Boehmer (5) econtra iterum inter epistolas videtur reponere textum, sed male cum alio simillimo con-

(1) De variis sententiis cf. W. Goetz, *Die Quellen zur Geschichte des hl. Franz von Assisi*, Gotha 1904, 53, n. 1; L. Alessandri, *Inventario dell' antica biblioteca del S. Convento di S. Francesco in Assisi*, Assisi 1906, 78; 166-69.

(2) *B. P. Francisci Assisiatis Opuscula*, Antverpiae 1623, 43.

(3) *Opuscula S. P. Francisci Assisiensis*, Ad Claras Aquas 1904, 22-23.

(4) L. c. 159. Sententiam Editorum Ad Claras Aquas secuti sunt hac in re Paschal Robinson, O. F. M., *The writings of Saint Francis of Assisi*, Philadelphia 1906, 22, et Maternus Rederstorff, O. F. M., *Die Schriften des heil. Franziskus von Assisi*, Regensburg 1910, 116.

(5) *Analekten zur Geschichte des Franciscus von Assisi*, Tübingen-Leipzig 1904, 62.

iunxit, cum textu scl. *Ad universos Custodes* (1). Alius criticus, Sabatier (2), textum *De reverentia corporis Domini* prius *postscriptum* quoddam ad S. Francisci *Epistolam ad Capitulum Generale* esse iudicavit (3) additionesque apud Waddingum reiecit, deinde (4) vero tum formam breviorem textus uti iacet in codicibus usque tunc notis, tum formam prolixiorem Waddingi authenticas esse enuntiavit. Fierens (5) demum eo quod textus in Codice 338 Assisano immediate sequitur *Epistolam* similis argumenti *ad Capitulum Generale*, explicare conatur defectum inscriptionis originalis in codicibus.

Aliud punctum in vita S. Francisci controversiis subiectum est visitatio ab eo facta ad Sacrum Specus S. Benedicti prope Sublacum, de qua quidem plures exstant traditiones locales (6), quibus addas documentum depictum, Imaginem S. Francisci, ipso adhuc vivo, vel saltem ante canonizationem (an. 1228) delineatam (7); nullus vero superest textus antiquus.

Omnes praedictae quaestiones solvuntur vel luce illuminantur nova Codice B. 24, Bibliothecae Vallicellanae, Romae, quem quidem autumno a. 1912 examini subieci. Continet enim laudatus Codex, olim Monasterii Sublacensis, textum illum *De reverentia corporis Domini*, transcriptum Sublaci

(1) Textus hic primum editus a Sabatier, *Fratris Francisci Bartholi de Assisio Tractatus de Indulgentia S. M. de Portiuncula*, Paris 1900, *Appendice*, 135, multum differt ab illo quem sub eodem titulo Waddingus ut ep. XIV l. c. 54 e lingua hispanica versum in latinum ediderat. (2) *Speculum Perfectionis*, Paris 1898, p. CLXVI.

(3) Eum sequitur Ubald d'Alençon, O. M. Cap., *Les opuscules de Saint François d'Assise*, Paris-Couvin 1905, 21.

(4) *Opuscules de critique*, II (1904), 154-55.

(5) *De geschiedkundige oorsprong van den aflaat van Portiuncula met een aanhangsel over de wereldbrieven van Sint Franciscus*, Gent 1910, 266-67.

(6) Eas cf. ap. Waddingum ad a. 1222, n. 5, ed. 2, II, 36; Muratori RIS IV, Mediolani 1723, 191, nota 5; Ch. Mirzio, *Cronaca Sublacense*, Roma 1885, 291-92; Casimiro da Roma, O. F. M., *Memorie storiche delle Chiese e dei Conventi dei Frati Minori della Provincia Romana*, Roma 1764, 73-78; ed. 2, Roma 1845, 115-16; C. Mariotti, O. F. M., *Il Ritiro di S. Francesco presso Civitella (Bellegra)*, Roma 1899, 35-36; B. Spila, O. F. M., *Memorie storiche della Provincia Riformata Romana*, I, Roma 1890, 89 ss.

(7) Videas Westlake, *On the authentic portraiture of S. Francis of Assisi*, London 1897, 3-5; 22-23; Hermanin, ap. *I Monasteri di Subiaco*, Roma 1904, I, 439-54: *La memoria di S. Francesco d'Assisi nel Sacro Speco di Subiaco*, ap. *La Palestra del Clero*, Anno XIV, vol. XXVIII, n. 13; D. L. Allodi, O. S. B., *Il ritratto di S. Francesco nel monastero di Subiaco*, ap. *Miscellanea Francescana*, XIII, 1911, 26-30; B. Kleinschmidt, O. F. M., *Sankt Franziskus von Assisi in Kunst und Legende*, M. Gladbach [1911], 114-16; aliosque.



inter a. 1219 et 1238, verisimiliter ex autographo seu exemplari originali S. Francisci.

En tibi brevis Codicis descriptio.

Cod. B. 24 Bibl. Vallicellanae, Romae, mm. 325 ×190, membr. saec. XI-XIII, nunc tribus constat Codicibus et folia habet 200, quorum ad Codicem primum spectant f. 1r-117v; ad alterum, fragmentum liturgicum cum notis musices, fol. 118r-121v; ad tertium, Sermones Willermi Francigenae monachi de cenobio sancti Bertini in Flandria sito, Papae Innocentio II dedicati, f. 122r–200v.

Nobis de solo primo agendum est Codice, qui continet Missale Sublacense scriptum a. 1075 a quodam scriptore Guittone, iussu abbatis Iohannis, crebrisque ornatur picturis. Textum porro Missalis, f. 1r-99v, sequitur eadem manu haec nota scatens erroribus grammaticalibus f. 100ra:

Anno ab incarnatione domini nostri ihu Xpi millesimo LXXV, Indictione XIII Pręsidente GG quintus (1) *papa in cathedra apostoli petri anno II°. Ob amorem dei et honorem beati Benedicti sanctissimi abbatis et beatissime virginis scolasticę hunc sacramentorum libellum Iubente donno Iohanne gloriosissimus abbas ex venerabili monasterio sancti Benedicti qui ponitur in sublaco. ob memoriam sui nominis, remediumque suę animę a quidam scriptor nomine Guittone exaratum est. Deo gratias.*

Character scripturae Missalis et ornamenta tempori indicato plenę consonant. Est enim scriptura minuscula sat rudis, quae *romanesca* vocatur a palaeographis italicis.

Reliqua pars huius Codicis f. 100ra-116va varias series nominum abbatum, monachorum, cardinalium etc. scriptas partim ab eodem Guittone (cf. f. 101ra) et ab aliis (saec. XI-XII) exhibet (2), quibus nominibus orationes pro defunctis succedunt f. 116va-117r. Folium 117r-v, ultimum huius primi Codicis, non binis columnis scribitur, sed per integram paginam protractas lineas exhibet, continetque praeter orationes iam dictas ad partem priorem pertinentes, velut Registrum actorum in Monasterio Sublacensi, ita ut singulae notitiae paulatim a diversis manibus sint appositae. Vide reproductionem nostram. Duo sola acta notam chronologicam exhibent scil. a. 1219 (f. 117r) et 1238 (f. 117v). Inter has

(1) Revera est Gregorius VII.

(2) Hanc partem P. Egidi editurus est in Collectione *Fonti per la storia d'Italia*, in tertio scil. volumine seriei cui titulus: *Necrologi e libri affini della Provincia Romana*, cuius vol. I prodiit Romae 1908.



notas per modum registri exaratas invenitur — quod hucusque omnes viros eruditos fugerat — textus S. Francisci *De reverentia corporis Domini.*

En registri transcriptio fol. 117r.

Anno domini M°CC°XIX°. In presentia domini Clari episcopi tyburtini iurauit Oddo clericus episcopi, capellanus sancti Laurentii, domino Landoni abbati Sublacensi, coram subscriptis testibus, scilicet coram Oddone de incalza, coram Synibaldo, et Beraldo macera, et petro philippi, Et de familia episcopi, coram petro diacono et yconimo, et Mercurio. — Sequitur alia manu textus S. Francisci, quem inferius, p. 12, edemus. Deinde alia manu:

Hii sunt testes qui interfuerunt quando moniales sancti herasmi de urbe (1) *receperunt ecclesiam predictam a uenerabili Lando abbati sublacensi silicet Nicolaus scotte, petrus aduocati, petrus curie* (2), *Romani consules, Iohannes et randiscii, Benedictus et Bartholomeus canonici sancte Sauine de marsi, Oddo domini bartholomei et Iohannes de celano Monaci.* — Alia manu:

Ego andreas monachus de mandato domini abbatis L. recepi sacramentum fidelitatisa clericis de fo... (?) (3) *silicet a presbitero Nicolao, presbitero Girardo uattalle, presbitero Iohanne romano tanquam a propriis uassalis monasterii. Audiente Iacobo Monacho, presbitero Lazaro et petrucio cellarario.* — Alia manu f. 117v:

[*In nomine*] (4) *domini Amen. Anno eius M. C.C. Trecentesimo VIII°, pontificatus domini Gregorii IX pape anno XII°, mense Nouembris die septima decima Landus Sublacensis abbas concessit et dedit Tadeo de Ceruara Terram que fuit Benedicte de Grimaldo...*

Alia manu: *Memoriale istud est pro corello quod fuit Iohannis Caluplli de cerreto quod iure proprietatis, quod ego recepi in custodia pro herede sua et hec est breuis recordatio pro conseruatione corelli sue heredis in futuro.*

Sequuntur vestigia aliarum brevium notularum ita obliteratarum, ut legi nequeant.

Textus S. Francisci inter praecitata acta exsistens historiam sat curiosam habet. Aut enim a doctis, qui de Cod. B. 24 Bibl. Vallic. scripserunt, est neglectus aut falso expli-

(1) De ecclesia et monasterio S. Erasmi in Caelio cf. Armellini, *Le Chiese di Roma*, ed. 2, Roma 1891, 122-24.

(2) Post *curie* adest punctum, melius forsan legendum esset *curie Romane*. (3) Obliteratum. (4) Angulus folii abscissus est.



catus. Iam Garampi, eruditissimus ille Archivi Vaticani Praefectus saeculo XVIII, textum nostrum cognovit et tanti aestimavit, ut excerptum ex eo sibi confecerit, quod conservatur in Archivo Vaticano, *Fondo Garampi 133 (Adversariorum I)* f. 455v-56r, ubi sequentia leguntur:

Ex Cod. Vallicell. B. 24, Monitum Clari Episcopi Tiburtini A. 1219, ut Clerici maiorem diligentiam et cultum exhibeant in administranda Eucharistia. Sequuntur quaedam excerpta; ad locum vero: *Nomina etiam et verba eius scripta* hanc facit notam marginalem: *La Religione che si avea al nome di Dio scritto ben risulta da varie leggi di Giustiniano, vedasi il Carlano nel Codex Evangelicus. S. Francesco ne avea una divozione grandis(sima).*

Garampi igitur, dum veluti instinctu S. Francisci spiritum in textu perspexit, male cum priore documento eum coniunxit utpote exhortationem a Claro episcopo Tiburtino suo clerico, post iuramentum fidelitatis emissum, factam. Simili modo Cascioli (1), vir optime meritus, Capituli S. Petri de Urbe a tabulariis, textum considerat (2), indeque maximis laudibus Clarum episcopum Tiburtinum effert, quas tamen ad S. Franciscum spectare patet. Cautius egit L. Allodi, O. S. B., Bibliothecarius Monasterii Sublacensis, qui textum in adnotationes ad editionem Mirtii (3), sine commentario proprio recepit. De Codice B. 24 tractant insuper P. Egidi (4) et V. Federici (5), quin textum S. Francisci, inde ab anno 1623 inter

(1) *Memorie storico-critiche del Santuario di Nostra Signora di Mentorella nella diocesi di Tivoli,* Roma 1901, 100-104: commentarius et versio italica; 107-108: textus latinus.

(2) L. c. p. 100: « Esso [il documento] costituisce propriamente un giuramento da parte d' un chierico, non però redatto colle forme ordinarie dell' epoca, ma nel tempo stesso deve considerarsi come un Monito insieme e una Lettera ortatoria a tutti i chierici e sacerdoti della vasta diocesi tiburtina, affinchè la SSma Eucaristia venga onorata con quel dovuto omaggio di venerazione e quella diligentissima cura, che si convengono a un tanto Sacramento ». Quibus e verbis patet cl. Auctorem indolem generalem textus de Eucharistia perspexisse, et nonnisi ex coniunctione cum textu praecedente in errorem tractum fuisse, inductum forsan auctoritate Garampi ab ipso pag. seq. citati.

(3) *Cronaca Sublacense del P. D. Cherubino Mirzio da Treveri, Monaco nella Proto-Badia di Subiaco,* Roma 1885, 309-11. Hoc Chronicon a Mirtio scriptum a. 1628, editum est a Crostarosa, prius partim in Periodico *Gli Studi in Italia,* deinde integrum et auctum doctissimis notis D. L. Allodii. (4) *I Monasteri di Subiaco,* Roma 1904, I, 101-02; 204-05.

(5) *I Monasteri* etc., II, 3, nº 6.: « Carta Tiburtina del 1219 »; Paginae aliquae praedicti Codicis reproducuntur a E. Monaci, *Archivio paleografico italiano,* II, fasc. V, Roma 1896.



Sancti opuscula saepius editum, dignoscerent. Non minus vero mirandum recentes rerum franciscanarum disquisitores textum Codicis Vallicellani ignorasse, quamvis ultimis sex lustris bis editum: Error est methodicus ex utraque parte, neglectus scilicet studiorum in campis limitrophis instituendorum.

Sed iam ad ipsum textum accedamus S. Francisci, uti nobis exhibetur in Cod. B. 24 Vallic. Textus iste certissime S. Francisci est, non solum auctoritate aliorum Codicum, quibus idem inter opuscula Sancti inest (1), sed prae caeteris ob signum T in fine appositum. Hoc enim signo (2) S. Franciscum litteras et chartulas proprias signasse testantur Thomas Celanus et S. Bonaventura. Prior (3) enim scribit: *Familiare sibi* [Francisco] *signum thau, prae caeteris signis, quo solo et missivas cartulas consignabat et cellarum parietes ubilibet depingebat....* Alter (4) vero: *Hoc quippe signum* [thau] *vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio et in eis quas dirigebat litterulis manu propria subscribebat....*

Revera conservatum est tale documentum originale uti e manibus Francisci prodiit, B e n e d i c t i o scilicet F r a t r i s L e o n i s in Ecclesia S. Francisci Assisii (5). Ibi signum Tau

(1) Cf. supra, p. 3-4, et editiones recentes opusculorum S. Francisci ibi citatas. (2) De significatione mystica litterae Tau v. Ezech. IX, 4-6; Apoc. VII, 2-3; IX, 4, et S. Bonav. Prologum ad *Legendam Maiorem*, ed. Ad Claras Aquas 1898, p. 3. (3) *Tractatus de miraculis*, cap. II, ed. Ed. d'Alençon, p. 343; cf. ib. cap. XVII, p. 418; ed. Van Ortroy, *Anal. Boll.* XVIII (1899) 114-15; 163-64.

(4) *Legenda Maior,* cap. IV, ed. cit. p. 40-41; cf. ib. *Miracula,* § X, p. 215. — F. Cuthbert, O. M. Cap., *Life of St. Francis of Assisi,* London 1912, 179, devotionem S. Francisci erga litteram Tau a Sermone ab Innocentio III in Concilio Lateranensi IV (a. 1215) habito, Migne, P. L. 217, 676-78, repetere vult: sed ne constat quidem omni ex parte utrum S. Franciscus tempore Concilii Romae fuerit an non. — Conferatur etiam Petrus Rodulphius Tossinianensis, *Historiarum seraphicae Religionis libri tres,* Venetiis 1586, f. 176r, ubi signum T reproducitur atque inter alia haec de usu eiusdem in antiquis aedificiis Fratrum Minorum leguntur: *Visitur hoc signum hodie quoque Bononiae ante fores aediculae Sancti Francisci in Claustro ad sepulchrum professorum; Vincentiae; et Sarezanae oppidi in Etruria non procul a Macra fluvio.* — Fama est quoque B. Iohannem Parentem, primum post Sancti mortem Ordinis Generalem, hoc signum in Corsicam insulam introduxisse; cf. P. Olivesi, O. F. M., *Serafici e cronicali ragguagli della Provincia Minore Osservante di Corsica,* Lucca 1671. Revera in stemmate Provinciae Corsicae signum Tau habetur, uti videri potest ex Gonzaga, *De origine seraphicae Religionis,* Romae 1587, p. 52.

(5) De authenticitate huius documenti omnino nunc constat. Cf. (Grisar, S. I.), *La Benedizione manoscritta di San Francesco nel Sacro*



magnum exhibetur, veluti crux in monte quodam, scl. Calvario, ad radicesque signi T, ceu ad pedes crucis, invenitur cranium (1). Modo parum dissimili in fine textus Cod. B. 24. Vallicell. habetur idem signum *Tau* in monte positum, sed absque cranio, nisi dicas id in exemplari originali adfuisse, copistam vero, signum non intelligentem, loco eius tres illos tractus sub T delineasse (2). Dimensiones vero signi T cum monte in nostro Codice sunt cent. 2 altitudinis et $1^{1}/_{3}$ latitudinis; est igitur minus illo in Benedictione Fr. Leonis, a quo differt etiam in eo quod atramento nigro factum est, dum in Benedictione Fr. Leonis atramento rubeo (etiam in origine?) est delineatum. Signum T ad calcem nostri textus aequivalet subscriptioni S. Francisci, et quia auctores talem subscriptionem interpretari non potuerunt, orta est confusio de auctore ipsius textus. Sed nec textus nec signum Tau scripta sunt manu S. Francisci in nostro Codice, cum is ea in parte Registrum quoddammodo abbatiae Sublacensis exhibeat. Sed non longe a vero aberimus utrumque transcriptionem fidelem accuratamque exemplaris originalis textus esse asseverantes (3). Textui in Cod. B. 24 Vallic. praecedit signum crucis eo modo ac aliquando in actis publicis vel notarilibus eo tempore confectis conspicitur. Fuitne et ipsum in exemplari originali? Hoc, quamquam in-

---

Convento di Assisi, ap. *Civiltà Cattolica*, serie XVI, vol. V, Roma 1896, 723-28. In sequentibus opusculis praeter descriptionem accuratam invenies etiam reproductionem eiusdem Benedictionis: Faloci Pulignani, *Gli autografi di S. Francesco*, ap. *Misc. Franc.* VI, 1895, 33-39; idem opusculum iterum prodiit: *Tre autografi di San Francesco*, S. M. degli Angeli [Assisi] 1895; Edouard d'Alençon, O. M. Cap., *La Bénédiction de Saint François, histoire et authenticité de la relique d'Assise (Extrait des Annales franciscaines)* Paris 1896; Montgomery Carmichael, *La Benedizione di San Francesco, spiegazione del geroglifico*, Livorno 1900; Reginald Balfour, *The seraphic Keepsake, a talisman against temptation written for Brother Leo by Saint Francis of Assisi*, London 1905.

(1) Sic cum Grisar l. c. intelligenda sunt verba quae Fr. Leo Benedictionis schedulae adiecit: *Simili modo fecit* [Franciscus] *istud signum thau cum capite manu sua.* Quae Carmichael l. c. hac de re propugnat, parum captant assensum excluduntur que partim nostro signo Tau.

(2) Vide reproductionem nostram. Delineationem non accuratam signi exhibet etiam Allodi in cit. notis ap. Mirzio, *Cronaca Sublac.*, p. 311.

(3) Unum solum exemplum mihi innotescit transcriptionis tam accuratae et integrae scripti alicuius S. Francisci, scil. Benedictionis Fratris Leonis in Codice S. Antonii de Urbe saec. XIV, f. 64rb, ubi praeter verba ipsius Benedictionis delineatur Tau, absque tamen (ob spatii angustiam) monticulo et cranio; iuxta figuram haec leguntur verba amanuensis: *Hec figura etiam erat in cedula quam dedit beatus Franciscus fratri Leoni Alverne.*

terea affirmare nequimus, cum aliud exemplum in scriptis Sancti non habeamus, valde veri simile videtur, attenta accurata amanuensis fidelitate in reliquis generatim adhibita.

Quo tempore transcriptum est documentum? In ipso Codice habemus terminum *a quo* et *ante quem*. Vidimus enim superius textum S. Francisci intra documenta inseri scripta ab a. 1219 usque ad a. 1238, et cum ex natura rei illa documenta scripta sint tempore quod assignant, textus S. Francisci hoc intervallo certissime scriptus est (1).

Character quoque scripturae plane consonat. Est enim *minuscula transitionis* a minuscula romana ad gothicam, qualis reperitur saec. XII et initio saec. XIII. Scriptura haec est plane diversa a scripturis caeteris eiusdem folii ad gothicam notarilem magis accedentibus. Diversitas haec scripturae documenti a. 1219 et textus S. Francisci sola auctores monere debuisset, ne duos textus coniungerent.

Tale documentum inveniri in Codice Sublacensi inter acta ipsius Monasterii aliud momentum habet; demonstrat enim relationem intimam S. Francisci cum hoc Monasterio, quae relatio hucusque sola traditione et illa imagine in Sacro Specu exsistente, innotuit. Non est inverosimile ipsum Patrem vel priores eius discipulos hoc scriptum secum Sublacum portasse (2) et scriptorem seu eius mandatarium trans-

(1) Difficultas praebetur documento a. 1219. Eo enim tempore Lando nondum videtur fuisse abbas, sed Iohannes, sextus hoc nomine, qui in bullis Honorii III pluries nominatur, et a. 1217-1227 monasterium gubernasse apparet, cf. Mirzio, *Cronaca Sublacense* p. 290-95. Lando (seu Landus) econtra iuxta eundem auctorem p. 295-307 praefuit ab anno 1227 ad 1244. Quare L. Allodi, l. c. in documento anni 1219 legendum censet: MCCXXIX, loco MCCXIX. Ex mentione Clari, Episcopi Tiburtini, facta, nihil certi pro chronologia erui potest, quia episcopatus eius limites chronologici ignorantur; Gams, *Series episc.* et Eubel, *Hier. Cath.* loco nominis Clari lacunam habent. Pro re nostra adeo non interest utrum legatur 1219 vel 1229, nisi quod in priore casu textus *De reverentia corporis Domini* tempore vitae S. Francisci scribi potuisset, in altero vero paucis annis post mortem scil. inter 1229 et 1238.

(2) Visitatio S. Francisci Sublaci facta a Mirzio, l. c. 291 ad a. 1223, a Waddingo ad a. 1222, ab aliis vero ad a. 1218 determinatur. Sed de tempore accurato hac in quaestione vix discutere possumus, cum omnia antiqua *testimonia* scripta desint. Quod imago S. Francisci in Sacro Specu stigmata non exhibet, stricte non probat imaginem ipsam ante a. 1224 depictam fuisse; nam sacra stigmata ab ipso Sancto, quoad vixit, celata sunt, et nonnisi pauci intimi ante mortem eius ipsa conspicere valuerunt. Sed fere certum est imaginem depictam fuisse ante a. 1228, quo S. Franciscus canonizatus est, nam deest aureola in capite, et nomini loco *S(anctus)*, praemittitur *Fr(ater)*.



criptione textus benedictione Dei, quae in fine promittitur, participem fieri voluisse.

Aliud momentum huius textus in eo situm est quod nobis antiquissimam formam textus, originali conformem exhibet, qua forma hypotheses a doctis recentibus emissae (1) evanescunt. Imprimis eo probatur absoluta *authenticitas* contra levia dubia hinc inde expressa (2). Deinde stabilitur eius forma quae est praecise una ex « chartulis missivis » seu « litterulis » Tau signatis a Thoma Celanensi et S. Bonaventura commemoratis. Contra quosdam Editores igitur remittendus est textus inter epistolas Sancti, quamvis inscriptione careat; quo liquet etiam inscriptionem in Codice Assisano 338, f. 31-32: *De reverentia corporis Domini et de munditia altaris; ad omnes clericos* non esse originalem nec ex originali compositam, sed rubricam collectoris. Nec propterea excluderem formam apud Waddingum initio et fine longiorem et ad formam epistolae proprius accedentem, nam optime Sanctus alia occasione illam recensionem longiorem adhibere potuit (3). Interea autem de sola formae brevioris authenticitate constat ita solida, qualem pauca scripta Sancti habent.

Stabilita omni ex parte *authenticitate* textus nostri, consequi videtur etiam textum epistolae *Ad universos Custodes* ea forma, qua nuper fuit editus (4), esse authenticum, quin tamen unus alteri coniungendus sit. Nam sicut plura contactus puncta textus nostri cum Testamento S. Francisci neutrius textus obest sinceritati, ita nec epistolae ad Custodes similitudo cum nostro textu. Saepius enim S. Franciscus, pro magno suo Dei amore et devotionis fervore, praesertim erga SS. Eucharistiam (5), admonitiones repetere solebat.

Transcribo igitur hic textum uti iacet, diversum in aliquibus locis ab omnibus textibus hucusque notis. Variantes vero lectiones adiicere superfluum duco, cum nulla alia recensio textum ita certum praebere possit sicut noster Codex. Notandum tamen duco loco vocabuli *corporalia* apud caeteros codices hic haberi *corporales*, quae forma magis ad formam italicam *corporali* videtur accedere et proinde ori-

(1) Cf. supra, p. 3-4. (2) Ex. gr. a Goetz, *Die Quellen* etc. p. 25.
(3) Cf. supra, p. 4, n. 4. (4) Cf. supra, p. 4, n. 1.
(5) De quo cf. Faloci Pulignani, *Saggio degli scritti di San Francesco*, ap. ***Misc. Franc.***, VI, 1895, 93-96; C. Mariotti, O. F. M., *L'Eucaristia ed i* ***Francescani***, Fano 1908, 23-30; R. van der Valk, O. F. M., *De H.* ***Franciscus*** *van Assisië en het H. Sacrament des Altaars*, ap. *De Katholiek*, vol. 134, 1908, 333-57.

ginalis esse potest. Versus finem propositio: *Hec omnia usque in finem universi clerici tenentur super omnia observare* non parum differt a textu recepto(1). In admonitione quoque finali *Hoc scriptum* etc. verborum ordo parumper invertitur. Retineo interpunctionem et orthographiam, solas litteras *u* et *v* ad usum reducens modernum.

✠ *Adtendamus omnes clerici magnum peccatum et ignorantiam quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem domini nostri Ihesu Christi, et sacratissima nomina, et verba eius scripta, que sanctificant corpus. Scimus quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur a verbo. Nichil enim habemus et videmus corporabiliter in hoc seculo de ipso altissimo, nisi corpus et sanguinem, nomina, et verba, per que facti sumus et redempti de morte ad vitam. Omnes autem illi qui ministrant tam sanctissima misteria, considerent intra se, maxime hii qui illicite ministrant, quam viles sint calices, Corporales, et linteamina ubi sacrificatur corpus et sanguis eiusdem, et a multis in locis vilibus collocatur et relinquitur, miserabiliter portatur, et indigne sumitur, et indiscrete aliis ministratur. Nomina etiam et verba eius scripta aliquando pedibus conculcantur. Quia animalis homo non percipit ea que dei sunt. Non moveamur de hiis omnibus pietate, cum ipse pius dominus in manibus nostris se prebeat, et eum tractemus, et sumamus cotidie per hos (2) nostrum? An ignoramus quia venire debemus in manus eius? Igitur de hiis omnibus et aliis cito et firmiter emendemus, et ubicumque fuerit sanctissimum corpus domini nostri Ihesu Christi illicite collocatum et relictum, removeatur de loco illo, et in loco pretioso ponatur et consignetur. Similiter nomina et verba domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis colligantur, et in loco honesto debeant collocari. Hec omnia usque in finem universi clerici tenentur super omnia observare, et qui hoc non fecerint, sciant se debere coram domino nostro Ihesu Christo, in die iudicii reddere rationem.*

Hoc scriptum, ut melius debeat observari, sciant se benedictos a domino deo, qui illud fecerint exemplari.

(Signum Tau).

Ad Claras Aquas. P. LIVARIUS OLIGER, O. F. M.

(1) Cf. *Opusc. S. Fr.* Ad Cl. Aq. p. 23. (2) Lege: *os*.



Cod. Vallicellanus B. 24, fol. 117 r (reductum).





DE RELATIONE

INTER

PROOEMIUM SUMMAE ALEXANDRI HALENSIS

ET

PROOEMIUM SUMMAE GUIDONIS ABBATIS.

Procuraturi editionem novam operum Alexandri Halensis inter alia, quatenus pro tempore possumus, intendimus statuere etiam fontes, ex quibus Doctor Irrefragabilis ipse indirecte vel directe plus minusve hauserit. Ad hunc finem Patres Collegii nostri examinavere non solum libros iam typis mandatos non paucos, sed etiam codices manuscriptos circa centum triginta. Invenimus manuscripta aliqua, quae affinitatem maiorem vel minorem cum Summa Alexandri prae se ferunt vel aliquatenus fontes esse videntur, non solum talia quae auctorem indicant, sed et anonyma.

Sed nunc quaestio perdifficilis oritur, utrum haec omnia, praesertim anonyma, sint priora Alexandro an posteriora. Non raro enim desunt testimonia externa fide digna et remanent dumtaxat criteria interna. Eiusmodi interdum sunt nomina aliorum scholasticorum vel facta aliqua historica quorum mentio fit, et haec, ubi praesto sunt, sufficiunt ad iudicium plus minusve certum praecisumque de authenticitate vel antiquitate codicis ferendum. At pluries talia criteria desiderantur, et habentur argumenta nonnisi minus certa, e. c. demonstratio quis ex illis auctoribus inter se dependentibus easdem res tractatas perfectius an imperfectius, fusius an brevius, magis in genere an magis in specie etc. proponat; vel quando uterque citat eosdem locos ex Scriptura, SS. Patribus vel philosophis, uter magis conveniat cum textu originali, eos locos verbotenus an solummodo secundum sensum, integros an abbreviatos, tradat. Verum eiusmodi inquisitiones saepius rem dubiam relin-



quunt; nam non raro is auctor, qui putatur esse accuratior perfectiorque quoad aliquos locos et quaestiones et eo ipso posterior, invenitur esse quoad alios imperfectior et eo ipso anterior (in genere enim scripta scholasticorum illius temporis eo imperfectiora apparent, quo antiquiora sunt); aliquando quoque uterque ex aliquo fonte communi hausisse videtur; qui cum nobis adhuc ignotus sit, inquisitio etiam magis intricata evadit. Etiam stilus seu genus dicendi inter varios scholasticos non ita discrepat, ut iudicium infallibile quoad personam auctoris vel antiquitatem codicis semper facile permittat. Non multo melius res se habet, cum investigamus, ex quo tempore singuli codices oriantur, utrum ex saeculo XIII ineunte an medio vel exeunte; quicumque eiusmodi codices inspexit, non ignorat, quoties taxatio satis accurata fere impossibilis contingat. Accedit quod codex saeculo XIV vel XV confectus forsitan nonnisi sit transcriptio alterius multo antiquioris.

Magis subinde prodesse videtur consideratio, an vel quos, qualiter, quoties, quibus verbis auctor respectivus citet philosophos. Promamus saltem unum specimen.

In codice lat. 14891 Bibl. Nation. Parisiensis fol. 176r–209r, saeculi XIII, tractatus adest de Sacra Scriptura, de decalogo aliisque praeceptis incipiens verbis: *Contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Deum.* In cuius fine legitur: « *Explicit Summa Domini Guidonis abbatis Cysterciensis de diversis quaestionibus theologiae* (1) ». Cuius prooemium absque dubio tradit propinquitatem eamque non parvam cum quaestionibus prooemialibus Summae Alexandri, ut unus ab altero mutuatus esse censendus sit; quod ostendemus in Prolegomenis vol. I editionis nostrae supra promissae. Nunc quaerendum est, uter dependeat ab altero, sive *quis sit ille Guido abbas.*

Secundum Oudinum (2) est auctor Guido de Pareto, an. 1187 factus abbas Cisterciensis et postea cardinalis Praenestinus episcopus; ibidem dicitur esse mortuus an. 1206.

(1) Hanc Summam detexit P. Fidelis a Fanna († 1881), olim Praefectus nostri Collegii, et in catalogis suis eius mentionem facit. — In eodem cod. ante Summam nostram habentur *Summa de anima* Io. de Rupella († 1245), et *Breviloquium* S. Bonav. († 1274); quare forsitan liceat accipere etiam illam partem codicis, quae continet Summam, scriptam esse post 1274.

(2) *Comment. de scriptor. eccles.*, tom. II, Lipsiae 1722, col. 1687.



Etiam Hurter (1) scribit eundem abbatem reliquisse manuscriptum, cui est titulus « Summa theologiae », sed iam an. 1202 e vita decessisse. R. P. C. Eubel (2) ter eius mentionem facit. Primum (p. 3) enumerat eum inter cardinales ab Innocentio III promotos: « In secunda promotione anno 1199 facta Guido Poré (Paré) abbas Cistercii ep. Praenestin. qui a. 1204 fit epus. Remen. et 1206 obiise dicitur ». Deinde (p. 36) inter cardinales episcopos Praenestinos: « Guido de Poré (Paré) O. Cist. aep. Rothomag. prom. 1200, obiit 1221 ». Tum eius mentio fit inter episcopos Remenses, et dicitur obiisse die 30. Iulii an. 1206 (p. 440). Iam Oudinus novit opinionem, dictum cardinalem multo post an. 1206 mortuum esse, sed eam refutat: « Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 132, ubi tamen male asserit ipsum esse mortuum anno 1220 decimo tertio Calendas Iunii, qui anno 1206 tertio Calendas Augusti mortuus legitur ». Quandocumque e vivis discessit Guido, minus probabile est, ipsum esse auctorem illius Summae, qualis nunc iacet in cod. allegato. Hurter non citat fontem, ex quo hausit, Oudinus nominat nonnisi ipsum dictum codicem Parisiensem. Alii codices eiusdem vel similis operis Guidonis, qui forte apti essent ad rem magis illustrandam, hucusque nobis non noti sunt, etsi consuluimus catalogos multarum eximiarumque bibliothecarum, etiam bibliothecarum monasteriorum Benedictinorum et Cisterciensium. In codice latino 3144 Bibl. National. Paris. citatur quidem « Guido abbas », vel « G. abbas », « G. A »; at materiae ibi tractatae non conveniunt cum nostra Summa; insuper « G. abbas » etc. significare possunt etiam abbates Galfridum, Gaufridum, Guenredum, qui et ipsi ibidem nominantur; accedit quod codex absque dubio est saeculi XIII exeuntis, imo partim saeculi XIV. — Etiam aliqui viri docti ex Ord. S. Benedicti a nobis interrogati responderunt se prorsus ignorare, eundem abbatem composuisse Summam. Praeterea loci philosophici, qui proponuntur in dicto prooemio, non permittere videntur attribuere hoc scriptum saeculo XII exeunti vel saltem primis annis saeculi XIII; citantur enim Metaphysica Aristotelis idque secundum versionem graeco-latinam, et Liber de causis.

I. Metaphysica Aristotelis bis occurrit, primo: « *Sicut picitur in Metaphysicis: quemadmodum est dispositio oculi*

(1) ***Nomenclator litt.*** tom. IV, Oeniponte 1899, 165 n. 1; ed. III, ibid. 1906, 217 n. 1.

(2) ***Hierarchia catholica** medii aevi,* Monasterii 1898, I, 3, 36, 440.

noctuae ad lucem diei, ita est dispositio intellectus nostri ad rerum naturae manifestissima ». Quae verba sonant (1) in versione graeco-lat.: « *sicut enim nocticoracum oculi ad lucem diei se habent, sic et animae nostrae intellectus ad ea, quae sunt omnium naturae manifestissima* ». In versione arabico-latina autem: « *Dispositio enim intellectus in anima apud illud quod est in natura valde manifestum, similis est dispositioni oculorum vespertilionis apud lucem solis* ». Locus apud Guidonem videtur fundari in versione graeco-latina, etsi permixtus est et contractus cum verbis ex versione arabico-latina. Eiusmodi commixtio et contractio, praesertim quoad locum nostrum saepissime et ex memoria citatum, non raro invenitur apud Alexandrum et posteriores scholasticos, sed vix statuenda sit circa an. 1200. — Alter locus est: « *Legitur in prima philosophia: experientia est singularium, ars vero universalium* ». Hic textus nonnisi ex translatione graeco-latina sumptus esse potest, idque ex lib. 1, cap. 1; alibi enim in Metaphysica non invenitur, et etiam Alexander in initio Summae, qu. 1, membr. 1 citat eum verbis: « *Dicit Philosophus in prooemio* (alias: *in principio*) *Metaph.*: *experientia est* etc. ». Sed hoc caput deesse in versione arabico-latina, neminem fallit.

Altera ex parte minus verisimile est iam temporibus Guidonis versionem graeco-latinam apud scholasticos notam fuisse. Usque modo sententia communis fuit versiones graeco-latinas Aristotelis nonnisi post annum 1220 paulatim factas esse. R. P. Mandonnet (2) nonnulla argumenta exhibet, iam circ. annum 1210 traditionem graeco-latinam usurpatam esse; sed hoc evenisse iam cir. 1200 vel antea, ne ipse quidem asserit. Recte contendit versionem citatam haberi in *cod. 421, scaff. XIX Bibl. Antonianae Patarinae*, et istum codicem in catalogis attribui saeculo XII. Sed eiusmodi origo antiqua non certo constat. A viris doctis, rei non imperitis, nobis responsum est, difficile esse dictu, utrum codex scriptus sit fine saeculi XII, an ineunte saeculo XIII; in favorem saeculi posterioris esse gravia indicia. — Praeterea apud theologos illis temporibus viventes non viguit mos citandi Aristotelis scripta metaphysica.

Ne Metaphysicam in genere, nedum versionem ex graeco traditam, invenimus apud Alanum de Insulis (3). Prof.

(1) Sec. ed. opp. Aristot. Venet. 1489; lib. 2, text. 1.
(2) *Siger de Brabant etc.*, Louvain 1911, I partie p. 13 not. 1.
(3) Obiisse videtur an. 1202; cf. Migne, PL vol. 220, 12 sqq.

Dr. Baumgartner (1) expresse refutat opinionem aliorum Alanum directe hausisse ex Metaphysica Stagiritae; e converso scripta eius ne minimum quidem fundamentum praebere in favorem eiusmodi sententiae. — Idem dicendum esse videtur de Petro Pictaviensi († 1205), etsi fuit Academiae Parisiensis cancellarius et scripsit Sententiarum libros quinque amplitudinis non modicae (2). In suis Glossis ad Sententias Petri Lombardi scribit quidem: « asserunt quidam, hoc Aristotelem dixisse in Metaphi., sed qui diligenter inspexerunt, hoc negant (3) ». Sed hoc dictum confirmat regulam; nam ne ipse quidem proponit ullum locum ex Metaphysica. — In Summa Praepositini, pariter olim cancellarii Universitatis Parisiensis, (circa an. 1206; dicitur obiisse an. 1217), de qua prae manibus habemus transcriptionem ex *cod. n. 71 Bibl. Commun. Tuderti* (Todi in Umbria), citatur quidem Aristoteles; sed locum qui ex Metaphysica sumptus esse necessario censendus est, usque adhuc non invenimus; explicita eius mentio non fit.

Quoad Robertum de Courçon († 1218) notat Ch. Jourdain (4), eius Summam ne semel quidem citare Aristotelem.

Guilelmus Autissiodorensis († c. 1230) in sua Summa (5) citat saltem quadragies Aristotelem, non solum libros logicos, sed etiam Ethicam et De anima; sed nusquam usque adhuc nobis occurrit explicita citatio Metaphysicae neque locus implicitus, qui ex ea promptus esse necessario putandus sit. Idem dicit Jourdain (6).

Idem valet quoad nonnullos alios auctores illius temporis velut Simonem Tornacensem († c. 1200, secundum alios demum an. 1216), Martinum de Cremona († 1213), Stephanum Langton († 1228), Gaufridum Pictaviensem, qui an. 1231 adhuc inter vivos fuit — saltem quatenus usque modo eorum scripta inspeximus vel specimina ex iis sumpsimus.

Non ignoramus Alfredum Anglicum in libello mere philosophico « De motu cordis » citare Aristotelis Metaphysicam. Quando hic elaboratus sit, non evidens est. Barach (7) censet

(1) *Die Philosophie des Alanus de Insulis*, Münster 1896, p. 11.
(2) Cfr. Migne PL. vol. 211, col. 790-1280.
(3) Cf. Denifle, *Chartular. Universitat. Paris*, tom. 1, p. 71.
(4) *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote*, Paris 1843, pp. 30 et 287. (5) Ed. Paris ap. Franc. Regnault c. an. 1500. (6) L. c. pp. 30, 31, 211. (7) *Excerpta e libro Alfredi Anglici de motu cordis*, Innsbruck 1878, pag. 16.

id factum esse inter annos 1220–1227, et expresse impugnat opinionem, Alfredum floruisse et scripsisse circa finem saeculi XII. Id saltem asserendum esse videtur, auctorem non adhibuisse versionem ex graeco. Metaphysica ibidem bis citatur. Locus prior explicito nomine occurrit in prologo (p. 83). Sed, ut ipse Barach declarat, non satis manifestum est, unde sumptus sit, et videtur esse ex aliquo commentario arabico. — Alter locus est nonnisi implicitus et sonat (p. 109): « *Est igitur virtus principium motus unius in aliud, secundum quod est aliud* ». Barach ut fontem indicat Aristot. Metaph. Θ 1046 a 9. Revera ibidem, id est secundum modum citandi apud scholasticos usitatum, lib. 9, text. 2, in versione ex arabico invenimus: « *Et illud est principium transmutationis in aliud, secundum quod est aliud. Potentia enim passionis est in ipso passivo principium transmutationis passivi ab illo, secundum quod est aliud* ». Minus congruit translatio ex graeco: « *Quod est principium transmutationis in alio, inquantum aliud est; nam haec quidem patiendi est potentia, quae in ipso patientie* (sic) *principium mutationis passivae ab alio, inquantum aliud est* ».

II. Liber de causis citatur: « *Propter hoc dicitur in Libro de causis: Causa prima superior est omni narratione etc.* ». Quae verba reapse literaliter occurrunt in editione curata a Prof. Dr. Bardenhewer (1). — Nihil obstare videtur, quominus iam Guido abbas hunc librum prae manibus habere potuerit. Nam secundum Prof. Bard. traductio Gerardi Cremonensis latina ex arabico inter annos 1167–1187 facta esse videtur (p. 145 sq.). At aliter res se habet quoad titulum huius versionis. Guido utitur simpliciter titulo « Liber de causis », tamquam is firmiter constare videatur iam exeunte saeculo XII. Verum sicut Dr. Bardenhewer notat et quantum fieri potuit etiam probat, haec inscriptio nonnisi ex temporibus Alexandri Halensis invenitur et demum sub Alberto Magno, S. Bonaventura et S. Thoma Aq. communiter adhibetur (pp. 147, 232).

Eius argumentationem fusius exponere et novis rationibus confirmare volumus:

1. Gerardus Cremonensis operi suo dedit nomen: *Liber de expositione bonitatis purae* (2).

2. Sicut Jourdain (l. c. p. 183 § 19) declarat, libro nostro in manuscriptis antiquis nomenclatura similis est, scil.:

(1) *Die pseudo-aristotelische Schrift Ueber das reine Gute, bekannt unter dem Namen Liber de causis,* Freiburg 1882, p. 168, § 5 in princ.
(2) Bard. p. 222.



« Canones Aristotelis de essentia purae bonitatis expositae ab Alfarabio »; vel: « Completus sermo noster de essentia purae bonitatis »; vel: « Completus est sermo de pura bonitate ». Reperitur quidem etiam nomen: « De causis », sed a manu recenti: « Ailleurs par cette note écrite d'une main recente: Expliciunt Canones Aristotelis de puro aeterno, sive de intelligentia, sive de esse, sive de essentia purae bonitatis, *sive de causis,* expositi ab Alfarabio ». Et addit: « Je pense que le vrai titre était originairement: *Liber de essentia purae bonitatis,* sous lequel ce traité est indiqué par Alain de l'Isle ».

3. Alanus de Insulis enim, coaevus Guidonis Abbatis, citat nostrum auctorem bis scribens: « *In Aphorismis de essentia summae bonitatis legitur* » etc. (1).

4. Non invenimus librum illum citatum, saltem non explicite, nedum nomen *Liber de causis,* apud alios scholasticos supra allegatos ante Alexandrum.

5. Quoad Guilelmum Alvernum († 1248 ut episcopus Paris.) nos solummodo idem dicere possumus quod Prof. Bardenhewer (p. 224): Non invenimus titulum *Liber de causis,* etsi auctor librum ipsum non ignorat.

6. Robertus Capito (Grosseteste, Greathead, † 1253) vestigium certum de libro nostro non praebet, saltem non in scriptis usque modo impressis (2).

7. Ne Alexander de Hales quidem videtur scribere simpliciter *Liber de causis,* etsi saepe librum ipsum citat tum implicite tum explicito nomine. Dr. Bardenhewer (p. 232) censet, nomen *Liber de causis* cum omni probabilitate oriri ab Halensi, cum is in Summa theologiae librum nostrum continuo introducat verbis: (ait) « *Philosophus in Libro de causis* ». — Verum est, Alexandrum uti hoc modo loquendi; praeter locos a Prof. Dr. Bard. allegatos etiam alii inveniuntur, e. c. (3) pars 1, qu. 10, memb. 5, pag. 36 a, lin. 44; pars 2, qu. 94, memb. 3, art. 6, § 3, pag. 397 a, lin. 47; pars 3, qu. 61, membr. 4, art. 2, pag. 475 b, lin. 37. Sed adhibet etiam aliud genus citandi. Non raro dicit simpliciter « Philosophus » e. c. pars 1, qu. 12, memb. 2, pag. 41 a, lin. 31; pars 2, qu. 32, memb. 1, pag. 117 a, lin. 2; pars 4, qu. 17,

(1) *Contra haeret.* l. 1, capp. 30 et 31; Migne P. L. vol. 210, col. 332 C, 334 B.

(2) Ap. Bard. p. 228. — In eius operibus philosophicis a Prof. Dr. Lud. Baur editis mentio libri nostri fieri non videtur (cfr. Lud. Baur, *Die philos. Werke des Rob. Grosseteste,* Münster 1912).

(3) Secundum edit. Coloniensem an. 1622.



memb. 2, art. 2, § 1, pag. 518 b, lin. 25. — Praeterea in parte 2, qu. 75, memb. 1 pag. 248 b, lin. 23 legimus: « *Item, ut habetur in Commento super Lib. de causis: Anima facta est causa corporum et facta est causata ab intellectiva* (sec. aliam lectionem: *ab intelligentia*) *quae est ante ipsam* ». Pariter pars 2, qu. 78, memb. 2, pag. 268 a, lin. 60: « *Item dicitur in Commento super 13. propositione Lib. de causis, quod anima facta est causa corporis* ». Hic locus non habetur in Comm. Alberti Magni super Lib. de causis (1). Neque habetur in Comm. S. Thomae (2), sed verbotenus reperies in ipso Libro de causis, ubi sec. ed. Bardenhewer (§ 13, p. 176): « *Quia anima sic est, fit quod imprimit res corporeas; quapropter facta est causa corporum, et facta est causata ex intelligentia, quae est ante eam* ». In editionibus antiquis, inter opera Aristotelis (3), legimus etiam variantem: « quae fuit ante ipsam (4) ».

In eadem parte 2. qu. 87, memb. 1, art. 1 pag. 319 b, lin. 16 inter varias definitiones vitae, nomine auctoris tacito, apud Alexandrum de Hales occurrit etiam haec: « *Vita est processio, procedens ab ente quieto et sempiterno et primus motus* ». In solutione articuli, lin. 57, haec definitio repetitur et attribuitur Commentatori *Libri Intelligentiarum.* Item (5) etiam fusius: « *Item, Commentator Libr. de Intelligen: Vita est id quod primo fluit ab ente quieto*

---

(1) Cfr. opp. ed. Borgnet, Paris 1890, vol. 10, pp. 530 seqq. capp. 35-41, ubi invenies Comm. ad istam prop. 13.

(2) Cfr. ed. Parmensem 1866, tom. 21, p. 741, lect. 14.

(3) E. c. in ed. Veneta 1608, tom. 3 p. 567, in propos. 14.

(4) Etiam Albertus Magnus loquitur de *Commento super Librum de causis* et ut auctorem nominat Avicennam: *Item, Avicenna in Commento super Librum de causis.* (*Sum. de creaturis*, tr. 2, qu. 3. art. 1, vol. 34, pag. 339 a.) Sed non serio cogitandum est, Avicennam eiusmodi Commentarium confecisse. Cfr. Bardenhewer l. c. pp. 289, et 53. — Altera ex parte, sicut cl. Bardenhewer exponit, in pluribus manuscriptis distinguitur inter textum Libri de causis et Commentarium eiusdem; et etiam scholastici posteriores velut S. Thomas et Duns Scotus citant dictum Commentatorem. Sed hic Commentator non est alius atque ipse *Liber de causis.* In hoc libro enim singula capita in principio thesim quandam generalem monstrant, et textus sequens non est nisi expositio quaedam prolixior huius thesis, et *catenus* distingui potest inter textum et Commentum, et mentio fieri potest de Commentatore super Librum de causis. Cfr. Bardenhewer, pp. 54, 126 sq, 131 sq, 259. 264, 284. Haec videtur etiam fuisse causa, quare in editionibus antiquis capita inscriptiones habent: *propositio*, non *paragraphus*, quam Prof. Dr. Bardenhewer introduxit. — Similia iam inveniuntur in Procli στοιχείωσις θεολογική, ex qua Liber de causis compilatus est.

(5) L. c. art. 2, § 1 p. 320 a lin. 6.



et sempiterno». Necnon memb. 2, art. 1, p. 325 a, lin. 11: «*Item. in Libr. de Intelligentiis: Vita est processio ex ente primo quieto et sempiterno, primus motus*». — Iste Liber de Intelligentiis et ipse videtur esse idem cum Libro de causis, in quo (§ 17, pag. 179) legimus nuda verba: «*Vita est processio ex ente primo, quieto, sempiterno et primus motus*». Sicut supra pag. 19 vidimus Liber de Causis in antiquis codicibus nominatur etiam: Canones... de intelligentia... sive de causis; et similes denominationes sunt, quae modo proposuimus ex Summa Alexandri, quicumque fuerit auctor quaestionum citatarum. Nam animadvertendum est, alibi in hac Summa voluminosa non reperiri hos titulos pro Libro de causis, atque hoc factum inter alia argumenta nobis dedisse ansam dubitandi, an hi tractatus revera oriantur a manu Alexandri ipsius. De qua quaestione alias fusius agemus. Extra litem autem est etiam temporibus Doctoris Irrefragabilis, imo forsitan temporibus posterioribus, nomen et auctorem Libri de causis nondum firmiter constitisse.

Nusquam enim apud Alexandrum legimus simpliciter *Liber de causis*. Hanc vocem utique semel invenies in editionibus duabus iunioribus, scil. in ed. Veneta 1576 pars 1, fol. 15 col. b. lin. 55; et in ed. Coloniensi 1622, pag. 29 a, lin. 72. At haec lectio delenda erit, quia aliae tres editiones antiquiores, et duodeviginti codices inter viginti, quos ad hunc locum inspexerunt Patres Collegii nostri, legunt: «*Philosophus in Libro de causis*».

8. Neque S. Bonaventura solet scribere simpliciter *Liber de causis*. Iam Prof. Dr. Bardenhewer, cui olim ut ipse ait (pag. 236 nota 3), ex Collegio nostro ad Claras Aquas syllabus omnium locorum in Libro de causis contentorum traditus est, varias denominationes apud Doctorem Seraphicum inveniendas enumerat, scil.: «Philosophus in Libro de causis, Philosophus de causis, auctor in Libro de causis, auctor de causis, Philosophus, auctoritas in Libro de causis, verbum de causis, verbum Philosophi». Deest vox: Liber de causis, simpliciter. Etiam nos examinavimus omnes illos locos quadraginta quinque, qui exhibentur in indice accurato tom. X pag. 276; nonnisi bis occurrimus termino Liber de causis, simpliciter, scil. tom. II, p. 66 a et tom. V. p. 69 a.

9. In Summa de anima a Ioanne de Rupella († 1245) elaborata (1) Liber de causis non citatur, saltem non explicite.

(1) Ed P. T. Domenichelli, Prato 1882.

10. Certe ab Alberto Magno titulus Liber de causis simpliciter saepius adhiberi solet; aliquos locos videas apud Prof. Bard. pp. 253 sqq. Sed et ipse adhibet etiam formulam: « Philosophus in Libro de causis » (1).

Ex praecedentibus pateat, non esse probabile iam Guidonem abbatem circa annum 1200 usum esse titulo *Liber de causis* eoque *Liber de causis* simpliciter.

Item satis elucescat, dictam Summam vel saltem eius prooemium non oriri ab eodem praelato, etsi accipiendum esset eum vixisse et scripsisse usque ad annum 1221, id quod minus verisimile est. Quare eius tractatum non ponemus inter fontes certos Alexandri, sed nonnisi inter fontes dubios. Suspicamur eum exaratum esse a Guidone abbate de Elemosina, de quo Denifle ad annum 1254 scribit(2): « Primus magister theol. Parisiis ex ordine Cisterc. fuit fr. Guido abbas de Elemosina ». Ut idem consortio magistrorum Parisiensium perfrueretur, Alexander IV Summus Pontifex anno 1256 statuit (3). Nihil autem prohibere videtur, quominus is uti potuerit Summa Alexandri anno 1245 defuncti.

Sicut iam insinuatum est, momenta etiam philosophica, praeter alia argumenta, nos induxerunt ad serio dubitandum de authenticitate aliquorum tractatuum nunc in Summa Alexandri legendorum; addimus, etiam quoad Summam de virtutibus eidem Doctori Irrefragabili adiudicatam. De quo alias plura.

Ad Claras Aquas.

P. PARTHENIUS MINGES.

(1) Cfr. *Sum. de Creaturis* tr. 2, qu. 3, art. 4, vol. 34, p. 353 b.
(2) *Chartular. Universit. Paris,* tom. I, p. 251, num. 227.
(3) Apud Denifle l. c. pag. 302, num. 265; cfr. etiam pag. 252, num. 229.



FRANÇOIS DE MEYRONNES O. F. M.

ET LA QUESTION DE LA ROTATION DE LA TERRE (a)

Il y a quelques années, nous avons découvert et publié (1) un texte qui est, croyons-nous, pour l'histoire de la pensée scientifique, d'une importance extrême.

« Beatissime Pater et domine ... (*sic*) domine Eugeni divina providencia Papa quarte, universalis Ecclesie Pastor et Pontifex. Pro parte devotissimorum filiorum V. S., Vicarii et aliorum in Insula Corsice sub Regulari Observancia beati Francisci commorancium humiliter supplicatur, quatenus prefata S. V. pro salute animarum infrascripta paterna pietate concedere dignetur. Primo, ut Vicarius qui pro tempore fuerit, per se vel per alios ydoneos quibus ipse commiserit, omnes et singulos Fratres in dicta Insula commorantes vel in futurum commoraturos professos vel novicios, qui intraverint cum proposito remanendi (in actu professionis [*additio supra lineam, manu Referendarii infrascripti*]), possit absolvere ab omnibus et singulis peccatis et excessibus quomodocumque contractis eciam Sedi Apostolice reservatis, scil. symonie et similibus. Item, ab omnibus et singulis sentenciis excommunicacionis, suspensionis et interdicti similiter Sedi apostolice reservatis. Item, super omni irregularitate ex premissis vel aliquo premissorum quomodocumque contracta, bigamie, homicidii et mutilacionis membri dumtaxat exceptis, valeat in predictis dispensare; et hoc pro semel tantum. Si vero contingat ipsos Fratres vel aliquem eorum incurrere censuras predictas vel aliquam ex eis, et deinde ex talibus aliquam irregularitatem incurrere non ex malicia sed ex ignorancia vel ex inadvertencia, tunc et eo casu liceat Vicario et aliis quibus ipse commiserit, tociens quociens opus fuerit, tales absolvere et cum eis super irregularitate sic contracta dispensare. In quibus omnibus et singulis casibus supradictis et ipse Vicarius qui pro tempore fuerit intelligatur includi. Item, quod tempore prohibito, scilicet yemali, cum necesse fuerit, possint predicti Fratres, quociens videbitur eorum Vicario, navigare, et si quam excommunicacionem contraxerunt in preteritum ob talem navigacionem, absolvi possint; ac eciam illos seculares absolvere qui in talem excommunicacionem tempore preterito ante datam presentis supplicacionis incidissent. Item, quod Vicarius dicte Insule possit accipere ad Tercium Ordinem b. Francisci ingredi volentes ac ipsos habitu illius Ordinis induere, cum nullus sit ibi Minister per quem, ut fieri solet, possint recipi. Item, quod si aliquis Episcopus iam dicte Insule esset excommunicatus a sanctissimo domino nostro vel fuerit symoniacus, quod Vicarius ipsius Insule vel Fratres, quibus ipse commicteret, possint absolvere subditos illius Episcopi ab omnibus casibus Episcopo reservatis, tam in speciali quam in generali ac si particulariter essent expressi, exceptis illis subditis in quos lata fuerit sentencia a Vestra Sanctitate. Item, dictus Vicarius et alii Fratres discreti, quibus ipse commiserit, possint omnes et singulos ad eos ex devocione venientes, quando licencia Episcoporum comode haberi non poterit, in confessione audire et absolvere eos in casibus Episcopis reservatis, ut supra dictum



I. — *Indulgentia plenaria in mortis articulo Monialibus S. Guillielmi ab Eugenio IV indulta, anno 1438* (?) (1).

Beatissime Pater. Ut animarum saluti devotarum Sororum Abbatisse et Monialium ac Conversarum professarum nec non Servitricum Monasterii Sancti Guillielmi prope muros Ferrarienses Ordinis sancte Clare tam presentium quam futurorum (*sic*) salubrius consulatur, supplicant Sanctitati vestre humiliter, quatenus eis ut, confessor ydoneus, quem duxerint eligendum in sinceritate fidei, unitate sancte Romane Ecclesie ac obedientia et devotione dicte Sanctitatis ac successorum eius Romanorum Pontificum canonice intrancium persistentes, omnium suorum, de quibus corde contrite et ore confesse fuerint, plenariam remissionem peccatorum in mortis articulo concedere valeat, dignemini misericorditer indulgere. Ita tamen quod supplicantes ipse, qui (*sic*) ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua illicita commictere non proponant, quam primum de dicta signatura noticiam habuerint, singulis sextis feriis, infirmitate aut alio cessante legitimo impedimento, per unum annum, vel loco feriarum huiusmodi una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum non sint astricti (*sic*), ieiunare, et si in anno predicto vel aliqua eius parte legitime impedite fuerint, anno sequenti vel alias quam primum potuerint modo simili huiusmodi ieiunium supplere, aut si alias forte illud in toto vel in parte quomodocumque commode adimplere nequiverint, alia per confessorem ydoneum, qui illud commutare valeat, eis iniungendo pietatis opera, adimplere teneantur.

CONCESSUM UT PETITUR PRO OMNIBUS PROFESSIS, CONVERSIS ET PERPETUO OBLATIS, QUAMDIU VIXERINT IN OBSERVANTIA REGULARI. IN PRESENTIA DOMINI NOSTRI PAPE. C[hristophorus de S. Marcello a Vicentia] ARIMINENSIS [Episcopus].

Et quod huiusmodi supplicationis simplex signatura sufficiat, absque hoc quod littere apostolice desuper conficiantur, decernere dignemini. CONCESSUM. C. ARIMINENSIS (2).

---

est, ac eciam vota Sedi Apostolice non reservata commutare, secundum quod eorum discrecioni videbitur expedire.

« CONCESSUM UT PETITUR DE OMNIBUS. IN PRESENCIA D. NOSTRI PAPE. C. ARIMINEN. ET SOLA HUIUSMODI SIGNATURA SUFFICIAT SINE CONFECCIONE LITTERARUM. C. ARIMINEN.

(*Tertia manu*) « Datum Ferrarie, quinto Idus maii, anno octavo (= *11 maii 1438*) ».

Verba capitalibus litteris impressa, sunt manu Referendarii scripta. Vicarium Corsicae eo anno Wadd. 1438 n. 28, ponit Fr. Iacobum Sazo Neapolit. ex Provincia Terrae Laboris; sed ipse Vic. Conventualium fuisse videtur.

(1) Notandum, hoc anno Moniales S. Guillielmi nondum ab Observantibus reformatas esse: cf. p. 93. — Hic et infra, titulos ego praeposui.

(2) Eiusdem fere tenoris est alia « Supplica per concessum », quam pariter ex originali nuper edidit P. Athanasius López O. F. M. apud *Los Estudios Franciscanos*, VIII, 1912, p. 60. Eadem Summum Pontificem petierunt Moniales Monasterii S. Clarae de Tauro Zamorensis dioecesis in Hispania, mutato tantum ieiunio in recitationem septem psalmorum poenitentialium cum litaniis et orationibus. Idem Referendarius: *C. Ariminensis* « Concessum » apposuit. Directa ergo fuit et ipsa Eugenio IV, non Martino V; neque petitio, ad quam Martini V Bulla anteriori pagina edita respondeat, dici poterat, cum, ceteris praetermissis, Supplica vim ex se habuisse pateat ex formula: « Et quod presens signatura sufficiat absque litterarum apostolicarum confectione ». Tamen pro re nostra notandum est, tenorem Bullae Martini V, a P. López edi-



Confirmata per nos Paulum de Constabilis Ordinis Heremitarum etc., Antoninum de Alexandria Ordinis Predicatorum et me Octavianum de Ciroldis canonicum Ferrariensem, locum tenentes pro Cruciata in civitate Ferrarie reverendi Patris fratris Pauli de Urbe Ordinis Heremitarum etc., Canonum ac sacre Theologie professoris et dicte Cruciate sanctissimi domini nostri d. Calixti pape 3ii nuntii specialis.

Ego idem Octavianus subscripsi.

II. — *Indulgentia plenaria in articulo mortis per S. Ioannem a Capistrano Ferrariensibus Clarissis a Nicolao V concessa, anno 1450.*

IESUS (1).

Questa si è una memoria, in che modo ce fue concessa la Indulgentia in articulo mortis.

Nelli anni del Signore M.CCCC.L, nel quale tempo fue el Iubileo e in questo medesimo anno fue chanoniçato el nostro glorioso Padre sancto Bernardino; essendo in questo tempo Vichario Generale el nostro reverendissimo Padre frate Çiohane da Capistrano, occurrendoly venire qui a Ferarra, per sua benignità se dignò la sua Paternità vegnirce a visitare. E tra l'altre cose che ce disse, fue questa: çioè ch'el nostro signore papa Nicholò V° concedea a noy, che eramo a quello tempo LXXXV, e a ttute quelle dovevano venire dopo nuy, plenaria remissione e indulgentia *in articulo mortis*, non ce inponendo alcuna penitentia, se non che ce sforçasemo observare la Regula nostra; e che noy in tale caso possiamo ellegere che Confessore vogliamo. (E similemente ce concesse Eugenio papa quarto; e questo disse frate Francescho da Bologna (2) de l'Ordine de li Frati Minory de l'Observancia. E disse in questa forma: che, parlando luy con la Sanctità sua, glie dimandò questa gratia per noy; et essa Sanctità benignamente gliela concesse in questo modo: çioè, che *in articulo mortis* ce concedea plenaria remissione a pena e colpa, non ce inponendo altra penitencia se non che ce sforçiassemo observare la Regula nostra. E inçionse la predicta Sanctità che se etiam caso occuresse ch'el Confessore non ce potesse absolvere, voleva la sopradicta Sanctitade fossemo absolte). Le

tae « D. Florentie V idus (?) nov. p. n. an. secundo (= 9 nov. 1419) » magis cum tenore nostrae petitionis concordare, quippe quae ieiunium eisdem fere verbis et clausulis ad compensationem imponat. Cf. AFH V, 808.

(1) AAF, *S. Guglielmo*, 2, Filza *P*, n. 48. Folium membr. mm. 358×180, cum initiali caerulea, eiusque ornamentis atque rubrica minio exaratis, non multo post medium saec. XV. — S. Ioannes Capistranensis anno 1450, 22 septembris Ferrariae erat, qua die Sor. Margaritam de Mantua Monasterii S. Guillielmi confirmavit Abbatissam, iam a Monialibus electam loco Sor. Clarae de Mantua Abbatissae defunctae (AAF, *S. Guglielmo*, 2, Filza *Q*, n. 4, cum sigillo Vicarii Glis Obs. et subscriptione autographa: quod alias hic edam). — Hoc autem documentum nonnisi per Privilegii participationem Monasterium S. Guillielmi spectare videtur. Nulla enim Sor. Leonarda neque hoc anno neque in subsequentibus inter eius Abbatissas invenitur. In Ferrariensi vero eiusdem Ordinis Monasterio *Corporis Christi* hoc tempore Sr. Leonarda de Ordelaffiis de Forolivii, ut notum est, Sororibus praeerat (cf. *AA. SS.* mart. II, p. 59); ipsaque hanc de proprio Monasterio Memoriam confecisse comprobatur, ex eo quod eamdem etiam exscripsit S. Catharina de Vigris, iam inde Bononiam translata, nomem « Leonarda » in proprium mutans: *Le quali cose io Suor Cattarina indegna Abbadessa*, ceteris vero immutatis (Arch. Archiepiscopale Bononiae, *Fondo della Santa*, lib. 3, n. 2, f. 170r et 186r; quod P. Lucius Núñez O. F. M. mecum benigne communicavit).

(2) De Tinctoribus?, qui an. 1450 Vicarius Provinciae erat: Picconi, *Serie*, 362.



qualle cosse io sore Leonarda indigna abbadessa insieme o con le mie Sorelle e Figliole testificamo avere audite dal sopradicto reverendissimo Padre frate Çiohane da Capistrano alla grada dove ce confessiamo, presente gli venerabili Padri frate Silvestro da Furly (1) allora guardiano qui a Ferarra del luocho de Sancto Spirito, e frate Baptista da Modena (2) allora nostro padre et Confessore. El sopradicto frate Baptista nostro Confessore disse che, domandando al predicto reverendissimo Padre frate Çiohane da Capistrano de posere absolvere de alcuni casxi, respose la reverendissima Paternità sua ch'el Papa gli avea dicto voleva che tutti gli Confessori che confessano le Sore de sancta Clara le posano absolvere de ogny casxo pertinente alla Sede Appostolica. Intendese de quelle Sore che da ly Frati de l'Observantia sono recte e governate.

III. — *Varia Monialibus S. Guillielmi et Ordini S. Clarae a Paulo II concessa, anno 1466.*

IESUS (3)

1. In Christi nomine, amen. Sia noto ad ciaschuno che legerà la presente scripta, che nel tempo che el reverendo Padre fra Marco de Bologna fo la secunda volta Vicario Generale (4) de la Fameglia Citramontana de fra' Minori dicti de la Observanza, essendo mi fra Piero de Napole (5) per la dicta Fameglia suo Commissario o vero Procuratore ne la Corte Romana, et siando mi a li piedi de la Sanctità de nostro segnore papa Paulo secundo ne li anni del Segnore MCCCCLXVI a di XIIII de luglio cerca le XVI hore (6), presente el dicto reverendo Padre fra Marco Vicario Generale e 'l Padre fra Piero de l'Anguillara (7), guardiano allora del convento de Araceli in Roma, ad mia instancia et supplicacione la sua Santità per oraculo de viva voce graciosamente concesse che le Dompne de l'Ordene de sancta Cliara de la Observanza de Sancto Gulielmo da Ferrara presente et future per auctorità de la Sede Apostolica se possano da loro Confessore absolvere ne l'articulo de la morte plenariamente de tutti loro peccati de li quali seranno debitamente contrite et legitimamente confesse, zoè se absolvano da colpa et pena (8).

---

(1) Nescio an idem sit, qui, apud Wadd. 1339 n. 52, eo anno erat Vicarius Ministri Provinciae Bononiae. Cf. Picconi, *Serie,* 103.

(2) Confessarius postea Monasterii *Corporis Christi* Bononiensis, tempore S. Catharinae de Vigris, cui morienti adstitit: *La Santa* etc. (AFH V, 785s.), p. 45, 161s. — Num idem sit, qui ann. 1483, 1489, 1501, 1510 Vicarius Prov. Bononiae electus est, ut vult P. Picconi, *Serie,* 380, 384, 386; *Atti,* I, 86, 108, 124, difficile est credere. Si in *Actis Capitularibus* Prov. error non irrepsit: p. 124 « Anno D. 1510... electus est 2ª *vice*... fr. Baptista de Mutina » (cf. *Serie,* 386), tunc quaestio vix agi posset an Vicarius 1483, 1489 noster fuerit, qui « de antiquioribus, maturioribus, approbatioribus » etc. Fratribus esse debebat iam anno 1450, iuxta *Constitutiones S. Ioannis a Capistrano an. 1443 editae,* cap. XI (ubi agitur de Confessariis Monialium) ap. *Chron. hist.-leg.* I, 109.

(3) AAF, *S. Guglielmo,* 2, Filza *Q,* n. 32. Autographum, membr. mm. 284×200. Ad calcem parvum sigillum orbiculare impressum exstat, in cuius medio legitur verbum: AVE, cum cruce superposita et subtus .P.

(4) Scil. ann. 1464-1467: cf. supra p. 98, n. 9.

(5) Annis 1464-7 Commissarius Rom. Curiae; postea bis Vic. Glis Observantiae, scil. ann. 1475-8, 1481-4: Wadd. ad annos cit.; AFH V, 323s. 327. Cf. *Chron. hist.-leg.* I, 137. (6) Scil. circa meridiem. (7) De eo Wadd. 1453 n. 18 (Vicarius Prov. Romanae); 1458 n. 10 (Guardianus Conv. Aracoeli).

(8) Cf. supra, p. 112.

2. Item, in quello dì et ora concesse che fra Iacobo de Guarisco, procuratore delle dicte Dompne de San Gulielmo, possa ponere le sue biave entre la clausura del dicto Monestiero et cavarele cum li suo laboratori senza vinculo de excommunicacione.

3. Item, nel predicto anno a dì XIII de novembro, cerca la quarta hora de nocte (1), la sua Santità, siando mi a li soi piè, concesse universalmente che in tucti li Monastieri de sancta Cliara soctoposti al governo de' Frati nostri de la Observanza, che se li medici o barbieri, volendo intrare per medicare, non possono avere comodamente dui compagni, como dice la Regula (2), possano intrare senza pericolo de excommunicacione cum uno solo compagno, pur che siano accompagnati sempre, fin che usciranno, da quactro o almeno due delle Sora antiche et provate.

In testimonianza et memoria de tucte le sopradicte cose, mi sopradicto fra Piero de Napole ho facta le presente scripta de mia propria mano et sogillattola de sogello el quale uso. Exhorto le predicte Dompne presente et future continuamente pregheno per la Sanctità de nostro segnore che ha concesso, et per me poverello che ho impetrato.

IV. — *Dispensationes Ordini S. Clarae a Paulo III concessae, anno 1538.*

1. Io (3) frate Ioanni Calvi (4), de' frati Minori Observanti General Commissario, per virtù de le presente attesto me havere obtenuto oraculo vive vocis dal s.mo signor papa Paulo 3°, che le Abbatesse de li Monasterii de s.ta Clara commesse a la cura nostra possano dispensare cum le loro Monache circa il ieiunio et il mangiar de la carne et altre cose grasse, in casu de necessità; cioè, quando viderano dicte sue Monache o per infirmità o per vechiezza o debilità corporale non posser bono modo ieiunare o abstinersi da carne et altre cose grasse etc.

2. Item, che quando vorano recevere a l'Ordine alchuna seculare, la possano retinere in panni seculari dentro la clausura de li lor Monasterii insieme cum loro per spatio de 20 giorni, per experimentare se lei è apta et idonea al servitio de Dio; et si non la piace, la possano mandar via. Et la possano retinere etiam a pernoctare in dicto Monasterio etc. (5).

Et in fede de le predicte cosa ho facta la presente scripta et subscripta de mia propria manu, et cum la impression del mio minor sigillo communita. Data nel Monasterio de S.to Gulielmo de Ferrara, a dì 21 de magio de 1538.

Fr. Io. qui supra, manu propria.

P. Benvenutus Bughetti, O. F. M.

---

(1) Scil. c. horam nonam post meridiem.

(2) Eubel, XVIII, 281. Cf. supra I 4, p. 96.

(3) AAF, *S. Guglielmo*, 2, Filza *X*, n. 54. Autographum, chart. mm. 325-222. Ad calcem sigillum rotundum, in cuius medio Christus impressus est crucem humeris deferens, et per orbem inscriptio: SIG. COMMISSARII GENE. CITRA.

(4) Commissarius memoratur a Wadd. 1539, n. 15s. Anno 1541 electus est Min. Glis, quo officio est functus usque ad mortem, an. 1547: *Annales Min.*, XVIII, p. 4ss., 220.

(5) In Constitutionibus Ord. Fratrum Min. sub Alexandro VI a Cap. Gli Interamnensi anno 1500 editis (*Chron. hist.-leg.* I, 148-208), sancitum erat ne « puellae saeculares pro instructione ullo pacto in interioribus Monasteriis teneantur, nisi habitum ipsa puella in ipso sumat ingressu: l. c. p. 204.



DOCUMENTA QUAEDAM

CIRCA VITAM

FR. THOMAE MURNERI O. M. CONV.

(Finis) (a).

Constat olim Capitula Provincialia Fratrum Minorum magno apparatu celebrata esse, concurrentibus et adiuvantibus civibus urbium, concionibus et disputationibus Fratrum. Hae conciones rarae admodum servatae sunt, unde istam a percelebri Fr. Thoma Murnero in capitulo Provinciae Argentinensis Soloduri anno 1502 habitam (1) denuo typis evulgamus, cum unicum tantum eiusdem exemplar conservatum esse videatur (2).

In hac oratione Murnerus plures Doctores antiquos Ordinis laudibus extollit, itemque Doctores Provinciae qui Capitulo interfuerunt, necnon et cives Solodurenses qui Conventui plura beneficia contulerant. De isto Capitulo quod ceteris sollemnius est habitum, quia in eo Statuta sic dicta Alexandrina publicanda erant (3), MS. quoddam refert (4): « 1502, dominica 4ª post Pentecosten, capitulum celebratum est Solodori, in quo 160 fratres fuerunt e 32 domibus provinciae et 5 doctores, et omnia magnifice per senatum administrata, et disputationes habitae, et processio ad s. Ursum et collatio a Fr. Murnero ». Chronica Provinciae Argentinensis (5) de hoc Capitulo narrat: « Conventus predictus sumptibus dominorum eiusdem oppidi fuit miro in modo restauratus et magnificis muneribus capitulum honoratum; cathedralis disputatio per doctorem Georgium (Hoffmann), lectorem Argentinensem. Dominica, facto prandio, fuit habita processio cum clero ad s. Ursum; eadem die omni laude dignus est sermo litteralis exquisitus a Fr. Thoma Murnèr post Offertorium productus; ceteraque omnia (ut) in convivio regio fuerunt ».

(a) Cf. AFH, V, 727-736.

(1) Cf. Eubel, *Gesch. der oberdeutschen Minoritenprovinz*, Würzburg 1886, 349. — Cf. etiam *monographiam*, quam ipse mox evulgaturus sum de ipso *Fr. Thoma Murnero* (Friburgi Brisg. apud Herderum), p. 21sqq.

(2) Typis prodiit an. 1502 una cum Murneri *Germania nova* [cf. p. 127], cuius unicum quod exstare videtur exemplar, servatur in bibliotheca cantonali Thuregi.

(3) Cf. eadem ap. De Gubernatis, *Orbis Seraphicus*, III, 138sqq.

(4) *MS. II*, (8°) Bibliothecae Cantonalis Lucernae.

(5) MS., auctore P. Berardo Müller, O. M. Conv.; de quo MS. cf. Eubel, l. c. IV.



VII.

Oratio ad Capitulum Solodorense Anno MDII facta.

Magno profuisse videbor, doctissimi patres, multamque suscepte orationis partem explevisse, si quid mei ingenii paucitas equo iudicio benigne sufferatur. Non est profecto, qui rerum admodum difficilimarum abdita pandere volet in tantorum virorum et magistrorum presentia, quin plus solito tremula voce expavescat. Quod autem cum quis facere non erubuerit, haud falsa discretione ultra communem hominum valentiam confidere videbitur. Verum solabantur me, humanissimi patres, vestra benignitas, vestrorum inferioris sortis filiorum hactenus solita supportare, deinde quoque obedientie commendatissima virtus. Tandem vero divina clementia verbum prestet eloquenti vera virtute miranda.

Captatio benivolentie.

Legimus, patres colendissimi, in Arabum vetustissimis monumentis (1), interrogatum Abdalam Saracenum, quid in hac quasi mundana scena admirandum maxime spectaretur, nihil spectari homine admirabilius respondisse. Tandem intellexisse mihi sum visus, cur felicissimum, proindeque dignum omni admiratione animal sit homo. Nullis enim angustiis cohercitus, pro suo arbitrio, in cuius manu positus qui sibi illam prefinire posset, medium in mundum positus, ut circumspiceret inde commodius quicquid est in mundo, neque celestis, neque terrenus, neque mortalis, neque inmortalis effectus, ut sui ipsius quasi arbitrarius honorariusque plastes et fictor, in quam maluerit. tute formam fingat. Poterit in inferiora, que sunt bruta, degenerare; poterit in superiora, que sunt divina, ex sui animi sententia regenerari. Namque, si recta philosophorum ratio est, hunc venerari celeste est animal, non terrenum. Sed quorsum hec? Ut intelligamus, postquam hac nati sumus conditione, ut id simus, quod esse volumus, curare hoc potissimum debere nos, ut illud quidem in nos non dicatur (2): « cum in honore essemus, non cognovisse, similes factos brutis et iumentis insipientibus », sed illud potius Asaph prophete (3): « dii estis et filii excelsi omnes », ne abutentes indulgentissima patris liberalitate, qua dedit ille liberam optionem, e salutari noxiam faciamus animam nobis. Invadat sacrata quedam ambitio, ut mediocribus non contenti anhelemus ad summa, ad que illa (quantum possumus, si volumus) consequenda totis viribus enitamur, dedignemur terrestria, celestia contemplemur et, quidquid mundi est denique post habentes, in ultramundanam curiam eminentissime divinitati proximam advolemus. Ibi, ut sacra tradunt mysteria, Seraphin, Cherubin et Throni primas possident: horum iam nos, cedere nescii et secundarum impatientes, et dignitatem et gloriam emulemur, erimus illis, si voluerimus, nichil inferiores. Sed qua ratione aut quid tandem agentes? Videamus, quid illi agant, quam vivant vitam; eam si nos vixerimus (possumus enim), illorum sortem iam equaverimus. Ardet Seraph charitatis igne, fulget Cherub intelligentie splendore, stat Thronus iudicii firmitate. Si igitur charitate ipsum opificem ardebimus, ceterosque conditoris amore, illius igne, qui edax

(1) Hoc e Pico de Mirandula sumpsit, unde Murneri adversarii eum dire increpuerunt. Cf. Liebenau, *Th. Murner,* p. 19 sqq.
(2) Cf. Ps. 48, 21. (3) Ps. 81, 6.



est, in seraphicam effigiem repente flammabimur. Si actionibus feriati in opificio opificem, in opifice opificium meditantes, in contemplandi otio negotiabimur, luce cherubica undique coruscabimus. Si actuose addicti vite inferioris curam recto examine susceperimus, thronorum stata soliditate firmabimur.

Divisio trifaria.

Ut autem ordine nostra progrediatur oratio, affectataque dicendi cupiditas, tripartitam eam distinximus: Dicturi primum seraphicos spiritus sua inflammata charitate, qua Deum ipsum incessanter ardent, ardebuntque perpetuo, id nobis exemplum amoris imitandum; secundo denique Cherubice intelligentie splendorem proponentes, eo nobis ordine dogmatibus nostris incedendum; tertio quoque observandam iusticiam depromentes, hac exuti miseria, thronorum immensa beatitudine fore gloriandum.

Primus articulus.

Vos igitur, doctissimi patres, qui in dominici gregis custodiam potiorem vocati estis, primos admoneo seraphici amoris beneficia recensentes, illud curare potissimum, quo verus hic amor internus perpetua soliditate roboretur. Quanta vobis ab inmortali deo premia debeantur, consideratote, si respublica fratrum magna ex parte collapsa, sub vestro regimine sapienter gubernata consurgat. Quapropter sic agite, ut opera vestrà latere posse credatis neminem. Coniiciunt enim in vos oculos universi. Non tamen, velim, satisfactum muneri vestro arbitremini, si recte ipsi ambuletis; nam et subditorum ad bene beateque vivendum institutionis cura vobis incumbit. Illud autem si efficere conamini, primos in deum oculos erigite, ut sic onera vestris humeris imposita delicatiori via ferre possitis, si vester in omnes equus amor comperietur. Quo adstipulatur Ambrosianum illud, hominem amare posse neminem, nisi et is primo deum adamaverit. Namque et conditoris amore, condita queque dilectione fovere iubemur. Tanta, inquam, est virtus amoris, ut omnes virtutes, omnia mandata, omnia ad rerum publicarum gubernamina nihil tantopere conducat; quo agnito, salvator noster unicum hoc dilectionis preceptum novumque mandatum ex hoc seculo pro nobis crucem subiturus solum reliquerit, paterna pietate fretus, eo tamen notanter addito, ut mutuo se diligerent charitate, qua prior dilexerit illos (1). Maxime propterea deum nostra mortalitate vestitum, habituque ut hominem apparuisse, sacra tradunt eloquia, ut cognoscat et homo, quantum ab ipso dilectus habeatur, sicque in deum amore, a quo prior dilectus est, inardesceret. Sed dices: Ad quid ista efflagitabam? Ad hoc Tullii *Primo Officiorum* elegans sententia affertur (2): nichil amabilius copulatiusque hoc in orbe subsistere quam morum similitudine iunctos, essetque virtute amabilius nichil, quod aut magis ad amandum alliciat, aut in diuturni amoris ardorem fervidius conservet, quippe cum propter virtutem et probitatem etiam eos, quos numquam vidimus, diligamus. Boni, inquam, bonos diligunt, assistuntque sibi quasi propinquitate coniunctionis atque natura; nichil enim est appetentius similium sui atque natura rapacius. Hec sunt, patres optimi, que de iure vobis subactorum paucis volui seraphico videlicet amore apud fratres vestros inflammari vos debere.

(1) Ioh. 13, 34. (2) L. c. I, c. 9.



Sed revera si rem ipsam lucidius exprimam, certo certius comperio seraphicorum spiritus superbis angelis ingenti prelio restitisse, in bonorum tamen amore perseverasse perpetuo. Sit igitur hoc supernorum spirituum vobis exemplum, ut et vos virtuosos, bonos, humiles, pios atque constantes fratres summopere diligatis, ut vestro tutati patrocinio in puritate vite permanere queant, ne in vos (si malos nimium dilexeritis) dicatur, quod paulo antehac diximus: boni bonos, mali malos diligunt. Manet enim spectator desuper cunctorum prescius deus, visionisque eius presens semper eternitas, qui cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis premia, malis supplicia dispensans. Offenduntur enim (pace vestra dixerim), qui iustitie, magnanimitatis, modestie, prudentieque laudibus se temere extolli velint, qui, dum assentatoribus suis inter mel virus letiferum fundentibus aures suas blando sermone linendas committunt, ea persepe audiant, que fidem sibi ipsis faciunt, se esse virtuosissimos. Hos ne imitemini, patres doctissimi, quandoquidem adulatores, leve genus hominum, (quod) non vobis, sed sue fortune blanditur, tantisper vos honore prosequuntur, donec munera fortune cessarint. Quibus cum private magis quam publice rei sollicitudo menti insideat, ea quandoque nequiter malivoleque in medium afferunt, que huius insidie expertem haud magno labore in sententiam sinistram traducunt. Accusant iam hunc, iam illum, sed falso, sed obiectis criminibus fictis, sed invidia ducti, sed avaritia et cupiditate coacti, sed metu, ne is prevalescat. Sed non est locus recensendorum omnium. Aversamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite; magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas, indita probitas, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. Alliciant vos tandem beatissimi patris nostri Francisci humanissima consilia, quibus et fratres benigno amore suscipiendos fovendosque in Cristi dilectione conmisit (1); quos etiam uti cecutiens atque Iacob moriens in charitate Christi benedixit (2). Vos igitur volo, colendissimi patres, vos, inquam, qui regimina fratrum vestra voluntate moderamini, quosque uti parentes in tutelam vestris meritis acceptatis.

Trahat itaque vos cura vestrorum natorum, cum, ut inquit Ovidius (3), « res est soliciti plena timoris amor », eorumque crimina sedulo emendantes, per quam patientissima doctrina mala patrata tollerare tenemini, ne illud, quod amor in eis edificaverat, impatientie fervore omnia in peius labantur. Ea sunt equidem, que sanctissimus pater noster Franciscus tenenda admonuit, ne scilicet ob crimina fratrum conturbemur (4); ea sunt, patres optimi, que vas electionis Paulus retia animarum apta piscature texuerat. « Argue, inquit (5), obsecra, in omni patientia et doctrina ». Que cum sine vigore amoris esse nequeant, necesse est, ut tante virtutis charitate fatigati supernorum spirituum choris altera felicitate constituamini, quorum hic vitam amore amplexati, vestros fratres charitate adamastis, qua Cristus prior dilexerat illos. Nec vos lateat, quod indubitata mente coniecto, ob culpas, aliquando graves, parentes lugere; quippe cum non inmerito seris doloribus quatiatur, vitamque filiorumque nocentem ingemiscet, qui, cum na-

(1) Cf. Regula I, c. 5, *Opuscula S. Francisci*, Ad Cl. Aq. 1904, 30 sq.; Reg. II, cf. l. c. 69 sq; Epist. (III) ad Ministrum, l. c. 108 sqq.
(2) I Celan. II, c. 7, n. 108.
(3) Epist. I vers. 12.
(4) Reg. I, c. 10, l. c. 72.
(5) II Tim. 4, 2.

scentia scelera temperare valebat, inmoderata tamen vivendi norma proprios natos aut natura aut sorte subactos adornat. Animadvertite, queso, cur ruitura magne urbis Troie menia Grecorum inmanitate patrata fata predixerunt, ut lamentabile regnum (1) Iliaceque opes cum navibus altis interirent; cur denique arx Priami dulcesque nati ac inclita uxor tante potentie regis, proprio cruore sudantes, lacrimis vitam dedere; cur etiam, quod omnium fletu dignius et ululatu, Priamus ipse, cui tot robusti filii, tante divitie, tot regna, tantus denique populus, ut rex unicus Achivorum potuisset sedare furorem, adeo turpem, sanguine madentem mortem subiit? Quis non dicit ideo factum, quia lascivo filio ad Argolicas properanti oras laxiora frena non cohibuit? Hinc eliciendum putavi, patres charissimi, nisi vos cura natorum trahat, hoc in mundo miseram vitam, turpiorem mortem subituros. Adest tandem huiusce dicti in exemplum Tarquinii Superbi neglectus, quo stuprate mentis natum, luxus pudore turpissimum, paterno precepto non castigavit, quin Lucretiam Romanorum pudicissimam incestuoso furore opprimeret; qui tamen parens digna factis recipiens, regno pulsus, divagando profugus in Latiis oris erravit (2). Sed quid idolatrarum gesta recenseo? Videamus, quid hiis (unum verum deum colentibus) accideret, qui tum fors amore paterno ducti, tum etiam lascive mentis turpitudini deservientes, proprios natos fronte severa non corripuere. Nunquid Heli sacerdos et preses ob crimina natorum selle sue insidens corruit, et fracta cervice, ignominiosam iam senex affectus mortem subiit (3). Hoc est, quod proposite rationis causam lucidius enodavit, simili vos aut vel maiori calumnia perituros, nisi tanta vos cura natorum vestrorum trahat, ut ex hiis Deus optimus glorificetur, atque proximus animosior factus, in divini amoris cultum ferventius alliciatur. Hec sunt, charissimi fratres, sanctissimi patris nostri Francisci monita (4), qui divino Spiritu fervens interrogatus, Fratrum habitatio aut ruri aut urbibus degenda foret, urbibus residere iubebat, hominumque tumultui commorari, ut bono cives exemplo edocti, nostra quoque informatione meliores effecti, una nobiscum credulitatis spe fiduciaque gaudentes futuri muneris gratiam expectarent; namque « non sibi soli vivere, sed et aliis proficere zelo dei ductus (5) » optavit. At qui vestri gubernaminis custodiam recenseo, ne adepta presidentia vos solos obligationis vinculo submissos existimetis, sed simili fratres suasionis fervore animare putaveram, qui eadem fidelitatis pronitate, obedientissimaque voluntate vobis subactos se recognoscere iubentur, quod, cum per longum tedium fors piis mentibus ingessissem, unicum hoc cupio, id solum affecto, appetendumque vestris charitatibus propono: seraphico amore vos diligere debere, qua dilectione et presentis vite solamina capiamus et future.

Secundus articulus.

Cumque ducente Deo omnium maximo ad Cherubicam intelligentiam usque deventum est, ea dogmatibus nostris via incedendum

(1) Allusio aperta ad Virgilii Aeneid. II, 4 sqq.
(2) Valerius Maximus, *Dictorum fact. memor.* l. VI, c. 1.
(3) I Reg. 4, 15 sq.
(4) Cf. II Cel. II 41 (al. III, 17) n. 71. Attamen cf. et *Specul. Perfectionis*, ed. Sabatier, 1898, c. 11 et notam editoris.
(5) Ex antiphona I ad Laudes in festo S. Francisci, in *Breviario Romano-Seraphico*, O. F. M., ad 4 oct.



esse multa patrum auctoritate perhibebimus. Profecto si vera feram, si magna rependam, doctissimi patres, nulla sapientia, nulla intelligentia, nulla denique doctrina Cherubin irradiari sacris codicibus offendo quam illius summi Dei ardore, de quo Sapiens ille tradidit (1), ex eius ore ante omnem creaturam primogenitam sapientiam prodiisse. Quomodo ergo ingenuarum disciplinarum callem humana fragilitas se adinvenisse iactitabit, cum nulla penitus ethereis spiritibus (quorum tamen maior est nature capacitas) prudentia commodetur, nisi ab illo summo doctore, qui prudentissima queque sacris spiritibus mortalibusque elargiendo confecit. Non absurdo igitur iudicio sacra Romana ecclesia firmiter observanda mandavit, in publicis doctissimorum virorum disceptationibus nihil debere approbari, dici, manuque teneri, nisi sacrosancta totius ecclesie sinodus tenenda decreverit, utque per devia non errent sancte ecclesie subiecti, que divinis nutibus (et si multis hebetata malis) in presentis seculi anxietatibus moderatur atque feliciter gubernat, recognoscantque singuli (quantumcunque scientia prediti) huius precepti vigore non a se, sed a largitore omnis boni sancta dogmata obtinuisse.

O vos doctores, qui grandia nomina fertis, opere pretium est rerumque publicarum ordinis salubritate perquam necessarium, ut pro egregia illa Socratis sententia « talis quisque vestrum sit, qualis apud alios existimari velit ». Sed quis est, qui non vehementer cupiat « per ora virum volitare (2) », quem non pulcra de se fama delectat; generosi profecto animi est, dum id propter ambitionem fiat, gloriam ardere, que bone indolis adolescentibus ignes ac fervorem ad bene beateque vivendum veluti quedam virtutum adiicit incrementa. Sed cum omnibus fere passim natura insita sit laudis cupido, fit, ut non innocentis modo integreque vite homines, sed improbi etiam quandoque et ignavi ad gloriam anhelent, aures suas blandis sermonibus committentes, audiuntque persepe, qui fidem sibi ipsi faciunt, se esse virtuosissimos, doctissimos, dignissimos lectores, auditissimos predicantes, studentes fervidissimos, quos tamen (ut reor) acheloia Syrenarum prole (3) simphonia admodum dulcissima turpiter deceptos: « plus aliis de te (ut Cathonis sententia dicam) quam tu tibi credere noli ». Statueram apud me (certissime fateor) doctorum insignia meritaque pia fidelitate silentio preterire, baccalaureorum, lectorum, studentum honores tacita mentis quiete pertransire, ne aut blandiri viderer aut religionis zelo, o r d i n i p r o p r i o nimis condonare. Tantum igitur applaudo, quantum mihi illius nephande blanditiei necessitas adest. Ne autem « sanctorum merita inclitaque gaudia (4) » doctissimorum quoque virorum famam reticendo bono viro minus illorum laudibus insudassem, redeo, unde exorsus fueram, cum firmissime sciam, et studiorum iuniores huiusmodi eloquia inardescere. Vos itaque primos, eximii doctores, mea dicta pertingant, qui sanctorum loca conscendistis atque, natura ducente, prima dignitatum culmina obtinuistis. Legimus enim Aristotelis eruditione dominandi sceptra naturam doctis contulisse.

---

(1) Eccli 24, 5.

(2) Allusio ad versus illos epitaphii *Enni* poetae:

> « *Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletu*
> *Faxit. Cur? Volito vivus per ora virum* ».

(3) I. e. Sirenae, proles Acheloi.

(4) Ex hymno de communi Martyrum, in I vesp.

Audite, queso, quantum universe christiane reipublice doctorum nostrorum sudores profuere, ut haud divina sorte sanctissimus pater noster Franciscus suis ipse humeris (ut alter Athlas) dominicam ecclesiam solus relevare conaretur (1). Quanta fecit (obsecro, mihi succenseas), qui et sanctitate et doctrina singularissimus omni mundo resplenduit Bonaventura Angelicus (2), qui corona triplici, quod perrarum est, doctorum videlicet dignitatis, ecclesie et sanctorum, beari meruit! Quanta fecit, qui veteris et nove legis, iudaismi quoque secretissima in propatulo pandit Nicolaus de Lira (3), glossatorum copiosissimus, ut de eo credant, si non lirasset, universum orbem ignorantie vitio errasse (4). Quanta fecit, qui primam doctoratus lauream Parisius ordini, quamquam humillimo, impetravit doctorum irrefragabilis Alexander de Hales (5). Quanta fecit, qui inter cetera egregia a se gesta ab inimicorum rabie Mariam virginem, ut sine labe peccati foret, multa ductus patientia, divinitus adiutus (6), tutavit Iohannes Scotus (7) doctorum subtilissimus, cuius fama percelebris omnes universitates adimplevit, de quo accipe hoc distichon:

« Concepta est virgo primi sine labe parentis,
Hic tulit, hic heresi prelia dira dedit (7) ».

Aliud:

« Inde genus meriti tantum sibi papa refundens
Doctor subtilis dicitur, utque dedit (8) ».

Si quo minus, eximii patres et magistri, mea concio fidelia corda fatigat, revera (cum degenerare nephas) nullo rationis cogitatu id mihi ipsi facilis persuadebo, quo nomine digno semet efferat, qui nominis usum convenienti equitate ferre recusat, intenti, rogo, capiamus que prefati doctores adiumenta fidelibus prestiterunt, ut non indecoro sanctissimus pater noster Franciscus igneo curru illorum quatuor virorum dilucide quaterna rotarum pulsione ad superna vectus celica petierit (9), « nostre militie currus et auriga (10) ». O quanta fessitudine, quantisque periculorum hiatibus sanctissimus pater noster, Cristi Dei basilicam propriis humeris tutavit! Sed intueamur, quam admirabili suorum doctissimorum patrum suffragio adiutus (11)... ea namque uberrima congesta volumina pandunt, que singula ad aerem edicere tempus ipsum abstinet. Satis superque sit, huiusmodi viros magna pro Dei gloria congessisse, deduci posse, ut non inmerito in numerum deorum iuxta Senece sententiam collocarentur, qui tam ardua in dei nomine facta subierunt; inquit enim: « semperque magno constitit nasci deum ». Si itaque, doctissimi patres, eo ipso ad fulgida sidera collocatus dinoscatur Hercules victoriosissimus, quia exanimo iam Atlanti celestia tota sustentanti, ut respirare paululum quivisset, tante molis gravitate viribus destituto, quod medio tempore ipse totius celestis monarchie pondera

(1) Leg. mai. c. 3 n. 10. (2) Cf. AFH II, 314 sqq. (3) L. c. 302.

(4) Allusio ad dictum illud: « Si Lira non lirasset, totus orbis delirasset ».

(5) AFH II, 307. (6) AFH II, 631.

(7) Allusio ad celeberrimam illam Scoti disputationem.

(8) Item. Duo autem disticha desumpta sunt ex quadam Scoti epigraphe, cf. Waddingus, *Annales*, V, 109; Fr. M. Paolini, O. F. M., *Vita B. Iohannis Duns Scoti a Mariano Florentino, conscripta circa an. 1480*, Genuae 1904, p. 14. Ibi pro *utque* legitur *inde*. (9) Cel. I, c. 18 n. 47; Leg. mai. c. 4 n. 4.

(10) Ex antiph. ad Magnificat in I vesperis S. Francisci.

(11) Quaedam deesse videntur.



tulerit; que condigna hiis viris merita exhiberi possunt, qui corpore celum, sapientia mundum, pietate fideles atque celestia cuncta gloriosa reddiderunt! Quos decuit sancta vita, castissima pagina, decebit quoque et vita sine fine beata. Sed taceo consultus; nam et hora deficiet.

Quid etenim de Guillermo Ockam (1), quem tota Parisina facultas patrem, novique dogmatis « venerabilem inceptorem » adamavit? Quid inquam de Francisco Maronis (2) virorum illuminatissimo? Si unquam vel utile vel sanctum fuit illustrium doctorum egregia gesta pertractare, reverendis doctoribus non tam laudes edicere quam etiam plaudere vehementer eisque perpetua premia adeo imprecari precipimur, cum certissimo constet, laudes parentum commendationes esse filiorum.

Quid etiam de Conrado Bondorff (3), ministro nostro recenseam? Profecto nihil nisi eam admodum notissimam omnium fratrum estimationem, ne aut assentatorem arbitremini aut panegiricas leges excessisse. Quod autem omni humanitate totus resplendeat, id fratrum dictis recolligo, ut non magis sui ipsius preceptis pareant servili timore coacti, quam etiam filiorum amore benigni, habeantque timore prelatum, dilectione parentem mansuetum. Non minus itaque doctorum commendanda percunctabor, fratres charissimi, quam vos ad similia facta allicere. Si igitur veritate ministro nostro hoc consuetudinis tribuo, ut non modo crescenti studio iuvenum faveat, docendaque precipiat, verum etiam blando sermone parentes alliciat, roget, commendet, nutriat, suisque elemosinis educat, ob quid vos, patres optimi, eius exemplar subterfugitis, illiusque voluntate allecti, iuniores fratres ad optimarum litterarum studia animare negligitis, ut vobis morientibus, filios non habeatis, qui sapienti pietate vestros oculos claudant? Quanto etiam fervore sacrarum litterarum studia adamavit, illud testimonii omnes novimus, quod longa paupertate, diuturno sudore, mora prolixa, stabili quoque mente in finem usque sedulo voluminibus legendis intentus insudavit. Quo se culpatissimos nostri studentes existiment, qui, cum delicati martires educantur, externorum regnorum duritiam ferre non possunt, meliores deo effecti annos abbreviant, statuta tempora scindunt, mareque videntes pedem retrahunt, transeuntes autem anseres audaces (4) denuo redire videntur. Sed qua doctrina reverendus pater noster tam clero quam etiam populo Cristi profecerit, Argentini latissima testimonia prebent; et viginti quatuor annis docendo fine gratior esset principio predicaturus. Que ex ea ratione tacere non potui, ne a dicenda veritate continerem, ne etiam aliquorum lectorum desidiam omnino indiscussam preterire videamur, qui « a bimatu et infra (5) » gloriosa verba fundere possunt, quibus exactis, libelloque finito, nullus homo contra ergo et sortem non contra subaudite ad repetenda, que primo anno predicaverant (6).

Sed huiusmodi quare contingunt? Non dabitur causa potior quam quod sui ministri consuetudini adversantur, studiorum frequentiam negligentes, nec scripto colligunt, que nudius secundus, tertius aut

(1) AFH II, 636. (2) L. c.

(3) Erat Minister Provincialis Argentinae 1498-1510, qui Capitulo isti Solodurano praesidebat. De eo cf. Eubel, *Geschichte der oberdeutschen Minoritenprovinz,* Würzburg 1886, 167, 345-50. Glassberger, *An. Fr.,* II, 515.

(4) Lectio dubia. (5) Cf. Matth. 2, 16.

(6) Locus lectionis dubiae. Intellige: Nullus eos cogere poterit, post absoluta studia, haec repetere.



quartus predicaverunt. Sed veritati parebimus, quia nusquam dominici verbi satorem quemcunque efficere putabimus, nisi patris nostri humanitate ametur, studiosos diligendo collaudetur, litterarum perseverantia commendetur atque sermonum habundatia terminetur.

Quas etiam magistro Georgio Hoffman (1) meritas laudes adscribam? Non paucas cognovi in tanti viri et doctoris locum dignissimum conscendisse, cum liquido pateat, non somno, non temulentia, nulla quoque inscitia, sed maximorum studiorum intelligentia, summaque et vigilantissima indagine ad huiusmodi provincie nostre gradum promotum. Quo tamen dogmate prepolleat, quaque doctrina preditus sit, omnes longe lateque externe provincie asseverant, qui non persone cognitione, sed gestorum suorum ardua commendare noverunt. Quibus etiam fratribus reverendus pater noster [minister provincialis] boni prelati more non se facilem prebet, si omnium singularis delinquentium fratrum interpres et pater veniam precatur, predaturque eandem, ut haud inepto pectore provincie nostre refugium sit pauperum vocitatus.

Qua denique Iohannes Mentzer Columbariensis (2), Thomas Germundlin Argentinus, Laurentius Essenpeck Ratisbonus (3), doctores eximii dignitate et scientia preponderent, temporis anxia peroranda vetabant. Satis superque sit omnibus novisse, non nisi integerrimos viros ad illarum dignitatum culmina ascendere. Hiis omnibus demonstrasse videor, nostros doctores cherubica intelligentia ut sidera clara in orthodoxa fide refulsisse. Sed pro laude baccalaureorum, lectorum, studentum et aliorum fratrum hanc potissimam capio, quod tam docto prefatorum patrum et magistrorum regimine ducimur, fovemur atque salubri dogmate in finem tendimus sine fine beatam.

Tertius articulus.

Diximus tertio actuose addictos examine probo inferioris vite curam suscipientes, haud dubie felicia Thronorum gaudia prestolare, si iustitie modulamina equa libratione in omnes partirentur, cum meritum sit iustitia et ministra gaudiorum. Quare nimirum perpetuo letabuntur munere, qui affectato corde hac in vita iustitiam benigni gesserunt, quamque optimarum rerum opere luce clarius demonstrarunt. Quod igitur brevibus plurima claudam, quia tempus inter digitos labitur. Multo congrua sunt, que proposito favent in 2º *libro Officiorum* Tullii (4) conscripta. « Iustitia, inquit, est fundamentum perpetue commendationis et fame, sine qua nichil potest esse laudabile ». Qua igitur digna commendatione Solodorenses efferam, ceterosque sue terre fideles, quos vulgo Suitenses nuncupamus, id (deum testor) dumtaxat recenseo, quod omnis longe lateque homines testimonium tribuunt, quippe cum audiunt eorum improperia, incommoda, aliaque pericula, integerrimos viros veluti aurum probatissimum mundantia. Sunt utique, inquiunt, et Suitenses pectore bono, fideles homines; plurimi credunt Deum offendere, qui huic populo admodum piissimo mala inferre nituntur. Sed verbis parcam; nam et eorum opera dicta complebunt. Itaque primum iustitie munus est, Deum timere supremum.

---

(1) Eiusdem Provinciae, et successor Conradi in Provincialatu, 1510-1529: Cf. Eubel, l. c. 167, 350. Hic in isto Capitulo disputationi cathedrali praesidebat; l. c. 349. Supra, 118. (2) L. c. 346 ss. (3) L. c. 347 ss.

(4) L. c. l. II, c. 20.



Charissimi patres, intentas aures commodate, que de Solodorensibus dicturus sum, ut vestris in locis referre possitis, quo amore Solodorensium educamur. Si sanctissimum patrem nostrum Franciscum eo ipso ad sidera tollere novistis, quia voci ter ad se facte paruerit, ruinosam basilicam reparaturus (1), quibus, obsecro, orationibus celestia Solodorensem populum possessurum appetere stringimur, qui nullius iussu admoniti, sed innata potius iustissima devotione, quam erga nostrates et Ordinem gesserunt, nostrum conventum de trino excidio sumptuose repararunt. Franciscus parentis sui thesaurum, quem habere nolebat (2), in Christi edificia elargitur; Solodorenses autem proprio nummo, quo revera pauperes plus indigebant, in nostri loci resarcinam prestiterunt, ut gloriosa premia egentes cives (cum paupercula muliere, que assem unum Salamonis templo contulit) (3), in ventura vita consequantur. Quam velit, omnes rogamus latis in coelum oculis, deus ipse tam piis et pronis civibus impertiri, atque hic et in futuro faustissimos et ab omnibus insidiis incolumes Maria virgo suo filio pro tanto beneficio presentare. Quis non dicet iustissimos Solodorenses, qui tam pre timore Deum in proximo venerantur, nostram religionem adamantes. Profecto iusti omnique equitate plenissimi, qui parentibus honorem ferre noverunt, patriam diligunt, cunctis prodesse cupiunt, nulli nocere fraterne charitatis vinculo ut montes stabilissimi servant. Aliena pericula suscipiunt Salvatoris more, qui pro nobis patitur, ut nos liberaret. Licet Solodorenses quondam cum aliis sibi iuramento confederatis pro totius Germanie solo, quam Charolus Burgundionum princeps sue ditioni subiicere affectabat, virili pectore bellarunt, ipsi paulisper afflicti, ut alios a Charoli tirannide tuerentur, miseris opem contulerunt (4). Hii enim, qui pro republica ceciderunt, in eternum per gloriam vivere dicuntur, cum quibus et nos in ventura felicitate vivamus.

VIII.

Haec oratio referenda est ad Murneri librum, qui *Germania Nova* inscribitur, quem vulgavit anno 1502 contra Iacobi Wimpfelingi *Germania* (1501) (5), qui in eo quoque versabatur, ut probaret Alsatiam semper pertinuisse ad Germaniam. Murnerus quidem hoc non negat, sed plura argumenta Wimpfelingi more suo impetit (6), et dicta quaedam circa Gallos temperat et moderatur. In sequenti autem Oratione sui ipsius apologiam texit (7).

(1) Leg. mai. c. 2 n. 1. (2) L. c. n. 3. (3) Marc. 12, 42.

(4) In bellis quae Carolus, Temerarius vel Pugnax dictus (1467-77), movit. Helveti sive Suitenses eum vicerunt in praeliis apud Granson (1 mart.) et Murten (22 iun.) 1476 commissis.

(5) Cf. de hac controversia litteraria Martin, E., *Iacobi Wimpfeling Germania übersetzt und erläutert*, Strassburg 1885; Knepper, J., *Nationaler Gedanke und Kaiseridee bei ben elsässischen Humanisten*, Freiburg i. Br. 1898, 48 sqq.; idem, *Jakob Wimpfeling (1450–1528) sein Leben und seine Werke*, ibid. 1902; Liebenau, op. cit. p. 18 sqq.; 28 sq.

(6) Libri illi Wimpfelingi et Murneri insimul prodierunt denuo, sed sine oratione Soloduri habita: *Iacobi Wimpfelingii Germania ad Rempublicam Argentinensem*, et *Thomae Murneri ad Rempublicam Argentinam Germania nova*, Argentorati et Gebennis 1874.

(7) Cf. AFH V, 727, 729 not. 3.

Ad Mariam Virginem.

Inc. «L'abate Arsenio quando Elli era secolare standosi nel palagio pregò Dic». *Des.* «che Dio suscita il povero dalla terra e levalo dalla puzza, acciò ch'elli seggia co'suoi principi nel giudicio».

2. f. 10r–16r. [**De paupertate** Epistola exhortatoria cuiusdam Fratris Minoris(?)].

Inc. Mandaste, madre, da parte della Caminiera che grande desidèro e nuovo stimolo avea l'anima sua d'essere povera per l'amore de Xpo Ihu». *Des.* «Oi Caminiera, lascia il guereggiare e sposati di Xpo dolce amore. Sia Caminiera e no caminieri. Pregate lo nostro amoroso diletto Xpo ıhu per me, che vi rimando questa lettera; e sappiate ch'io fui alla Verna a questi di. Siavi racchomandato lo guardiano».

Sequuntur Laudes duo spirituales, apud Tenneroni, *Inizii,* desideratae: f. 16r-17r «Lasso perchè m'affino di dolore», f. 17r-18r «Con amorosa fede salutiamo», et mutilus tractatus de Oratione f. 18r-19r: *Inc.* «Intra l'altre cose le quali sono utili a quelle persone che dal mondo sono partite si è l'oratione». *Des.* «E li molti anni le parevano un'ora, imperciò che di[ce] Davit profeta che a coloro che sono...». E quaterno folia interna 4-5 avulsa sunt.

3. f. 20r–48r [Excerpta e **Stimulo Amoris**].

Primum excerptum ob superius dictam causam mutilum *Inc.* «.... et con afecto et con perseveranza et patienzia in fino alla mia fine, acciò che tu sii a me ongne cosa in tutte le cose». *Des.* f. 23v: «in fino a tanto che io ti ritruovi, che se'suo riposo; ini si riposi



il mio desiderio ». = *Stimulus amoris*, apud *Bibl. Franc. Ascetica M. E.*, IV, p. 4 lin. penultima - p. 13. — 2m excerptum, f. 23v-26r: *Inc.* « Stabat iuxta crucem mater Ihu. Dice S. Iohanni ». *Des.* « Dei amare lo bene del proximo come il tuo medesimo et maximamente il bene spirituale ». = L. c. cap. XV, p. 77-82. — 3m excerp. f. 26v-31r: *Inc.* « Correte, genti ». *Des.* « nessuna cosa mi contristi se non la colpa mia ». = L. c. cap. XIV, p. 67-76. — 4m exc. f. 31r-v. *Inc.* « Molto ci dovemo meravigliare ». *Des.* « da te si diparte ». = L. c. cap. II, p. 14. — 5m exc. f. 31v-33r: *Inc.* « O benignità de l'Altissimo ». *Des.* « se permarrai in questo grande timore ». = L. c. cap. VI, p. 28-31. — 6m exc. f. 33r-34v: *Inc.* « Altezza della sapienza ». *Des.* « comunque vollie grande pena ». = L. c. cap. VIII, p. 37-9. — 7m exc. f. 34-38r: *Inc.* « La carne contro lo spirito ». *Des.* « io ti assolvo, qui vivit et regnat *(sic)* in sec. seculi ». = L. c. cap. XIII, p. 62-6. 8m exc. ff. 38r-43v: *Inc.* « Ad compassione avere ». *Des.* « Chi vuole questo benefitio che è detto, ricorra a sancto Francescho e guardi la sua vita e seguila come suo buono figliuolo ». = *Stimulus amoris* maior, ap. S. Bonaventurae *Opera omnia*, ed. Parisiensis, XII, 1868, p. 635ss., pars I, cap. II, a quo tamen in fine differt. — 9m exc. f. 43v-46r: *Inc.* « Se della dampnatione eternale ti viene cogitatione ». *Des.* « e che nel suo servigio non si diletta ». = *Stim. Am.* minor cit. cap. III, p. 15-18. — 10m exc. f. 47r-48r: *Inc.* « Del proximo ricevi una breve doctrina ». *Des.* « Non ne curerai più che tu l'avessi fatto in privato, che nullo t'avesse veduto ». = L. c. cap. XXI, p. 120-1 ad l. 10. — Versio saepius est libera et contracta.

f. 46r-47r inserta est antiqua laus sacra: *Rubr.* « Innocentio papa diede a tutti coloro che leggono questa oratione et a coloro che l'odono con divotione per ciascuno dì iij anni perdonança ». *Inc.* « Regina potentissima sopra lo cielo exaltata ». = Cf. Tenneroni, *Inizii*, 227, ubi nulla huius codicis fit mentio, et E. Monaci, *Crestomazia italiana dei primi secoli*, II, 451-6, a cuius lectionibus nostra plurimum differt. — F. 48v. vacuum.

Reliquum codicem occupant: f. 49r-71r: « Libro di messer Bernardo sopra le VII ore ». *Inc.* « Sette volte lo die », iam S. Bonaventurae tributum; cf. *Op. omnia*, ed. Ad Clar. Aq. X, 27; f. 71r-79r « Doctrina dell'anima ». *Inc.* = Anima, la quale ami Xpo e solo in Xpo ai riposo »; et post Legendam S. Margharitae Virg. et Mart. versibus exaratam (f. 79r-105v), tractatus « Il dì del giudicio ». *Inc.* « Fratres karissimi, reverisce *(sic)* S. Matteus evangelista che li discepoli domandarono lo nostro Segnore I. C. e sì lli dissero: Messere, quando saria lo dì del giudicio? » f. 106r-112r.

Cod. n. 1478 chart. et membr. mill. 150×110 ff. 191, ex pluribus compactus codicibus pluribusque conscriptus manibus saec. XV-XVI. In principio et ad calcem folium unum pro custodia. In principio duo alia insititia, cum indice. In dorso ligaturae recent.: *Miscellanea | Sacra | sec. XV-XVI.* Infra notata, omnia ad saec. XVI spectant.

Codex, vel saltem maior pars ipsius ad Monialem vel plures Moniales pertinuit. Pars 1a f. 1-50, quae admonitiones et catechisticas elementares collectiones continet, ad « sorella mia karissima » directa est a quodam monacho, qui f. 37r se subscribit « *Tuus fr. Benedictus in S. Salvio indignus* »; ordinis scil. Vallis Umbrosae. F. 50-59 membr. saec. XV exhibent elenchum excommunicationum latarum « a iure communi ». Reliqua ad usum Monialis vel plurium Monialium (plures enim manus scripserunt) Ordinis S. Clarae certo fuerunt; inter quae tantum haec recenseri pretium est operis:

1. ff. 60r–76r. [Sermo **de Vita christiana** in genere **anonymi Fratris Minoris**].

Inc. « Renovamini in novitate sensus vestri et probetis q. s. vol. D. bona benepl. et perfecta. Il glorioso apostolo Paulo dice adunque così: Voi il *(sic)* quali per la divina gratia sentite in voi essere facto mutamento, renovatevi in essa novità del vostro sentimento: il quale renovamento si fa mediante la sacra confessione », f. 65r habetur: « Di questo amore essendo il nostro padre S. Francesco inebriato, gridando diceva: Tanto è il bene ch' io aspecto, che ogni pena mi è dilecto ». *Des.* « perochè fra tute le pene che sentono e dannati, questa molto gli afrigge ».

2. f. 82r. Comemoratio **S. Francisci** Patris nostri. **Antifona.**

« Francisce decus Italie, splendor sapientia (sic) reghulator sanctimonie, odor pudicitie omnium fidelium, gloria fratrum Minorum, gratia Cristi portans stimata, pauperum pater inclite, populorum victoria, te venerantes assidue duc nos ad celi gaudia. Ps. Dominus regit me. Hi[m]nus. *In celesti collegio.* ℣. Subrimasti *(sic)* Domine servum tuum Francisscum. ℟. In celesti gloria. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum Salvatoris nostri exemplum famulum tuum beatum Franciscum in mundum venire tribuisti et imaginem expressam eiusdem Domini nostri Iesu Cristi i[n] corpore suo portare fecisti, concede propitius, ut perfectionis et devotionis eius habere documenta e[t] glorificationis ipsius in celesti patria consortia mereamur. Per Dominum nostrum Ie[sum] ».

3. f. 82v. Commemoratio **S. Clare** matris nostre. **Antifona.**

« Clara virgo, fros(!) rosarum, consolatris(!) dulcis desolatorum, tuo orationis interventum *(sic)* sanctorumque concentu tuis sanctis precibus fac me gaudere semper. ℣. Spetiosa facta es et suavis, beata Clara. ℟. Ideo concupivit Dominus Iesus decorem tuum. *Oratio.* Domine Iesu Criste lux clara et vera de lumine sancto quesumus crementiam *(sic)* tuam, ut intercessionem beatissime Virginis tue Clare matris nostre mentes nostras illuminare dignieris *(sic)* ut semper tibi sancto animo et mente et corpore serviamus ».

4. f. 107v–109v. [**Exercitia spiritualia** S. Bonaventurae tributa].

Rubr. « Inchominciano li exercitii di sancto Bonaventura ». *Inc.* « Acciò che tu ti conservi nelle virtù ti bisogna avere li exercitii spirituali con li quali tu occupi l' anima tua. In prima adunque ti exerciterai ferventemente nella sancta oratione ». *Des.* « E così faccendo potremo dire chon Paulo allegramente: Conversatio nostra in celis est, e desidero che l' anima si separi dal chorpo et essere con Xpo, e chosì faccendo etc. Finis ». = Inter spuria. Cfr. *Opera omnia,* VIII, p. CXIV.

5. f. 109v–116v. [**Contemptus mundi** S. Bonavent.].

Rubr. « Seguita una hoperetta chomposta da santo Buonaventura del dispregio del mondo ». *Inc.* « In prima nota che sette cose sono in el mondo ». *Des.* « e fiducialmente aspectare la futura gloria. Amen. Finis. Laus Deo et beate Marie Virginis *(sic).* ». = Editum lat. S. Bonav., *Opera,* VIII, 656-7 (inter dubia).



6. f. 117r–131r. [S. **Bonaventurae De triplici via** alias **Incendium amoris**].

Rubr. « Finita una operetta del dispregio del mondo, seguita una operetta utilissima chomposta da sancto Buonaventura chardinale chiama[ta] Itinerario in se medesimo ». *Inc.* « Ecce descripsi tibi tripliciter. Proverbiorum XXII c°. Chonciosia chosa che oggni scientia ». *Des.* « raghunati e congreghati insieme nella ecclesia. *La seconda* ». Tractatus mutilus desinit. — Cf. S. Bonav., l. c. 3-8, § 2.

7. f. 131v–183v. [Varia ad usum **Sororis Mariae Baptistae** Ord. S. Clarae Monialis].

a) f. 131 v. Meditatio de Corona Iesu, quae sequitur et completur f. 136 v-137 r, 145 v-146 r.

b) f. 132 r-136 r. Meditationes in Iesu C. Passionem. In capite f. 134 r « Ihesus, Maria, Francisce, Clara ». De eadem fragmentum insertum est f. 154 r-v.

c) f. 137 v-145 r. Considerationes ad se praeparandum ad festum S. Ioannis Baptistae. f. 139 r. « Questo è uno presente che lo angelo chustode a cte, sorella Maria Batista, ti insegna nella solennità del tuo caro Giovanni Batista ». *Des.* « E prega Dio per lo scrictore per amore del tuo Batista. Amen ».

d) f. 146 v-148 v. [Praeparatio ad festum beati Francisci].
Inc. « Carissima, essendo voi tucta innamorata e infervora[ta] inverso questo vostro babo sancto Francesco ». *Des.* « tre volte la settimana la diciprina. Finis. Orate pro me scribenti tibi dico legentis *(sic)* ». — Usque ad fol. 153 v sequuntur alia exsequenda in solemnitatibus Pascharum, Nativitatis Domini, Purificationis B. M. V., Sanctae Mariae Magdalenae etc.

e) f. 155 r-158 r. [Regulae vitae spiritualis].
Inc. « In prima ti bisogna da tucti li beni transitorii levare l'affecto ». *Des.* « ti conceda gratia che possi questa doctrina con salute dell'anima e del corpo seguitare Amen. Deo gratias ».

f) f. 159 r-168 v. [Doctrina spiritualis].
Inc. « Havendomi pregato più volte, figliuola charissima, che ti dovessi et *(sic)* dare qualche salutifero consiglio ». f. 164 r-v: « Ma solo pensando l'esser loro (le Prelate) poste in luogho di Dio et di S. Francescho e di S. Chiara, et quando ti comandano o parlano, pensa ha Dio o S. Chiara ». *Des.* « e fortificherà la fede, fermerà la speranza et infiamerà in te la carità ».

g) f. 169 r-173 v. [Regula bene vivendi].
Inc. « La sera innazi che tu vadi a posarti penserai ». *Des.* « et frequente e pura e aperta confessione. Finis ». = Usque ad fol. 178 v. agitur de quindecim gradibus ascensionis in Paradisum, de doloribus B. M. V. etc.

h) f. 180 r-183 v. [Admonitiones spirituales].
Inc. « Amor meus Ihs. Mariae filius. Sappi, figliuola carissima, che lla madre di Dio è somma purità ». *Des.* « non dirò altro se non che preghi Idio per me ». *Rubr.* « Amen. Laus Deo. *A uso di Suora Maria Batista* ».

8. f. 185r-191 [Praeparatio ad Adventum Dni].

Inc. « Dopoi, o Sposa del Signore, che le lachrimose voce di quegli reverendi Padri che erano nel Limbo ». *Des.* « curare che sia semplice e picholine... ». = Mutilus relinquitur in fine.

Cod. n. 1480 membr. mill. 150×110 ff. 88 saec. XIV exaratus cum initialibus et titulis rubricatis. In principio et ad calcem tria folia chart. insititia pro custodia. Ligatura membr. Continet:



1. f. 1r-80v. [**Meditationes** vitae D. N. I. Christi].

Rubr. « Inchomincia il prologo nele meditationi di messer Gieso Cristo nostro redemptore ». *Inc.* « Intra l'altre grandi virtudi che si legghono di santa Cecilia ». *Des.* in cap. XXXIX « e perche anchora s'inchomincia oggi mai a ristorare di prima la loro ruina in tanta multitu[dine]... ». = Pluribus in locis mutilus. Cfr. Morpurgo, p. 495. Cfr. **Cod. n. 1413.**

2. f. 84r-88v. [E **Stimulo Amoris** excerptum].

Rubr. « Della dolceça della Croce e della carità di xpo e della nostra ingratitudine ». *Inc.* « Chorrete, genti, d'ogni parte ». *Des.* « e nulla cosa mi contristi se non la colpa. Deo gratias. Amen ». = *Stimulus Amoris* minor cit., cap. XIV, p. 67-76. Cfr. **Cod. n. 1472,** n. 3.

Cod. n. 1486 chart. mill. 145×105, ff. 129, saec. XVII exaratus. In principio tria sunt folia insit. pro custodia et unum ad calcem, triaque alia vacua non num. Ligatura chartacea, in dorso inscriptio: *Regole | per i | Novizzi | Cappucci | ni.* Continet:

[**Instructionem Novit.** Ord. Min. Capuccinorum].

Tit. « Instructione alla perfettione per li novitii Capuccini che vogliono far profitto. Proemio ». *Inc.* « È certo appresso tutti li dottori el l'insegna S. Tomaso che quelli che vogliono menare vita religiosa ». Fol. 2v. « Prima parte ». *Des.* fol. 86v. « l'esame di conscientia. Parte seconda di quelle cose che s'hanno da essercitare di tempo in tempo li Religiosi che vogliono fare proffitto spirituale. Essercitio primo. Della santa confessione sacramentale et delle sue parti. La Confessione ». *Des.* fol. 129v « di toglierlo e quando finalmente... ». Mutilus relinquitur.

Cod. n. 1487 chart. mill. 145×105, ff. 149, saec. XV exaratus, cum initialibus et titulis rubricatis. In principio tria sunt folia insit. pro custodia et aliud non num., aliaque tria ad calcem. In ligaturae dorso inscriptio: *Chroniche | dei | Frati Minori | Sec. XV.* Continet:

[**F. Angeli de Clareno O. F. M.** De septem **Tribulationibus Ordinis Fratr. Minorum** italice vers.].

Tit. « Incominciano le croniche dell'ordine de frati Minori ». *Inc.* « Queste quactro scricture o vero storie chi lleggerà diligentemente ». In fol. 3r. *Tit.* « Come Cristo, pregando F. gli rivelò dovesse vivere secondo la vita che llui tenne in questo mondo. Capite secondo ». *Inc.* « Cognobe adunque et ricivecte ». In fol. 48v. *Tit.* « Comincia la 2ª persecutione dell'Ordine dopo la morte di sco. Fr. . . . . ». *Inc.* « Contro questo huomo di Dio santo infiammato de l'amore ». In fol. 142r. *Tit.* « Questo e l'ultimo c.º di questo libro nel quale se contiene le gran cosse che dicsse Sco. F. et dell'Ordine future ». *Des.* opus f. 143v. « Satanasso non aveva victoria di loro ma ssarà conchulcato dalloro sotto li loro piedi. Et sarà il loro maestro Idio Ihesu Christo et lo Spirito sco. in secula seculorum. Amen. ». = Sequitur tabula capitulorum usque ad fol. 146v. Inter fol. 148r-149r. pauca inveniuntur, sed parvi momenti, circa quosdam ex ord. Min. Generales Ministros. = De codice cf. F. Tocco, *L'Eresia nel medio evo,* Firenze 1884, 419 sqq., ubi plura Chronicae fragmenta vulgavit ex hoc codice, tacita eius signatione; e quo postea partem Tribulationis VI edidit ap. *Archivio storico italiano,* 1886. XVII 12 segg. Codicem descripsit R. P. Fr. Ehrle, ap. *Archiv. f. Lit. und KG.,* I, Berlin 1885, 155; cf. ib. II, 125. Cf. AFH III, 142-3.



Cod. n. 1488 chart. mill. 145×105 ff. 112 saec. XV, cum titulis et initialibus minio scriptis; membrana ligatus. Continet preces et tractatus spirituales, inter quae:

1. f. 9r-v. [Rhythmus de Gaudiis Virginis Mariae].

Rubr. « Salutationi alla Vergine Maria ». *Inc.* « Gaude virgo Mater Xpi ». *Des.* « in perhenni gaudio ». = S. Bonaventura, *Op. omnia,* VIII, 677 s. Sunt octo strophae; sex enim ibi editis adduntur: post 2^m gaudium « Gaude q. magi dona », et post 4^m « Gaude V. quam commisit ».

2. Inter *extracta ex dictis SS. Patrum* etc. f. 14-28 collecta, nostros scriptores spectant: f. 17v-20r. *Rubr.* « Bonaventura cardinale della obbedientia ». *Inc.* « Perciò che alla via della salute niente è più sicuro che la via della humile obedientia ». *Des.* « Lo vero obediente... tutto dentro si raccoglie acciò che di fuori faccia la volontà de chi gli comanda ». = *Regula Novitiorum*, cap. XIV; *Op. omnia,* VIII, p. 488. — f. 24r-25r. *Rubr.* « Della humilità, frate Egidio ». *Inc.* « Per consideratione de' benifici di Dio ». *Des.* « dia vergognare di seguire Dio huomo fatto humile ». = Cfr. *Dicta* cit. p. 12.

Cod. n. 1489 membr. mill. 150×105 ff. 162 saec. XIV cum initialibus et titulis rubeis exaratus. In principio et ad calcem duo folia chart. insititia pro custodia. F. 4r-155v. liber Isaac Abbatis syriaci. Reliqua addidit altera manus. Ligatura membr. Notanda:

1. f. 2r. [Ex **Legenda Maiori** S. Francisci].

Rubr. « Ne la Legenda di Santo Francesco VII cap. ». *Inc.* « Una volta adivenne al servo di Dio santo Francesco una grande maraviglia. Ciò fu che andando verso la città di Siena per giusta necessità sì gli vennero innanzi tre femine ». *Des.* « in questo non fosse vinto da alchuno ». = S. Bonaventura, *Legenda Maior*, c. 7. n. 6.

2. In f. 3v. Imago Crucifixi depicta cernitur, ante quam b. Franciscus genu flexo crucem amplexus, ipsi hominem recommendat ex altera parte item genu flexum. In f. 9r. alia imago S. Francisci, cui Seraph Stigmata infigit, perspicitur.

3. f. 156r-161r. « Incipiunt *Letanie secundum ordinem romane Curie* » in quibus nullius Sancti nostri Ordinis mentio fit, sed inter sequentes orationes hae inseruntur: « Beatissimi patris nostri *Francisci,* quesumus Domine, assit nobis pia et devota supplicatio, in cui[us] carne mirabili prerogativa passionis tue stigmata renovasti ». « Assit nobis, Crucifixe Salvator, per dilecti tui merita, preces et stigmata sacra vivifice crucis tue virtus splendor et santitas (*sic*), ut sicut nos per eam tuo sacro sanguine purgas, ita et lumine dirigas et Santi Spiritus igne succendas ».

4. f. 161v. [Rhythmus de Gaudiis Mariae V.].

Inc. « Gaude Virgo mater xpi ». = Cf. **Cod. n. 1488,** 1, cuius strophis nona additur post tertiam: « Gaude V. quem portasti ».

Cod. n. 1491 membr. mill. 140×95 ff. 67 saec. XV cum initialibus et titulis rubeis atque a pluribus manibus exaratus. In principio et ad calcem tria folia chart. pro custodia. In fol. 67v. chart. legitur: « *Ad usum frate Antonio a Florentia* ». In dorso ligaturae haec profertur superscriptio: *Regola* | *dei* | *Fra' Minori* | *Sec. XV.* Regula et Testamentum S. P. Francisci plurimum usui inservivit, ut



ex foliis non parumper deturpatis apparet. In fine Testamenti legitur: « Questa regola si e all uso del luogo... ». = In loco nominis conventus deleti, fuit scriptum: « *di frate Antonio da Firenze* ». Notanda:

1. f. 1r-7r. [**Regula** II Fratrum Minorum].

Iuc. « Honorius episcopus ». *Des.* « Pontificatus nostri anno octavo ». = *Opuscula S. Francisci* 1904, 73 sqq.

2. f. 7r-9v. [**Testamentum** S. P. Francisci].

Rubr. « Incipit testamentum b. P. nostri Francisci ». *Inc.* « Dominus ita ». *Des.* « sanctam benedictionem. Amen ». = L. c. 77 ss.

3. f. 10r-32v. [**Regula Novitiorum** S. Bonaventurae].

Rubr. « Incomincia la forma et la regola como si denno amaestrare li novitii secondo beato Bonaventura da Bagnoregio lo quale fu Generale de l'Ordine et poi cardinale. Prologo ». *Inc.* « Dice l'apostolo: Renovative ne la novità ». *Des.* « dolorosamente el veleno dell'aspido sotto le loro labbra. Finito ». = *Op. omnia*, VIII, 475 ss.

4. f. 32v-33v. [Brevis **Doctrina** pro **Novitiis**].

Rubr. « Seguita una breve dottrina che denno tenere li novitii della vita apostolica ». *Inc.* « La prima cosa si è che al padre suo spirituale ». *Des.* « voluntà in che sta ogni perfectione. Amen ».

5. f. 33v-62r. [**Dicta** B. Aegidii].

Rubr. « Al nome del buon Ihesu qui serà scripto tutte l'opere che sono scripte in questo libro et prima una bella et sancta doctrina del beato frate Egidio terzo compagno di santo Francesco, la Tavola del quale libro seguita apresso: — De vicii et della vita (*sic*) cap. I. — Della fede cap. II. — Dell'umiltade cap. III. — Del santo timore di Dio cap. IIII. — Della patientia cap. V. — Dell'ociositade cap. VI. — Del dispiacimento delle cose temporali cap. VII. — Della castitade cap. VIII. — Delle temptationi cap. VIIII. — Della penitentia cap. X. — Della sancta oratione cap. XI. — Della sancta cautela spirituale cap. XII. — De predicatori utili et inutili cap. XIII — Del ben parlare et del male cap. XIIII. — Della buona perseveranza cap. XV. — Della vera religione cap. XVI. — Della santa obedientia cap. XVII. — Della memoria della morte cap. XVIII.

Capitolo primo. Delli vitii et delle virtudi ». *Inc.* « La gratia di Dio ». *Des.* « vita eternale in quella perpetua gloria celestiale alla quale ci perduca esso buono Iddio Signore et Re nostro Ihesu Xpo. Qui finisce questi capitoli et decti di frate Egidio li quali si vuole fare di metterli in operatione et cui non può in tutto facciallo in parte ». = *Dicta,* cit.; cf. supra **cod. n. 1412.**

Sequuntur in codice usque ad finem regulae spirituales et orationes, quas quis alteri suggerit. *Inc.* « (A) me pare che volendo principiare a fare bene sia prima necessario rimettersi a qualche persona nella quale poni fede ». f. 67r. « E poi ti volta a sancto Franceschо et di: Padre mio, s. Francescho, perdonami, misericordia domando ». *Des.* haec oratio « di fare la volontà di Dio; (*alia add. manus*) e seguitare per li suoi meriti e pregi sanctissimi ».

Cod. n. 1494 chart. mill. 140×70 ff. 133, saec. XV exaratus. In principio quatuor inveniuntur folia insititia pro custodia, aliaque quatuor non num., in quorum primo in recto legitur: « *Questo libro e a uso di frate Elzeario da Prato frate dell'Observanza di San Francesco, padre de poveri. Al nome di Iesu Signor benigno* ». Ad calcem



alia quatuor adsunt folia pro custodia. Ligaturae recentioris in dorso: *Casi | di | Coscienza | Sec. XV.* Inter plurima notanda:

1. f. 31r–v. [Concessiones **Fratribus Minoribus** ab Eugenio IV factae].

Rubr. « [I]nfrascripta sunt quedam gratie obtente a Domino papa Eugenio quarto anno Dni MCCCC (*sic*) die III Ianuari procurate [a] venerabili religioso fratre *Francisco de Platea* Ordinis Minorum professor[e] ». *Inc.* « Primo confirmavit casus episcopales qui sunt de iure etc. ». = Concessiones sunt num. undecim.

2. f. 31v-32v. [Gratiae **Familiae Cismontanae** a Sixto IV concessae Pont. sui anno primo].

Sunt num. quindecim, et epistola qua cuidam Fratri « Venerande Pater » notificantur, *Des.* absque nomine scriptoris: « Dat. ex Monte Perusino die XIII Decembris MCCCCLXXIIII ».

3. f. 85r-87v. [Gratiae a B. **Angelo de Clavasio** impetratae].

Inc. « Ego frater *Angelus de Clavasio* Ordinis Minorum Vicarius Generalis anno Dni 1487 die sancte Agnetis secundo impetravi ab Innocentio VIII, Pontifice maximo pontificatus sui anno 3° tempore predicto infrascripta: Primo quod guardianus loci nostri, civitatis vel propinquioris civitatis vadat omni anno semel et se presentet episcopo vel eius locum gerenti in spiritualibus etc. ». *Des.* « quam in confessione ex ignorantia commissorum ». Hae Gratiae ad confessarios spectant.

4. f. 110v-121v. **Tractatus soccitarum tam magniorum quam parvorum animalium, tam cum terra quam sine terra.**

Inc. « Perchè molte antiche consuetudine si trovano di dare gli animali in soccita ». *Des.* « se lui a facto el dovere o si o no. Vulgariçata per me *Guido di Giovanni da Mucarone cictadino d'Orvieto* e al presente habitante in *Monte Pulciano.* E' chavata questa materia *ex dictis Doctorum in lege:* Si pascenda pecora c. de pactis e del tractato della recollenda memoria di *messer Angnelo Perigli da Perugia,* cioè: *Tractatus soçietatum et soccitarum animalium, mercantiarum* etc. ».

f. 122r. « Ex dictis *fratris Fortunati di Perusia* felicis recordationis *Ordinis Minorum* a doctrina di quelli homini li quali non anno scientia ». = Post haec verba sequitur brevis sententia. *Inc.* « Quelle persone ». *Des.* « ragionevoli. Finis. Amen. ».

5. In folio 129v. haec leguntur: « Ricordo come a di 23 Xbre 1582 andando un frate sagrestano de Minori Osservanti in chiesa di S. Lucchese per sonare mattutino vedde all'altare del Santissimo Crocifisso vicino alla porta un grandissimo splendore et in esso vedde qual santo Crocefisso, qual durò mezza Ave Maria. Et esso frate restò attonito et guardò le lampane se erano accese, e trovò che tutte erano spente. E tal ricordo è appreso il P. Fra Francesco Rosa da Poggibonsi ».

(Continuabitur) P. Athanasius López, O. F. M.





BIBLIOGRAPHIA

Oliger, Livarius, O. F. M. — *Expositio Regulae Fratrum Minorum auctore Fr. Angelo Clareno, quam nunc primum edidit, notisque illustravit.* Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, Typis Collegii S. Bonaventurae, 1912, in-8°, LXXX, 251 pp. — (Lib. 6,50).

Editio ista prima *Expositionis Regulae* auctore Fr. Angelo Clareno summis curis maximaque diligentia parata est, sive textum ipsum iuxta codices quotquot innotuerunt recensitum inspicias, sive adnotationes ad ipsum illustrandum haustos e litteratura franciscana primigenia et (uti operis natura ferebat) ex operibus SS. Patrum. Consonat quoque erudita valde *Introductio* de auctore opereque agens. Pretium expositionis istius nequaquam residet in parte canonica aut practica, quamquam volentibus plurima utilia evadere possunt, et quae Angelus, e Patribus graecis praesertim, plenis manibus directe transsumpsit, et quae ad S. Francisci mentem illustrandam ex auctoribus minoriticis primitivis hausit. Hi vero loci plurimi praesertim historiae Ordinis S. Francisci illustrandae inserviunt, litterariae et reali. In quem finem ut facilius conferant, A. plurimum insudavit adnotationibus admodum accuratis, copiosisque.

In expositione sua Angelus textui Regulae subiungit exempla verbaque S. Fundatoris; inserit, ut ideas inibi contentas magis illustret, locos SS. Patrum, quos saepissime ipse e graeca lingua, cuius gnarus admodum fuit, verbotenus summo scrupulo vertit, exemplum Christi et Apostolorum — nam et ipsi Regula Testamentumque idem fuit ac Evangelium (15, 29, 33 s., 62 s. etc.) — proponens indefesse. Saepissime usus est opusculis S. Francisci, et praecipue Regula prima (LIX), quam recte sibi adducendam censuit, ad Regulam II rite illustrandam. Mirum non est, quod Angelus, Spiritualium antesignanus, saepius appellavit ad *Scripta* et *Rotulos* sive *Schedulas* Fr. Leonis. Nec hic, nec alibi videtur adhibuisse *Legendam Trium Sociorum,* econtra quasi integram in *Expositionem* transfudit *Intentionem Regulae* et *Verba S. Francisci.* Haec vero etiam Fr. Petrus Iohannis Olivi atque Ubertinus de Casali ante Clarenum allegaverant (LX s.).

Alia vero Fr. Leonis, Clarenus hausit e « *traditione scripta et orali* ». Ob Ordinis evolutionem Fr. Leonem († 1271) ac Spirituales primitivos generatim, acriores annorum decursu factos esse A. censet (LXIII), unde plura a S. Francisco audita coloribus fuscioribus postea repetiissent Fr. Leo, aliique. Quae hypothesis, fundata in lege psychologica, plura vehementia in Rotulis Fr. Leonis apte explicat (LXIV). Mortuo Fr. Leone, Spirituales successive dicta illa S. Francisci facile auxerunt et numero et colore (l. c.). — Aliquos textus huius generis in Introductione ipse editor excutit, v. gr. *Legendam* sic dictam *Veterem.* Hanc Legendam in forma ista exstitisse negat editor (contra Sabatier), quia

nil certi de ea induci possit; itemque negat (contra P. Van Ortroy) eamdem haustam esse ex *Expositione* Clareni. Hoc textus utriusque variantes abunde demonstrant, et loci leguntur insuper in opusculis Clareno anterioribus (LXIVs.). Coniecturat igitur verisimilius locos istos e *Dictis Sociorum S. Francisci* promanasse. Talem collectionem exstitisse ostendunt v. gr. *Verba Fr. Conradi*, ap. *Misc. Franc.* VII, 131ss. et *Opusc. de crit. hist.*, I, 370ss.; itemque citationes Fr. P. Ioh. Olivi etc. (LXVI ss; 44 ss.) Ad rem probandam A. exponit quoque historiam litterariam textus II Cel. II, 116, cui alii additi fuerunt, quibus innixi Spirituales extremi Nicolaum III, Bonifatium VIII (cf. tamen 44-6) et Iohannem XXII repudiarent. Postea de schismate occidentali intellectus fuit textus iste, v. gr. a nostro Barth. Pisano: AF V, 166 s. (LXXI).

Spiritualium partis dux, Fr. Angelus, Spirituales solos veros Fratres Minores aestimabat et S. Francisci pauperrimi sectatores. Ex expositoribus Regulae Clarenus adhibuit tantum Quatuor Magistros (21, 51 s., 62, 87 etc.), Hugonis de Digna: *De finibus paupertatis* semel (24), qui tractatus interim hoc in AFH V, 277-90 prodiit, atque Petri Ioh. Olivi *Expositionem* (32 s., 171-4, 231ss. etc.). Citat bullam *Quo elongati* (ubi ei favet; 15, 21, 51 s. 189 etc.), negligens bullas *Exiit* et *Exivi*. — Expositionis Prooemium historiam Regulae II quodammodo adumbrat (1-11); in Epilogo (231-6) iuxta Petrum Iohannis, quem laudibus extollit (233 s.), Regulam ideis mysticis et apocalypticis compendiat, Zelantium passiones atro stylo delineans. Totius expositionis longissimum caput est VI, 123-77, quod tamen patristicis citationibus undique farcitur. Plura quae sibi maioris momenti fuisse visa sunt, ipse Editor indigitavit in doctissima Introductione, (v. gr. p. XXV), de officio divino (87s.) etc., etc. Quibus locis plures aliis addi possunt, v. gr. p. 204s.: de capite X Regulae II etc., etc.

Ob locos SS. Patrum, Graecorum praesertim, Expositioni insertos Clarenus in historia litteraria patristicae graecae locum meretur eximium. De eius versionibus e graeco Editor fuse tractat (XXXII-LV) in Introductione, iuxta codices et editiones; reliqua Clareni opera paucis enumerans (XXII-IV). Vitam quoque paucis constrinxit (XX-XXXII). Constat Angelum mortuum esse an. 1337. A. coniicit eum Ordini adscriptum esse non circa 1260 sed potius circa 1270. Quos vero adducit textus ex Angeli epistolis ALKG I, 548, 554, rem vix definiunt, quia in priore Clarenus loquitur tantum de « persecutionibus » suis, et in altera « Beniamin ortus » nobis non videtur referendum ad ipsum Clarenum, sed ad *Reformationem in Ordine* tandem exortam. Addam Angelum in ipsa Expositione eumdem conceptum enuntiare p. 18s.: « religiose perfectionis evangelice professores... quorum vita semper refloruit in ecclesia *et per sanctum Franciscum novissime innovata nuncusque promittitur sed a paucis servatur* », nimirum ab Angeli asseclis.

Codices V hucusque cogniti accurate describuntur (XI-XX). *Floreto de sant Francisco*, cf. AFH I, 494, codicem alium exstitisse in Hispania prodit (XX); itemque codicum superstitum, quos in duas familias AD et BCE distinxit (XIX), relationes inter se, alios supponunt codices. Codices supersunt isti: A = *S. Isidori* Romae 1/92; saec. XIV; B = *Vatic. Ottob. lat.* 666, saec. XV; C = *S. Isidori* 1/65 s. XVI; D = *Vat. Ottob. lat.* 522, saec. XIV; E = cod. *lat. Monacensis* 23648, saec. XV. Pro basi textus constituendi Editor usus est A., cuius graphiam affert etc., cuiusque lectiones raro inter variantes amandavit, immo rarius quam, considerata amanuensis ipsius attentione non integra, fieri debuit. V. gr. p. 15

maluissem ob contextum et sensum legere: l. 20: *hoc nomen accipitur* [sic BCD] pro *accipit;* p. 19 l. 17 *monos* [sic E, et fons Clareni, graece adeo periti] etc. Neque necessarium erat variantes mere graphicas codicum adnotare, neque verborum transpositiones quae nihil plane ad sensum conferunt. Sed sunt potius minutiae levissimae tantum istae res. Index (237-50) commode inserviet dictis et locis aliis in ista Expositione sui generis inveniendis.

In initio Editor testimonia auctorum circa Expositionem, inde a saeculo XVI exeunte nunquam incognitam, breviter colligit, necnon et huius gratissimae editionis, a rerum franciscalium investigatoribus diu concupitae, historiam, ut ita dicam, adumbrat. Faxit Deus, ut mox in lucem prodire possint editiones integrae Clareni *Epistolarum* et *Chronicae VII Tribulationum Ord. Min.*, ab huius Collegii Patribus iam ante aliquot annos promissae, partimque iam paratae.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Analecta Franciscana, *sive Chronica, aliaque varia Documenta ad Historiam Fratrum Minorum spectantia edita a* Patribus Collegii S. Bonaventurae. Tomus IV: *De Conformitate Vitae beati Francisci ad Vitam Domini Iesu, auctore* **Fr. Bartholomaeo de Pisa,** Liber I, Fructus I–XII. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex typographia Collegii S. Bonaventurae, 1906, in-4°, XXXVI, 668 pp.

Tomus V: *De Conformitate...* Liber II, Fructus I–XVI (XII–XXVIII), Liber III, Fructus I–XII (XXIX–XL). Ibidem 1912. CXXVIII, 558 pp. — Volumen quodlibet venit Lib. 15.

Celeberrimum opus hoc Fr. Bartholomaei de Rinonico Pisani *De Conformitate Vitae b. Francisci ad Vitam Domini Iesu,* quod alii immodicis extulerunt laudibus, alii immerito, nec calumniis parcentes, in infima depresserunt, denuo integrum prodit, ast editione nunc critica et ad codicum fidem bene redacta. Quarta haec editio ceteras tres (anni 1510, 1513, et 1590, nam illa anni 1620 commentitia plane est, cum nonnisi titulum mutatum praeseferat) longe praecellit et superat, primaque est, quae critica dici possit. Omnibus consideratis, labor qui in istam editionem impensus fuit, sive in conferendis paucis codicibus, sed numero satis, sive in notis plurimis ad paginarum calcem positis, in quibus Pisani fontes, quantum fieri potuit, ubique accurate indicantur, sive in aliis adminiculis, quibus praesertim tomus alter adornatus est, labor iste multiplex, vel potius improbus dicendus est. Dubitari etiam potuit utrum in collectione historica edendae quoque essent priores partes singularum Conformitatum, cum mere dogmaticae et asceticae sint; sed ut opus integrum esset, rectius partes istae omittendae non erant. Verum Editores partes istas minutiore charactere imprimendas esse censuerunt.

Opus *De Conformitate* praecipue de S. Francisco, cuius actus, factis et dictis Salvatoris in ipso comparantur, tractat; cui themati disserte, docteque evolvendo Pisanus strictius, ut ita dicamus, inhaeret in libro II et III, quae in hoc altero volumine comprehenduntur. In primo enim volumine in Conformit. VIII, inscripta: *Franciscus fecundatur,* quaeque omnium 40 Conformitatum longissima est (I, p. 175-364), Pisanus *sanctos sive*

beatos Fratres Minores **recenset, iuxta Provinciarum *Ordinis Primi* seriem (178-351), vix pauca addens de sanctis *Ordinis Secundi* (351-60) et *Tertii* (360-2). In Conformitate XI (I, 493-64) *Conventus* Ordinis Fratrum Minorum enumerat (503-58), *Provinciale* Fratris Paulini Veneti, O. M. secutus, et quandoque immutans. — Neque a themate auctoris ista aliena sunt. — Cetera autem circa ipsum S. Franciscum versantur. Unde non immerito opus Pisani dictum fuit Fodina antiquarum Ordinis traditionum, praesertim circa S. Patriarcham. — Quia modo in editione *Tractatus de Indulgentia Portiunculae*, curante P. Sabatier, Paris 1900, textus integer operis Francisci Bartholi omnibus praesto est, Conformitas Iª libri II (31-54) iam non adeo gravis momenti est. Notamus speciatim Fructum XXXI qui de *S. Francisco stigmatizato* agit, et operis culmen quodammodo efficit; item ultimam Conformitatem (478-503) *miracula plurima S. Francisci invocatione facta* enumerantem, quae digna certe sunt, saltem ob nomina propria locorum et personarum ut melius noscantur. Quod ope indicis (540-44) modo facillimum erit.**

Haec breviter de ipso opere. *Introductio* brevior tomi prioris praestat praecipue dissertatione de *Fontibus historiae Franciscanae* (I, p. XIII-XXIV), quibus in *Praefatione* tomi II (p. XXX-XLIV) plurima, prius dicta non immutantia, adduntur, praesertim *Conspectus* horum *Fontium* pulcro ordine disponitur (XL-XLIV), necnon et *Index auctoritatum theologicarum* in prioribus partibus Conformitatum a Pisano interdum profuse allegatarum (XXXIVs.). Codices operis 12 describuntur in t. I, p. XXV-XXIX, quibus alii anno 1906 incogniti adduntur in t. II, p. XLIXss., ubi etiam codices quidam deperditi recensentur: p. LVIIIss., etc., etc. — Ampliore expositione, textibus et notitiis item pluribus, in vitam auctoris multa diligenter inquiruntur (t. II, p. X-XXX) nec non et ipsius homonymi, scilicet *Fr. Bartholomaei Albitii Pisani*, cui olim communiter tribuebatur opus hoc *Conformitatum*.

Alia quoque opera et opuscula utriusque Fr. Bartholomaei fuse et accurate iuxta editiones et codices praesertim pertractantur (CI-CXXVIII); item fusius describitur aliud nostri Fr. Bartholomaei de Rinonico opus *De vita b. Mariae Virginis*, secundum editionem unicam, Venetam scilicet anni 1596, et codicem bibliothecae Laurentianae Florentinae: *Palat. CXXXIX et CLX* (p. CII-CXII).

De fortuna et fatis libri *Conformitatum* sermo est in amplissimo capite IV Praefationis (p. LXXX-CI). Describitur versio duplex italica operis istius (p. LXXX-V et CXXVI); dein enumerantur auctores qui scriptis suis opus hoc imitati sint (p. LXXXV-XC); item opuscula illa excutiuntur quae contra librum *Conformitatum* conscripta sunt, inde a libello famoso Erasmi Alberi, Lutheri amici, qui anno 1542 contra ipsum edidit *Alcoranum Nudipedum*, opus quod sectario impetu, rabieque caeca et satyrica, librum Pisani in risum vertere conabatur (p. XC-CI). *Alcoranum* vero auctores alii eisdem armis satyricis vel etiam methodo theologica confutaverunt, praecipue Henricus Sedulius, O. M. Rec., in suo *Apologetico adversus Alcoranum Franciscanorum pro libro Conformitatum*, Antverpiae 1607, in-4°.

Porro editiones libri *Conformitatum* accurate describuntur (LXI-LXXI) et opuscula inde extracta, quae tamquam opuscula propria Pisani circumferebantur (LXXI-LXXIX). Editionum descriptio ornatur imagine grandi *Arboris Conformitatum* e prima editione desumpta (post pag. LXIV) itemque (in forma minori) *Arboris* secundae editionis, p. LXVII, circa quas picturas cf. quoque ea, quae dicuntur de *Arbore Vitae b. Mariae*, p. CXIs.



Quia vero in franciscana litteratura citationes innumerae occurrunt locorum operis *Conformitatum,* FFr. Editores, lectorum commodo undique consulentes, in fine secundi voluminis *Tabulas Concordantiae praecedentium Editionum cum nova* collegerunt (511-19), in quibus iuxta *paginas* et *lineas editionis novae,* et certe definitivae, accurate indicantur priorum editionum folia sive paginae atque columnae. Hanc ob rem in altero tomo ubique lineae numeratae fuerunt, id quod in prioribus partibus Conformitatum primi tomi omissum fuerat. Harum *tabularum* ope facile erit cuilibet invenire in nova hac editione citationes factas iuxta tres editiones antiquas. — P. 505 *Addenda et Corrigenda* collecta sunt pro tomo I, praecipue in nominibus *Provincialis;* p. 506 item *Addenda* et *Corrigenda* pro hoc ipso tomo II.

Tomus secundus concluditur demum *duplice Indice:* m i n o r i (521-23) rerum theologicarum et philosophicarum in prioribus partibus singularum Conformitatum contentarum, necnon m a i o r i qui intitulatur: *Index specialis, seu nominum et materiarum ad S. P. Franciscum spectantium* (525-58). In quo indice diffuse, et speciali indoli operis *Conformitatum* coaptato, 1° ea omnia recensentur, quae in tomo II continentur, (qui circa S. P. Franciscum specialius versatur); 2° ea omnia c o l l i g u n t u r quae in *utroque tomo* dicta, repetita, vel insinuata, vel fuse narrata, *de S. Francisco* leguntur, deque p r i m i s S o c i i s S. Patriarchae, et de O r d i n e ipsius in genere. Ex indice enim *primi voluminis* S. Franciscus *consulto* exsulavit.

Cetera vero quae fuse iam in indice primi voluminis indicata sunt, in hoc novo repetere minime existimarunt PP. Editores — repetitionum inutilium vitandarum gratia — non raro tamen ad indicem primi voluminis studiosos remittunt, praesertim cum de rebus agatur historicis maioris momenti, ut videre est ex. gr. sub voce: *Ordo FF. Minorum.*

Sic iam ab anno 1885 feliciter inceptum opus hoc *Analectorum,* et sub auspiciis omnium Ministrorum Generalium nostri Ordinis FF. Minorum interdum, sed alacriter, huc usque continuatum, maiores in proximo augebit fructus historicos in sequentibus tomis VI et VII, qui, uti asseverare possumus fidenter, bene iam sub prelo laborant.

Florentiae, 15 dec. 1912. **P. Hier. Golubovich,** O. F. M.

1. **Zanoni, Luigi**. — *Gli Umiliati nei loro rapporti con l' eresia, l' industria della lana ed i Comuni nei secoli XII e XIII, sulla scorta di documenti inediti.* Milano, Ul. Hoepli, 1911, in-8°, XVI, 383 pp. — (L. 6, 00). — *(Bibliotheca historica italica edidit Societas aperiendis fontibus Rerum Langobardicarum medii ac recentioris aevi;* series altera, vol. II).

2. **Pierron, Ioh. Bapt**., Dr. Theol. — *Die katholischen Armen. Ein Beitrag zur Entstehungsgeschichte der Bettelorden mit Berücksichtigung der Humiliaten und der Wiedervereinigten Lombarden.* — Freiburg im Breisgau, Herder, 1911, in-8°, XVI, 182 pp. — (M. 4,00).

3. **Greven, Jos.**, Dr. — *Die Anfänge der Beginen. Ein Beitrag zur Geschichte der Volksfrömmigkeit und des Or-*



denswesens im Hochmittelalter. Münster i. W., Aschendorff, 1912, in-8°, XVI, 227 pp. — (M. 5, 50). — *Vorreformationsgeschichtliche Forschungen*, vol. VIII).

1. Opus quod cl. v. Dr. L. ZANONI Humiliatis consecravit, non est historia huius instituti triplicis, sed iuxta titulum, rei respondentem, A. docte valde et erudite agit de originibus Humiliatorum, de eorum relatione cum Haereticis, dum orirentur, atque cum « arte lanae » et communitatibus urbium, saeculis XII et XIII.

Nil mirum, quod legendam illam de Humiliatis fundatis a nobilibus Mediolanensibus in Germania exsulibus explodit A. perspicax, itemque apostolatum circa eos S. Bernardi Claraevallensis, ac *Iohannis de Meda,* quo tamquam Sancto proprio et fundatore saeculo XV gloriabantur Humiliati (1-19). — Adumbrat tunc varios illos « motus » sive impulsus saeculum XII concitantes: praedicatores religiosos et subversivos, aspirationes religiosas, praesertim in plebe misera « laboratorum » (19-26). Negat primos Humiliatos fuisse *Valdenses Lombardos;* in celebri condemnatione Concilii Veronensis (1184) « *Humiliatos vel Pauperes de Lugduno* » (29) *vel* disiunctive explicat. Revera Humiliatorum « domus de Brera » Mediolani exstabat iam diu ante suppositum transitum Waldi per Lombardiam anno 1178 (33). Attamen primos Humiliatos, *Catharos,* seu *Patarinos* fuisse probat (34-43). Hoc documenta saeculi XII et XIII adstruunt. Una cum *Catharis* et *Valdensibus* a iuramento abhorrebant (44 s.), ieiunabant severe (44, 46); sed *cum Catharis* contra Valdenses labore manuum vivebant (45 s), et forsan in Perfectos et Credentes olim distincti fuerant (47) etc. Impulsus alii adigebant homines ad communitates Humiliatorum et similium: laboratorum iura minima (vel nulla), bella homicida (50-2), zelus Praemonstratensium (53); quos impulsus ideae religiosae Evangelii fovebant. *Humiliati* primitus sic dicebantur ex eo « *quod non tincta vestimenta* » seu « beretinos » portabant (57). Primi Humiliati « convenia » seu domos laicas efformabant promiscuas virorum et mulierum, labore pannorum lanae seu lanificio se sustentantes (58-63).

In capite II (64-92) A. inducere nititur inter Humiliatos circa an. 1200 duplicem fuisse partem, utramque Patavinam (70), alteram magis decisam, alteram magis remissam et paene orthodoxam (64-9), quae pars paulatim, opera sapienti Innocentii III praesertim, crevit et Ecclesiae est reconciliata (70-9), unde sequeretur *Pauperes Lombardos* ortos esse ex *Humiliatis* illis *rebellibus* (80-6). Romam vero adierunt anno 1199 alii Humiliati, inter quos etiam clerici fuisse supponendi sunt (86 ss.). Regulas suas receperunt facile illi *Tertii* eorum *Ordinis,* difficulter Ordo I et II [?] (90-3). — Caput III (93-112) circa Regulam unicam *Primi* et *Secundi Ordinis* versatur, quae large utitur Regula S. Benedicti et Canonicorum O. S. Aug. — *Ordo primus* constabat Clericis et Monialibus sollemniter professis. *Ordo Secundus* laicis, Fratribus et Sororibus, communiter viventibus et laborantibus lanam. *Tertius Ordo* constabat ex eis qui in saeculo et familiis suis remanebant (91). Illi *Ordinis I* una in domo habitabant, quanquam paulatim magis separarentur. Saepe Soror praesidebat Fratribus et vice versa etc. — Caput IV (112-31) *Propositum* sive *Regulam Tertii Ordinis* Humiliatorum exponit. Edita est ap. Tiraboschii, G., *Vetera Humiliatorum Monumenta,* 3 voll. in-4°, Mediolani 1766-8, II (1767) 128-34, scil. in bulla Innocentii III: 7 iun. 1201. Hac occasione saepius ad *Regulam antiquam Fratrum de Poenitentia Ordinis S. Fran-*



cisci (ed. Sabatier, 1901) recte A. appellat. Haec, ait, Tertiarios S. Francisci strictius Ecclesiae devincit (116), eodem quasi modo de iuramento agit (117, 121 s.). Humiliatis Tertiariis exhortationes habere permittebantur (117 s.). Regula Nicolai IV et Tertiariorum Humil. eisdem quasi verbis de refectionibus loquuntur (121). *Regula Antiqua* c. VI verbis « *in sua indulgentia* » alludit ad bullam *Delectanda: Bull. Praed.*, I, 28; Potthast, 8159; sed A. recte addit hanc bullam dependere ab alia *Humiliatis* data 1227, 10 iul.; Tiraboschi, II, 166. — P. 125 recenset bullas conferentes immunitates Tertiariis Humil. et p. 126 bullas eiusdem tenoris pro *Fratribus de Poenitentia,* scil. BF I, n. 7, 20, 53, 59, 94, 149; II, 50. — Circa idem tempus (scil. c. 1290) Tertiarii omnes vetantur frequentare tabernas: in Capitulo Gli Bononiae: AFH II, 70 n. 14; Brixiae: AFH I, 550; item Tertiarii O. S. Dom. et Humiliati (126 s.). — Imo A. contendit, *Tertiarios Mendicantium* (si excipias bullam: BF I, 65) per saeculum XIII vocari semper *Fratres de Poenitentia,* non vero *Tertii Ordinis,* quo nomine (in Lombardia saltem) simpliciter *convenia* seu conventus etc. *Tertii Ordinis Humiliatorum* nuncuparentur (127-9). Stabilit tamen contra Tiraboschium, II, 192-4, in documento 16 maii 1223, quod factum est Varisii coram « *Fratre Petro de Padua, ordinis Minorum* » de domo « *ad secundum Ordinem in eo constituendum* » agi de *Clarissis,* et *tres Fratres de Poenitentia,* qui dominium domus retinent, fuisse Tertiarios O. S. Francisci. Domus haec postea tamen ad Humiliatos transiit (128). Apud Tiraboschium, l. c. not. 6 Guido de Subinago videtur fuisse Tertii Ord. S. Dominici. — Cap. V (131-41) de Humiliatis agit circa 1300-1350. *Relationes inter tres Ordines* obscurae remanent (131). Uti apud *Fratres Minores* (134), *Tertiarii* Humiliatorum a duobus eorum Ordinibus paulatim « repudiati » sunt, et circa an. 1350 penitus evanuerunt.

Partes reliquae libri minus ad nos spectant. Pars II (145-99) de industria lanae in qua Humiliati excellebant, et eorum oeconomia agit. Pars III (203-43) exponit, quomodo civitates eos ob industriam oneribus gravaverint, et altera ex parte eos tanquam massarios, ac in aliis rationum pecuniarumque officiis adhibuerint, in gabellis ad portas urbis etc., etc.

In appendice I documenta, codices etc. Humiliatorum Mediolani adservata in Bibliothecis Ambrosiana et Braidensi (Brera) recensentur (247-58); in II testimonia quaedam de eis denuo eduntur, 1) scil. ex Iacobi Vitriacensis, *Hist. Occid.*, Duaci 1597, 335 ss. (259 s.), et (261) in *Epistola* eiusdem anno 1216, oct. Ianuae data: iuxta *Zeitsch. f. Kirchg.*, 1893, 97, *Arch. stor. Lomb.*, s. II, XX, 1893, 550, et Sabatier, *Boll. Soc. Umbra di St. P.*, I, 1895, 106 (addimus integram epistolam legi quoque ap. Boehmer, *Analecten z. Gesch. d. Franciscus v. As.*, Tübingen 1904, 94-102); 2° Sermones duo B. Umberti de Romanis, O. Praed., ad Humiliatos, iuxta *Serm. B. Umb.* Venet., 1603, 38 ss., 50 ss. (261-3). — Sequitur demum collectio optima variorum documentorum de Humiliatis (267-370) atque Index brevior (373-81). E docc. recensemus 1) *Chronicam Ioh. Braidensis O. Hum.* (336-44) scriptam 1421, e cuius codice *Ambros. G. 301 inf.* aliquas imagines industriam Humiliatorum illustrantes A. per librum sparsit; 2°) *Chronicon Marci Bossii, O. Hum.*, praepositi Omnium Sanctorum Florentiae, an. 1493 conditum (345-52); 3°) *Regulam I et II Ordinis Humiliatorum* (352-70). Lugendum, quod A. Regulam Tertii Ordinis iterum typis non mandaverit. Notandum (iuxta A. 126) *Bonvicinum da Rippa* fuisse Tertiarium Ord. Hum. *non S. Francisci,* ut probavit cl. A. Ratti, *Bonvesin della Riva appartenne al terz' Or-*



dine degli Umiliati od al Terz' Ordine di S. Francesco? ap. *Rendiconti del R. Ist. Lomb. di Scienze e Lettere,* 1901, 823ss. In plurimis quaestionibus ab A. pertractatis omnino superatum et correctum est opus Tiraboschii, supra, 173, l. 46s.; itemque dissertatio A. De Stefano, *L' origine dell' Ordine degli Umiliati* ap. *Rivista stor.-crit. delle scienze teolog.,* II, 1906, 851-71, in quo innititur Pierron; cf. sub **n. 2.** — Ipse Z. male (121) sequitur hypotheses P. Mandonnet, de quibus cf. infra, 176, l. 50ss.

Opus istud doctum, eruditumque praeclarissimum syntagma est ad historiam primitivam Ordinis exstincti, ac parum cogniti. Quodsi intricatas Ordinis origines A., summa diligentia non obstante, undique illustrare non potuerit, quia pluribus in quaestionibus controversiae omnino decisae nondum sunt, speramus fore, ut data occasione, si nova eruentur documenta, maiori luce easdem sit explicaturus.

2. Opus doctum I. B. PIERRON, versatur circa *Pauperes Catholicos,* eadem occasione alia instituta eiusdem generis et temporis pertractans, eo fine, ut origines quoque *Mendicantium* illustret. Post introductionem quae materiarum exponendarum conspectum quemdam offert (1-12), A. primo in capitulo agit de Humiliatis (13-22), circa quos uti nondum potuit opere sub **n. 1.** recensito. Humiliatos ortos esse censet ex ideis a Waldo propagatis. Qui ex eius asseclis an. 1201 Ecclesiae reconciliati sunt, Waldenses italos convertere studuissent. — Caput II exponit fundationem Ordinis *Pauperum Catholicorum* (22-9), eius evolutionem et fata (29-40) atque finem (47-51). Fundati sunt a *Durando de Huesca, Waldensi seu Paupere de Lugduno,* haeretico, quem an. 1207 S. Dominicus (cum aliis) ad fidem catholicam reduxisse videtur (24s). An. 1208 Durandus Innocentium III adiit, qui eum suosque *Pauperes Catholicos* nuncupavit et eis Regulam confirmavit: Migne, P. L. 215, Innoc. III epp. 1512s., et inde ap. Pierron, 172-4. — De *Paup. Catholicis* Mediolani, in Provincia et Aragonia solae bullae quaedam nos parum certiores faciunt anno 1209 et 1210 (Epp. l. XI, n. 198; XII, 67, 69, 77s.; XIII, 63, 78). Papa ibi de eis conqueritur ob plures defectus etc. Cf. etiam XII, 82, 90-6 (p. 30-46). Iam ab an. 1212 Ordo pedetentim dissolvebatur. An. 1237 in Aragonia maior pars eorum videtur ad Fr. Praedicatores transiisse; in Lombardia an. 1256 alii se Eremitis O. S. Aug. coniunxerunt, itemque an. 1272. Sic evanuerunt (47-51, 167-70).

Cap. III de organizatione huius Ordinis agit (51-68). Apparet eum imitatum esse Waldenses. Hos regebant Maioralis et Maiores (Ministri); distinguebantur *Perfecti:* inter quos erant tres status: scil, episcopi, presbyteri (sandaliati, rectores) et diaconi; atque *Credentes,* qui in saeculo remanebant. Ita etiam, apud *Pauperes Catholicos: Fratres* et *Amici* erant. Eis praesidebant (Papa et) Priores; ministri horum erant Doctores, Honestiores, Idonei, ad praedicandum etc. Amici horum item in saeculo remanebant. In dioecesi Elnensi etiam *Poenitentes,* in conventu viventes, inter quos clerici quoque erant, se eis adiungere intendebant; sed an facta sit unio, ignoratur (41-4; iuxta Innocentii III, ep. XV, 82). Hi vero minime comparari possunt cum *Tertio Ordine S. Francisci,* sed magis eorum Amici.

Cap. IV (68-98) Ordinis *Pauperum Cath.* doctrinas exponit, quae directe oppositae erant haereticorum dogmatibus, cum *Pauperes Cath.* (etiam) contra Waldenses et praesertim contra Albigenses praedicare deberent. Errores Albigensium in Regula *Pauperum Cath.* enumerantur, ait A., non quia ipsi eis inquinati erant, sed ut eos bene nossent in



disputationibus contra ipsos. — Cap. V inquirit rationes ob quas *Paup. Catholici* adeo parvum successum habuissent, scil. ob Ecclesiae clerique miserum statum (99-105), ob cleri contra eos oppositionem, et quia ipsi *Pauperes Catholici,* Papae seu Curiae romanae non oboedivissent, quae eos foverat et protexerat.

Cap. VI de *Pauperibus Lombardis Ecclesiae Reconciliatis* agit (117-33). Hos ortos esse A. censet e Waldensibus Lombardis, quae an. 1201 ab Ecclesia defecerant. Pars vero istorum, ducente Bernardo Primo, an. 1210 ad Ecclesiam redierunt (120 ss.). Ibi exhortationes morales ad populum habere (« exhortari ») permissi sunt, sua pauperibus distribuerunt, « propriis manibus » laborabant, pretium conventum non accipientes etc. Sic iuxta eorum *Regulam I,* ab Innocentio III confirmatam 14 iun. 1210: Migne, 216, 290-3; e qua A. partem refert p. 176-9. In eorum *Regula II,* 23 iul. 1212 ab eodem papa confirmata: Migne l. c., 648-50 (et inde hic 179-82) *Pauperes* seu *Lombardi Reconciliati* considerantur tanquam clerici; dividuntur uti *Pauperes Catholici,* etc. Notandum eorum Regulas pluribus in capitulis inter se verbotenus concordare et eodem modo cum Regula *Pauperum Cath.*, id quod Auctor clarius exprimere debuisset (et more suo saepius). *Regula II* aperte distinguit: Fratres, Sorores et Amicos, i. e. *quodammodo*. Tres Ordines. Hoc tamen adeo planum non est; cf. Reg. II, c. 5, 7, 11 (180-2). A. censet *Lombardos Reconciliatos* debuisse praecipue in illud incumbere, ut Pauperes Lombardos apostatas ad Ecclesiam reducerent et Ecclesiam contra Catharos Italos defenderent. Quod tamen non probat (126ss., 130s.). Ab anno autem 1212 nullum eorum vestigium invenit A., unde coniecturat eos *Pauperibus Catholicis* se adiunxisse, vel forsan *Fratribus Minoribus* (132). Quod mera est hypothesis.

In capite VII (133-60) praevia a se dicta cum Ordinibus *S. Dominici* (134-46) et *S. Francisci* (147-60) conferens, A. credit *Pauperes Catholicos* qui contra Albigenses (Catharos) et Waldenses praedicabant sub *Durando de Huesca,* (24ss., 135s.) maximum influxum exercuisse in evolutionem Ordinis *FF. Praedicatorum* quoad praedicationem et paupertatem, negans (140) paucis, et non bene dictis, S. Franciscum hoc ultimum effecisse. — Tunc nititur probare, seu potius inducere, *S. Franciscum* econtra imitatum esse directe *Bernardum Primum* et *Pauperes Lombardos,* promovente « Sede apostolica », quae contra S. Francisci intentum, ei suisque paupertatem absolutam imposuisset etc. (147 ss.).

Hac in re primo generatim animadvertendum est, A. nimis schematice per totum opus indefesse (utens ideis Conradi Urspergensis) appellare ad « Sedem apostolicam », cui *primas* ubique *partes* tribuit, non solum in historia caeterum brevissima illorum Ordinum parvulorum Pauperum Cath., Lombardorum etc., sed etiam in evolutione *Ordinum S. Dominici et S. Francisci* (140s.). Quae explicandi ratio nimis curta, mancaque est, atque opus eius doctum « simplicius » reddit. Quod illi qui Ordines religiosos fundare studebant, Sanctam Sedem adibant, quodque Sancta Sedes eis Regulas (certe e sinu Ordinum seu Congregationum provenientes) approbavit et confirmavit, in se de vero auctore et parte potiori nil prodit nec probat. — Insuper quae de principiis Ordinum S. Francisci dicit, nituntur aperte in hypothesi illa celebri sed futili, quam exposuit P. Mandonnet, O. Pr., *Les Règles et le gouv. de l'Ordo de Poenitentia,* Paris 1902. A. vero penitus tacet hypothesim confutatam esse a W. Goetz, *Die ursprüngl. Ideale des hl. Franz* ap. *Hist. Vierteljahrschrift,* VI, Leipzig 1903, 19ss.; L. Lemmens, O. F. M., ap. *Röm.*



Quartalschr., XVI, 1902, 93-109. Debuisset quoque uti opere P. Hil. Felder, O. Cap., *Gesch. der wiss. Studien*, 1904; AFH II, 131 ss. — P. 151, praetendit S. Franciscum paupertatem proprii instituti minus stricte interpretatum esse quam Curia Romana. Mirum, quod A. autumat ad praedicationem dogmaticam seu doctam in Ordine quodam colendam melius inservire mendicationem quotidianam (136 ss., 153, 156). In Regula II FF. Minorum praedicatio nequaquam coarctatur ad exhortationes morales (156). P. 149 dicit S. Franciscum vix ab Innocentio III confirmationem obtinuisse, dum econtra Bernardus Primus amice susceptus esset; cum Innocentius ipse in bulla dicat: eum « paterna benignitate suscepimus »! Similitudines inter origines et principia *Ordinis S. Francisci* ac *Pauperum Catholicorum* quis negabit? Ast methodo accuratiori et securiori describendae sunt, quam hoc in opere exprimuntur, in quo partes « Sanctae Sedis » ubique supra modum extolluntur, et ne Honorius III quidem ab Innocentio III distinguitur. Cum liber maxime innitatur documentis e Curia papali emanatis, adeo mirum non est Auctorem in schema illud devenisse. Debuisset ergo primitus in naturam horum documentorum accuratius et critice inquirere, id quod operi suo maiorem contulisset limpiditatem, necnon et soliditatem.

In appendice (167-82) praeter Regulas iam dictas, scil. n. VII-IX, denuo eduntur alia documenta ad res tractatas spectantia, sed nulla eorum Ordinem FFr. Minorum tangunt.

3. De Beginarum (Beghinarum, Beguinarum) originibus per postrema saecula discussum fuit in infinitum (ut quidam ait), attamen opinionum hac de quaestione varietas in dies augebatur; unde laudabili et indefesso zelo Dr. Jos. Greven denuo investigationes hac de re instituit, utrobique quaestionem istam per longum et latum pertractans, iuxta textus de Beginis antiquissimos, et ita quidem, ut priores disquisitiones hoc opere plane superentur et supersedeant. Cum A. doctissimus in eo versetur, ut quamlibet quaestionem, controversiam, traditionem undique expandat, mirum non est, eum saepius diffusiore stylo dissertationes singulas exarasse, non veritus repetitiones, ubi suffecisset lectores attentos ad locos praevios remisisse. Quae vero repetitiones claritati expositionis nihil detrectaverunt, in inquisitionum ambagibus natura sua non brevibus.

Capitulum I totum impenditur discussioni historico-litterariae valde utili, controversias, opinionesque anterioris et moderni aevi de Beginabus (Beghinis) et statum quaestionis hodiernum propalanti (1-27). — Capitulum II modo generico inquirit, quibusnam in locis et quonam tempore institutum Beginarum *originem* sumpserit (27-53). Apparet regionem originis esse Belgium, et praeterea diffusas fuisse Beginas praesertim in Germania (et Hollandia). Chronicae easdem commemorant circa annos 1240-50. In documentis seu instrumentis primum occurrunt circa an. 1230. — Maii 30, 1233 Gregorius IX « Virgines continentes perpetuam Deo voventes castitatem per Teutoniam constitutas » sub speciali protectione suscepit (*Bull. Fr.*, I, 108; Potthast, 9212), quae bulla eodem plane tenore 4 iunii repetita est pro talibus virginibus « per civitatem et dioecesim Cameracensem » (38). In archidioecesi Leodiensi, scil. Lovanii Beginae occurrunt an. 1232 (40). Chronicae quaedam illis in regionibus saeculo XIII compositae « Beginas, feminas religiosas » anno 1207, vel circa in Brabantia ortas esse praetendunt (40-53). — Caput III (53-110) docte et subtiliter omnia de Beginis exponit quae leguntur in *Vita B. Mariae Oigniacensis*, quam celeberrimus



Iacobus Vitriacensis conscripsit anno 1215. Edita est haec vita ap. *AA SS* iun. IV, 636-66. Maria illa Begina fuit, quae Nivellis in episcopatu Leodiensi nata 1177 vel 1178, post matrimonium breve, consensu mutuo rescissum, leprosis serviebat, deinde inter conversas sive pias mulieres (seu beginas) apud prioratum S. Nicolai Oigniaci O. S. Aug. Can. vixit, supernis illustrata donis. Manuum labore victitabat, quamvis maluisset ostiatim victum *emendicare,* a quo proposito vix retineri potuit (100). Ibi e Iacobo Vitriacensi aliisque sacerdotibus verbi Dei praecones effecit fervidos, obiitque 1213 (89-109). A. similitudines inter ipsam et *S. Franciscum* recte congerit; necnon et quasdam inter Sanctum istum atque militem nobilem Iwanum de Roavia, quem Maria convertit (94 ss.). Virgines et matronae, quae Mariam istam quodammodo imitabantur, piae quoque mulieres maritatae, certe *Beginae* erant (64 ss.). Has vero mulieres quidam (clerici) infamabant « et canina rabie... oblatrantes... *nova nomina* contra eas fingebant » ait Iacobus Vitriacensis (71 ss.), scil. *Beginas* eas nominabant, non solum irrisionis causa, (72), sed ut eas sic *haereticas* esse proclamarent (76 ss.). Quod A. valde probabile reddit. *Beggini* in Chronicis interdum vocabantur, nomine vulgari, *Albigenses* (78 s.). Virgines illae castitatem colentes, quandoque etiam matrimonia deserentes, sic dictis *Continentibus* Albigensium facile comparari poterant (80). Innumeris etymologiis nomen *Beginarum* explicare plures auctores a saeculis tentaverunt, quae tamen etymologiae nullo fundamento solido innitebantur (23-5), nec praesertim originem earum ullo modo explicare poterant. Explicatio Auctoris omnino plausibilis videtur. Neque immerito A. adnotat nomen illud opprobriosum, iuxta Vitam B. Mariae Oigniacensis unicum fuisse signum cuiusdam unionis diversarum Beginarum, nullo certo et patenti ligamine inter se unitarum (83).

E documentis supra allegatis patet, quam fabulose dictum olim fuerit Beginas nomen et originem sumpsisse a *S. Begga,* quae obierat an. 694 (7 ss.). Cum plurimi nomen et originem earum repetierint a *Lamberto Le Begue* (i. e. Balbulo), A. erudite in huius pii sacerdotis vitam inquirit (158-196), qui Leodii contra mores nefandos cleri praedicans, in vincula iniuste coniectus fuerat, unde evasit, ad Papam perrecturus se defendendi causa, quia clerici ei (pro more aevi illius) sententias haereticas male tribuerant (173). Postquam autem apud curiam Papae Calixti III (qui Leodii legitimus putabatur) purgatus fuit, domum revertens, in itinere mortem obiit. Inde patet eius adversarios calumnias suas contra Lambertum sparsas non retractavisse. Hinc etiam fieri potuit, quod ab eo quoque *Begini* et *Beginae* nomine haeretici irrisorie designarentur, quod inde ad Beginas translatum fuerit. — De Lamberto Le Begue sex epistolae tractant occasione processus memorati ad eum datae vel ab eo scriptae (161-78). Editae sunt v. gr. a Fayen, ap. *Compte rendu des séances de la Com. Roy. d'Hist.*, LVIII, Bruxelles 1899, 323-56. In ipsis vero nihil continetur quod aliquo modo innuat Lambertum *Beginas* fundasse, vel eum modo prorsus speciali de animarum cura piarum feminarum occupatum esse. In sola Ep. VI ipse de se testatur: « *Ego bonis earum studiis cooperans, virginibus vitam et passionem b. Marie Virginis et Christi martiris Agnetis... actus Apostolorum rithmicis modulis ad linguam sibi notiorem e Latina transfuderam* » (177 s.). B. Agnes exemplar castitatis colebatur. — Vita B. Odiliae, viduae Leodiensis (1165-1220) et *Beginae*, scripta circa 1250-60 et edita ap. *An. Boll.* XIII, 1894, 197-287, opus reformatorium Lamberti non absque



mendis apertis celebrat, *nihil de Beginis ab eo fundatis* innuens, quanquam vita B. Odiliae niteretur (modo generaliore) in illa reformatione, a Lamberto propugnata. — Quae demum alii Auctores saeculi XIII, praecipue Aegidius Aureae Vallis, Leodiensis, circa 1250, circa eas habent, iuxta expositiones perspicaces A. nonnisi phasim legendariam, denotant, tempore quo Lamberti vita vera iam in oblivionem devenerat, unde absque fundamento et falso tunc Lambertus Le Begue fundator Beginarum credebatur (158-197). Beginae ergo ad summum nomen a Lamberto modo indirecto (nec vero) acceperunt, tempore posteriore, licet iam circa 1250.

Quisnam ergo Beginas *fundaverit*, minime liquet (197). Ut earum originem quodammodo explicet, A. de Beginarum evolutione in genere, et qua earum institutum regulare seu Ordo religiosus dici possit, inquirit cap. IV (110-158) et VII (197-217), quae duo capita, ob repetitiones vitandas melius in unum fundenda erant. A. tractat de Conversis mulieribus quae saeculo XI prope monasteria *Praemonstratensium* vivebant. Hi pias istas mulieres in vita spirituali libenter ducebant, et paulatim pro eis plurima monasteria construxerunt, de quo contra Cistercienses gloriabantur saeculo XI (111 ss.). Quo ad finem vergente, onus insupportabile iam conversas istas considerabant et circa 1200 alias recipere omnino renuebant (115-8). Tunc vero *Cistercienses* eas accipiebant (119-30), quin omnes recipere possent. Ex iisdem vero rationibus generalibus, quae tot feminas, in Belgio praesertim, ad vitam religiosam adducebant, plures, a nullo Ordine acceptatae, insimul vivebant autonomae (131-8). Porro circa an. 1215 etiam Cisterciensibus Conversae illae oneri esse coeperunt (139 ss.), et eorum Capitulum generale anni 1228 severissime prohibuit, ne nova illarum monasteria a Cisterciensibus fundarentur vel acceptarentur (143 s.). Sic Beginae autonomae necessario augmentabantur, post annos praesertim 1220 et 1228 (144-58, 197-208). Quae epocha cum maiore evolutione Beginarum coincidit. Actio ipsa monasteriorum ideas religiosas in plebe propagaverat (200 ss.); accessit ipsa evolutio civium et civitatum, et numerus excessivus feminarum ob expeditiones Crucigerorum, alia bella etc. (204 ss., 213). — Beginae mox contactum habuerunt cum novis Ordinibus *Fratrum Minorum* et *Praedicatorum*, cum illorum praesertim *Tertiariis* saepe confundebantur (209). Coloniae, ubi multae exstabant domus Beginarum, quarum maior pars fundata est inter annos 1250-1350, (33), domus istae sitae erant praesertim propinquae conventibus Mendicantium (209). Plurimae semper erant Beginae in archidioecesi Leodiensi, ubi a Iacobo Pantaleone archidiacono (et postea Urbano IV 1261-64) primam Regulam accepisse videntur. Eam edidit H. Nimal, *Les Béguinages* ap. *Annales de la société archéologique de Nivelles*, IX, 1908, 40-71. — Historiam Beginarum ulterius exponere noluit Dr. Gr. — A saepe allegat opus Funk, de Iacobo Vitriacensi, in pluribus illud corrigens, uti et nos fecimus AFH IV, 755-7. Impulsus sociales Beginas generantes et augentes fusius tractandi erant, etc.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Fuchs, Damasus, P., O. F. M. — *Geschichte des Kollegiatstifts und der Pfarrei zu den heiligen Aposteln Petrus und Paulus in Salmünster*. Fulda, Fuldaer Actiendruckerei 1912, in-8° pp. VIII, 225. — (M. 4,00). — (Vol. VIII Collectionis: *Quellen und Abhandlungen zur Ge-*



schichte der Abtei und der Diöcese Fulda. Im Auftrage des Historischen Vereins der Diöcese Fulda herausgegeben von Dr. G. RICHTER).

Haec monographia non tam historiam conventus franciscani Salismonasteriensis texit, quam, ut titulus libri indicat, historiam domus, ecclesiaeque collegiatae, necnon et parochiae Salismonasteriensis vult describere. Attamen magni momenti est pro historia nostri conventus, quia Patres nostri huius ecclesiae capellani, necnon et parochi exstiterunt inde ab an. 1650 usque ad hodiernum diem.

Prioribus duobus capitibus sermo est de antiqua ecclesia collegiata et parochiali tempore medioaevali usque ad an. 1650 (1-72). — Fratres nostri iam inde ab an. 1248 in civitate Gelnhusana conventum fundaverunt, cuius res gestae breviter usque ad an. 1649 exponuntur (73-74). Quo anno Fratres inde expulsi Salismonasteriensem adire statuerunt civitatem. Residentia inibi fundata, in Capitulo provinciali Hadamarensi, 20 Iunii 1651 celebrato, transiit ad Provinciam Thuringiae S. Elisabeth. Unus ex Patribus administrationem parochiae ob temporum vicissitudines tunc vacantis suscepit (78). Quae fecerint parochi franciscales, invenies p. 80 ss., 147-150, 165-175, 179 ss. et alibi passim. Inter 1691-1694 nova exstructa est domus pro Fratribus, et residentia in Capitulo 1697 celebrato ad Guardianatus ascendit honorem (89). Denique, an. 1737 (1 Maii) parochia definitive conventui franciscano per Abbatem et principem Fuldensem Adolphum de Dalberg incorporata est (111). Accurate describitur novae hodie adhuc existentis ecclesiae parochialis et conventualis aedificatio, coepta a famoso architecto Andrea Gallacini (112-120). Photographicam reproductionem huiusce ecclesiae habes in principio libri; antiquae ecclesiae descriptionem cl. A. exhibet 18-20. — Sicut ab aliis Fratrum Minorum conventibus, sic etiam a conventu Salismonasteriensi schola quaedam superior (vulgo *Lateinschule*) fundata est an. 1777, cuius per 29 annos 12 Franciscani professores extitere (145-147). Anno 1805 per novum gubernium civile exstincta est schola illa. Invasio gallica conventus Fuldensem et Salismonasteriensem a Provincia matre disrupit (151), et tempore infelicis illius « Kulturkampf », unus, i. e. parochus remansit, aliis Fratribus expulsis (201 ss.).

Enumerata sufficiunt, ad libri huius pro historia franciscana varietatem monstrandam; pro historia locali utique summi momenti est. Diligenter cl. A. omnia ad rem spectantia manuscripta indefesso labore investigavit, necnon magnum numerum documentorum publici iuris fecit. Utinam mox ipsius conventus historia prodeat simili monographia!

P. Bruno Katterbach, O. F. M.

1. **Franz, Adolph.** — *Die Messe im deutschen Mittelalter. Beiträge zur Geschichte der Liturgie und des religiösen Volkslebens.* — Freiburg im Br., Herder, 1902, gr. in-8°, XXII, 770. — (Mark. 12; lig. 15).
2. **Idem.** — *Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter.* — Ibidem, 1909; 2 voll. gr. in-8°; XXXVIII, 646 et VIII, 764. (M. 30; lig. 32).

1. Olim de eruditis investigationibus cl. v. AD. FRANZ circa tres concionatores egregios Ord. Fratr. Min. egimus, AFH II, 330-3, cui libro alia ab eo tempore adiecit opera, item undique eruditissima. In



priore hoc opere A. perdocte tractat *de Missa per medium aevum,* speciatim in Germania. — Post recensitos libros, saepius in operis decursu adhibitos (XIII-XIX), et codicum plurimorum sigla (XXI-II) enumerata A. duobus in libris thema suum, utens et libris editis et manu scriptis quamplurimis, perdocte vastum evolvit. Liber prior inscribitur: *De fide populari et praxi ecclesiastica.* Agit ibi, inter tot alias res, — de aestimatione Missae apud theologos et plebem (3-35), de fructibus Missae, quos formulae quaedam admodum vulgatae exprimebant (36-72), de abusibus et superstitionibus; de binatione, de Missa sicca (i. e. absque offertorio, consecratione et communione, 79-84) de Missa bifaciata, trifaciata, quadrifaciata (i. e. Missae plures cum uno canone, consecratione et communione, 84ss.), de SSmo contra incendia elevato, etc., etc., de Missis votivis maxime variis, 115ss., de ternariis, septenariis, tricenariis, aliisque seriebus Missarum, 213 ss., etc. — Pars altera de *Explicationibus Missae* agit, inde ab aevo patristico usque ad saeculum Scholasticae (333-457), a quo tempore diffusior longe fit expositio, atque ope plurimorum codicum, e quibus partes plures *operum ineditorum* evulgantur, maximi fit valoris. Longius immoratur A. in opusculis huius generis quae saeculo XV in Germania edita sunt, quae ut plurimum hucusque incognita, accurate describit, tenores eorum exponens, locos graves edens, eorum momenta propalans (515-728). Inter haec opuscula plures recensentur etiam conciones ad populum habitae.

P. 256 memoratur Formularium Septenarii S. Gregorio M. tributi, in *Missali Ord. Fr. Min.* conventus *Passaviensis,* quod nunc est cod. lat. Monacensis (*clm*) *11225,* saec. XV. — Septenariis Missis efficacia certa ad animas purgatorii liberandas tribuebatur, quam testata fuisset mulier mortua amicae suae apparens; id quod doctor quidam O. Praed. ubique publicasset (256). Hoc narratur in cod. bibl. *Univ. Argentinae 69.* Ad commendandum Senarium eadem narratiuncula circumferebatur, quam iuxta cod. *Trevirensem 215* (saec. XV), f. 32, *Frater* quidam *Minor* in concione narrasset; quod eodem modo de quinariis missis narratur in *clm. 4391.* E quo cod. hanc narrationem, a manu saec. XV (in codice cit. saec. XIV) additam lingua germanica A. edit p. 262. Eadem narratio adest in *clm. 4391* et in cod. *Sangallensi 932.*

« Primus e Scholasticis qui caeremonias Missae, praeter res dogmaticas, ex professo pertractavit *Alexander de Hales* », in *Summa theol.* l. IX, quaest. 36-7, quas accurate describit A. 459-61, addens de eis tractasse I. Bierbaum ap. *Pastor Bonus,* VIII, 9ss. — Alexander modo novo in tres partes Missam distinxit. Quam divisionem et expositionem plures aperte *imitati sunt,* v. g. Bernardus de Parentinis, O. Pr. in suo « *Elucidarius* seu *lilium Missae* » 1342), qui etiam typis prodiit (502ss.); item Magister Henricus Hembuche de Hassia, dictus de Langenstein in tractatu saeculo XV vulgatissimo (518s) incipienti: « *Quam brevis fuerit Missa* »; item alius tractatus anonymus aliquibus in MSS. servatus v. gr. cod. *Mellicensi 377,* scripto an. 1366, etc.

Circa finem, tractatus iste, cuius auctor Immaculatam Conceptionem negat, maxime commendat orationem: « *Placeat tibi sancta Trinitas* », quae tunc nondum Missae inserta erat. Ad hoc narrat f. 158va exemplum: « *Circa quod nota, quod Parysius fuit quidam frater Minorum* (!) *nomine Bartholomeus, qui accessit demoniacum, et quaesivit ab eo de duobus sociis, quos habuit, quorum unus dicebatur Petrus, alter Iacobus...* (et demoniacus) *respondit dicens: Iste unus est nobiscum... ille adhuc vivit, et ille est magnus fur Dei... semper furatur istam orationem, que*



post missam dici debet, scil. Placeat tibi s. trinitas». Ideoque Fr. de hac re admonuit socium suum, qui «*ulterius istam orationem dixit*». — Forsan hac legenda innixus A. dicit (511) apud *FF. Minores* istam orationem (quam iam Micrologus: Migne P. L. 161, 992 memorat) praescriptam esse saeculo XIV. = *Expositio Missae Fr. Martini,* lectoris *Vindobonensis* O. F. M., quae habetur in cod. *Vindob. Palat. 350,* f. 32v-103r (saec. XIV) plura hausit ex *Alexandro Halensi* (762), uti et alii auctores, v. gr. *Egeling Becker* (549) et Bernh. de Waging (574). = Saepius A. notat opusculorum de Missa maiorem partem e monasteriis provenisse. Commemorat (601-2) expositionem Missae a *Fr. Guill. de Gouda*, O. M. Obs. conscriptam et saepissime editam (Hain, 7818-34; Copinger, II, 2752-64) atque *Stephani Bruliferi,* O. M. Obs.: *Quaestionem de valore Missae,* quam in synodo Maguntina an. 1487, habuit quaeque edita est f. 207-15 una cum Thesibus ipsius de eadem apud *Opuscula reverendi magistri Fr. Stephani Brulefer Ordinis Minorum,* Paris. 1500. Ibidem prodiit etiam ipsius *Missae brevis et utilissima Declaratio,* l. c. f. 217-52 (602-3).

Plurimum plebi instruendae apti erant et ab auctore laudantur Sermones quidam de Missa *Fr. Bertholdi Ratisbonensis* (644-58), et illi Sermones in cod. *Graecensi 730,* qui in Bertholdo innituntur (659-68). *B. Bertholdi* duo Sermones latini de Missa evulgantur in appendice, 741-50, ille e cod. *Linciensi Γ p. N. 6,* hic e codd. *Lipsiensi 496* et *497.* — Fratres Minores Bertholdo posteriores et eius imitatores (AFH II, 330-3) exemplar hoc explicationis popularis imitati non sunt (668). — Ipse Bertholdus pluries in operis decursu laudatur (12ss., 17ss., 25, 33, 38, etc.); itemque alii *Fratres Minores,* sed nonnisi obiter (cf. Indicem). — Paucis agit de S. Bonaventurae op.: *De praeparatione ad Missam,* ap. *Opera,* VIII, 1898, 99-106, de quo tractatu dubitat, sitne S. Bonaventurae, quia MSS. recentiora sint. — Dubitari tamen nequit (ait) non authentica esse opuscula in editione Maguntina VII, 1609, 71-3 [ed. Rom. VII, 75-7; Lugd. VII, 71-3; Venet. VI, I, 60-4, ed. Vives, XII, 286-91]: *De instructione sacerdotis ad se praeparandum ad Missam,* et *Expositionem Missae,* iuxta eandem seriem: ll. cc. 73-82; 78-88; 73-82; IX, 128-57; 257-77. Cf. etiam S. Bonav. *Opera,* X, 1902, 22. — Ex loco quo in hoc op. ponitur lotio manuum, A. recte arguit ipsius auctorem neque *Fr. Minorem* neque O. Cist. esse (463s). — P. 465s. opus non spernendum dicit *Fr. Gilberti Tornacensis, O. M., Tractatum de officio episcopi et ecclesiae caeremoniis,* editum ap. *Maxima Bibl. Patr.*, XXV, Lugduni 1677, 401-20.

2. Usus Codicibus 144 per Germaniam, Austriamque praesertim atque Helvetiam sparsis, A. hoc in opere, praemissis ubi utile videbatur considerationibus tum theologicis, tum de cultibus antiquis, historice tractat de generibus Benedictionum, quae magna multiplicitate ac varietate per medium aevum vigebant, partimque adhuc perdurant, aliae valde immutatae, aliae parum retractatae. Singularum evolutionem historicam, quantum hoc codices pervetusti sinunt, exponit, varias earum formas e MSS. haustas evulgat, earum temporibus illis particulares essendi rationes describit.

Praemittitur expositioni indiculus librorum saepius allegatorum (XII-XXIII), Codicum (XXIV-XXIX), Ritualium typis editorum (XXX-XXXIV), siglorum in opere adhibitorum (XXXV-VIII), orditurque Introductione: *De Sacramentalibus* (1-42). Inde XV partes libri sequuntur, in quibus per ordinem agitur: 1) de aqua benedicta (43-220); 2) de



sale et pane (221-78); 3) de vino benedicto (278-334); 4) de oleo, de frugibus, fructibus, oleribus etc. (335-421); 5) de auro, thure, myrrhis et margaritis benedictis in Epiphania, necnon de candelis in Purificatione B. M. V. et S. Blasii (422-50); 6) de benedictionibus in Quadragesima et tempore paschali, scil. cineris, palmarum, ignis, cerei paschalis, etc. (461-603); 7) de benedictionibus domorum, fontium, vasorum, retium, navium, etc., (604-32); 8) de benedictionibus monasticis, scil. conclavium, locorum, officinarum, etc.

Quae series in altero volumine sic progreditur: 9) de benedictionibus segetum agit, pro pluvia impetranda, contra tonitrua et similia (1-123); 10) de benedictionibus animalium (124-75); 11) matrimonii, puerperae, pueri nati, pueri tondendi, in schola, etc. (176-260); 12) in periculis, scil. in itinere, peregrinatione, in pugna, in ordaliis etc., de quorum generibus singillatim perdocte agitur (261-398); 13) in morbis, (contra eosdem), de incantationibus, de invocatione Sanctorum, in febri, morbo caduco etc., etc. (339-513); 14) de exorcismis (514-615). Ultima demum pars de oppositione contra practicas illas agit a parte sectarum medii aevi (616-23) et praesertim Pseudo-Reformatorum saeculi XVI (623-49).

Subnectit A. indiculum paginarum in quibus singuli codices adhibiti sunt (653-7), initiorum orationum (758-75), denique indicem copiosum duplicem, personarum nimirum, locorumque (676-700), necnon et rerum (701-64), qui digne claudit librum istum maximae industriae, eruditionisque, maximaque laude dignum.

Nostri non est hic singula vel adumbrare, quia dicendi finis non esset. Illa autem proponimus, quae rem franciscanam tangunt. In t. I, p. 10 notatur *Alexandrum Halensem* communiter ferri tanquam primum qui omni ex parte clare distinxisset inter Sacramenta et Sacramentalia: *Summa,* l. IV, q. 7. m. 2, a. 2. seqq., ubi agit quoque de horum effectibus (I, 17 sq., 27), de quibus egit etiam *S. Bonaventura* I, 21, 25 s. 29). — *Nullae benedictiones* hic recensentur, quae *propriae* fuissent *Fratrum Minorum,* dum econtra Fratres Praedicatores propagabant Aquam B. Petri Martyris, « dicentes quod illa aqua valeat ad vermium ac plurimorum languorum infirmitates » sanandas (I, 210 sq.); Carmelitae autem Aquam B. Alberti Siculi (I, 212, 15; II, 196 sq., 479); Augustiniani Eremitae Panem S. Nicolai Tolentini « qui valet ad omnes aegritudines », populo dabant (I, 274 sqq.); Iesuitae tandem Aquam S. Ignatii (I, 215). Celebre olim erat vinum et aqua S. Antonii Eremitae (I, 214 s.; II, 130 ss., 416). Benedicebatur etiam (et adhuc benedicitur) Aqua S. Vincentii Fererii (I, 215). Parturientes ac steriles invocabant, inter alios, dictum B. Albertum, O. Carm., et *S. Coletam* (III, 186). *S. Elisabethae Thuringiae* reliquiae, scil. eius poculum, cochlear et cingulum in longinquas quoque terras mittebantur, in adiutorium parturientium (I, 196). Matribus in exemplum proponebatur, quod in purificatione humiles induta vestes puerum ipsa ad altare portaverat: *Legenda aurea,* c. 158, p. 77, ed. Graesse (II, 232s.). Quod innititur in *Dictis IV Ancillarum* ed. Huyskens, 1908, 117; 1910, 24. — Illa S. Elisabeth, quae ab itinerantibus quandoque invocabatur, non apparet quaenam fuerit (II, 269). — Auctorem eruditissimum non fugit locus Ecclestonii (ed. Brewer, 63; AF I, 252; ed. Little, 113), narrantis Gregorium IX (anno forsan 1235) Assisii in festo *S. Francisci* praedicasse, et postea novis militibus sertum florum imposuisse; « et inde, ait Eccleston, inolevit consuetudo, ut omnes qui debent mili-



tes fieri, *in festo illo* arma recipiant ». Franz autem censet hic non agi nisi de consuetudine locali (II, 292), et addit in Germania saltem novos milites consecratos esse potius festo S. Georgii. Subdimus caeremoniam illam Gregorii IX forsitan non carere nexu cum proposito *S. Francisci* miles fiendi; cf. 1 Cel. I, n. 4s. — Nonnisi curiositatis gratia commemorat (II, 140) dictum illud, quod *Ioh. Parentem* adegit, ut Frater Minor fieret: AF II, 46; III, 210. — Citatur Fr. *Bertholdus Ratisbonensis*, II, 188, 266, 429, 499, sed obiter tantum, item et Fr. *Roger Bacon*, II, 477s. — E MS. *Breviario O. F. M.* saec. XIV-XV, apud cl. v. Rosenthal Monachii servato, sed originis italicae, II, 464s. evulgatur formula « *Ad ponderandum hominem* ». Constat e Psalmis 66, 64, 75, 115, litaniis Omnium SS. et tribus orationibus, quarum sensus est, ut ponderato salus restituatur. Ponderatio haec diversimode fiebat salutis recuperandae causa, et in genere cum oblationibus, quorum pondus quandoque aequabat pondus aegroti (459ss.). Practicae variae ad Sanctorum sepulcha enumerantur, somnus prope eadem, aliaque quae in nostris quoque Legendis saepe occurrunt (439ss.). Vigebat quoque usus aquam et vinum consecrandi, SS. Crucis particulis in ea immersis.

Fusius narrat controversiam Vindobonae de vino sic benedicto habitam anno 1436, cuius acta partim adsunt in *Cod. Vindob. Palat. 5253* f. 53-4, quamque commemoraverat Kink, *Gesch. d. Univ. Wien*, Wien 1854, I, 1, 168. Cum octonarius (i. e. beneficiatus) apud S. Stephanum Vindobonae in concione usum vini, modo praedicto consecrati, superstitionem vocasset, *Fr. Wolfhartus O. F. M.*, eum hac de causa e sacro suggestu increpavit, dicta octonarii mendacia dicens etc. Sed facultas theologica Universitatis Vindobonensis Fratrem dicta sua revocare coegit, et tali vino quamcumque efficaciam specialem contra febrem etc. denegare. Insuper octonario publice satisfacere debuit. Hac occasione a magistro *Ioh. Geuss* habitus est « *Sermo de potatione vini, cui immergitur lignum S. Crucis et de potatione S. Iohannis* », qui adest in *Cod. Vaticano Palat. 442*, f. 359-66 et in *clm. 11731, 11749, 11751, 28209*. Fuse ibi de variis tractavit Geuss, et in fine tali vino omnem sanandi vim denegavit. Qua non obstante controversia, usus istiusmodi vini perduravit (II, 470-3).

Per medium aevum plurimae Benedictionum collectiones a privatis compilabantur. Inde a saeculo VIII novae plurimae antiquis additae sunt, quorum evolutio et collectio saeculo XI quodammodo absoluta est (I, 3). Post inventam typographiam facilius fuit Ritualia (Agenda) ex officio edere et circa eorum tenorem invigilare (II, 642 s.). Evolutioni finem quemdam (sed non certum) imposuit *Rituale Romanum*, an. 1614 editum (II, 646).

Lutherus violento impetu in Benedictiones irruit (II, 623 ss.). Iam an. 1520 *Fr. Franziskus Seyler*, O. M., *guardianus Annabergae* contra Carlostadium urserat: Quid de aqua benedicta censeret, si tantummodo in S. Scriptura contenta valerent. Cui iste respondit in libello: *Von dem geweychten Wasser und Salcz, Andreas Carlstatt wider den unuordienten Guardian Franciscus Seyler*, Wittenberg, Ioh. Grünenberg, 1520. Secutae sunt tres aliae editiones: cf. *Zentralbl. f. Bibliothekswesen*, XXI, 1904, 170 ss.; Barge, *And. Bodenstein v. K.*, Leipzig 1905, 209 s. Carlostadius aquam atque salem potius symbolice explicare nitebatur. Cui tanquam *Minoritarum* inimico respondit, Ioh. Fritzhans, O. M., *Von dem geweichten Wasser widder Andreas Bordensteiner*, s. l. et a. Sed Carlostadius acerrime tunc in hunc « asinum griseum » invehit:



Antwort... geweicht Wasser belangend: wider einen Bruder Iohann Fritzhans genent, holtzuger ordens, Wittenberg 1521. Anno 1525 etiam *Ioh. Eberlin* (olim O. M. Conv.) contra aquam benedictam et *Ioh. Fritzhans* (qui et ipse postea ad Lutheranos defecit; Barge, l. c. I, 216) scripsit (II, 630-3).

Recentissime A., iam venerandae canitiei annorum 70 vir, edidit erudite illustratum textum Ritualis, quod Henricus I, episcopus Vratislaviensis (1302-19) compilari, scribique fecit, ut unitati liturgiae consuleret: *Das Rituale des Bischofs Heinrich I von Breslau. Mit Erläuterungen von* AD. FRANZ. *Mit 7 Tafeln in Farbendruck,* Freiburg i. Br., Herder, 1912, in-4°, XII, 92 pp., (M. 8,00). — Plures ante annos idem evulgaverat tanquam opus praeliminare maioris *De Benedictionibus* (de quo supra **n. 2**) Rituale monasterii S. Floriani O. Canon. Reg. in Austria e codice S. Floriani lat. *XI 467,* saec. XII: *Das Rituale von S. Florian aus dem 12. Jahrhundert. Mit Einleitung und Erläuterungen her. v.* A. FR., ibidem, 1904, in-4°, XII, 208 pp. (M. 8). Macte antiqua, novaque vi ac robore, doctissime senex, venerande nobis!

P. Michael Bihl, O. F. M.

Grisar, Hartmann, S. J. — *Luther.* 3 voll. — Freiburg i. B., Herdersche Verlagsbuchhandlung, 1911–12, gr. in-8°.
Vol. I. *Luthers Werden. Grundlegung der Spaltung bis 1530;* 1911, ed. 2, pp. XXXV, 656.
Vol. II. *Auf der Höhe des Lebens;* 1911, ed. 1–2, pp. XVII, 819.
Vol. III. *Am Ende der Bahn. Rückblicke;* 1912, ed. 1–2, pp. XVII, 1108. — (Ex ordine veneunt: Mark 12; 14,40; 18,60; item cum lig. 13,60; 16; 20,40).

Opus memorabile P. Denifle, O. P., *Luther und Luthertum,* cum a. 1904 Moguntiae prodiisset, rerum Lutheranarum studiosis non paucis quidem irae, sincerioribus vero admirationi non modicae fuit. Plurima enim illorum, quae tenacius per saecula sine critica etiam ab hypercriticis ut veritati conformia passim accipiebantur, P. Denifle ad veritatis trutinam reducens ut fabulas, mirantibus viris doctis, patefecit, simulque ignorantiam summorum quorumdam virorum in rebus catholicis, praesertim scholasticis, sine misericordia detexit.

In opere gravissimo quod annuntiamus cl. P. GRISAR, S. J., Professor Universitatis Oenipontinae, qui antea de Luthero minora quaedam iam scripserat, viam a P. Denifle apertam iterum ingreditur, sed longe pacatius illo, quamvis non minus profunde, agit, quodque ille, morte praepeditus, ad terminum ducere non potuit, hic, a limine iterum incipiens, ad singula quaeque puncta controversa descendens, feliciter complet. Methodus est analytica ad omnia attendens, severa disciplina iudicium cohibens, donec omnia quae in quaestionem vocari possunt interna et externa momenta accurate perpensa sunt. Agit P. Grisar iudicem, qui sine ira et studio, sineque ullis praeconceptis consiliis, testium disquisitionem instituit. Fructus talis methodi optimi sunt, bona et mala in homine panduntur, et dum in nonnullis a P. Grisar Lutherus iniuste a posteris accusatus absolvitur, in aliis iudicium ferendum ipsi lectori tuto saepe relinquere potest. Opus P. Grisar ita comparatum est, ut sine exaggeratione inter meliora quae nostrum tempus de Martino Luthero



protulit opera scientifica sit computandum, quod doctrinam eiusque fontes atque evolutionem gradualem, psychologiam vel, si mavis, pathologiam famosi Reformatoris mire illustrat.

Nostrum non est materiam ditissimam trium magnorum voluminum examini subicere, longe prolixius esset nostro spatio et praeter scopum assignatum. Sed argumentis singulorum voluminum summarie indicatis, specialia quaedam liceat nobis tangere, quae ad historiam franciscanam noscuntur habere relationem.

In vol. I tractatur de iuvene Luthero ut Eremita S. Augustini, de dissidiis internis apud Augustinianos atque de Lutheri itinere Romano, de studiis Lutheri, eorumque fontibus, inter quos largum occupat spatium schola Occami atque mystica theologia; de mutatione interna Lutheri paulatim praeparata, atque usque ad a. 1517 in punctis principalioribus fere absoluta, de thesibus anno 1517 affixis earumque sequelis, de excommunicatione Lutheri, de origine ecclesiarum Protestantium, de unione « Reformatoris » cum Cath. de Bora deque revolutione rusticorum, de Anabaptistis, de apostasia populorum usque a. 1530. Plane novum est in hoc volumine quod A. de influxu litis internae apud Augustinianos in Lutherum propugnat: Lutherum enim ostendit in pugna contra Observantes, quibus prius adhaeserat, magis ac magis reprobare opera et exercitia externa pietatis, illosque qui talibus vacant, iustitiarios vocare, qui propriis confidunt operibus.

Volumen II Lutherum in fastigio actionis ostendit ut organizatorem internum et « hominem Dei »; inquiritur in eius characterem moralem, eius relationes ad amicos et adversarios uti ad Melanchtonem, Zwinglium, Carlostadium, Erasmum, Georgium ducem Saxoniae, ad suos in coetu familiae. Illustratur Lutheri positio in rebus matrimonialibus Henrici VIII Angliae et Philippi Hassiae, eius agitatio tempore praeparationis Concilii Tridentini, conditio moralis in nova religione, nova dogmata luce historica et psychologica illustrata etc.

In III et ultimo vol. discutitur principium moralitatis novae religionis huiusque cultus publicus et propagatio inter an. 1540-44; Lutheri sinistrae cogitationes, luctae cum daemonibus, cum magis, eius temptationes et harum sedatio, odium in Ecclesiam catholicam demonstratum praesertim occasione convocationis Concilii Tridentini. Actio litteraria, Bibliae traductio; actio socialis tum in rebus ecclesiasticis tum scholasticis; morbi corporales et spirituales, transformatio propriae historiae ap. Lutherum; finis libertatis conscientiae apud novatores, indeque condemnatio « haereticorum ». Demum narrantur circumstantiae mortis (1546) atque investigatur in figuram historicam Lutheri apud suos, tempore 1) « Orthodoxiae », 2) Pietismi et 3) apud modernos Protestantes. Pag. 932-952 datur velut regestum omnium operum Lutheri textum a P. Sinthern, S. I., cuius est etiam copiosus totius operis Index alphabeticus, dum P. Grisar in appendice singula quaedam puncta, quae in praecedentibus duobus voluminibus oppositores invenerant, iterum tractat (pp. 953-1035).

In Cap. IV, vol. I, 102-132, quod verbis Lutheri « Sum occamicae factionis » inscribitur, A. speciali modo ad systema attendit scholasticum, in quo efformatus est Lutherus, quod quidem, uti ex verbis Lutheri et praesertim inquisitionibus P. Denifle constat, erat illud Nominalismi Guillelmi Occami, ast ne hoc quidem purum et sincerum, sed evolutum a Cardinali Petro ab Alliaco, quem Lutherus simpliciter ut Cardinalem citat, et a Gabriele Biel. Influxus Nominalismi in Lutherum eiusque do-



ctrinam est negativus et positivus. Ille negativus ex eo provenit, quod quosdam Nominalistarum defectus, uti neglectum studii biblici et exaggerationem rationis in rebus theologicis, ut praxim et doctrinam omnium Scholasticorum, imo Ecclesiae catholicae, consideraret, atque contra dictos defectus pugnans in aliud extremum caderet. Positivus Occamismi in Lutherum influxus observatur in doctrina de iustificatione; quod enim Occamistae *acceptationem* vocabant, Lutherus, relinquens tamen illorum doctrinam catholicam de gratia sanctificante (I, 174), excoluit ut *imputationem*. Negatio *transsubstantiationis* et *impanatio* ex dictis quibusdam apud Petrum de Alliaco provenire videntur, quamvis dictus Cardinalis hac in re catholice senserit. Sunt et alia doctrinae capita quae eodem modo possunt reduci ad formationem scholasticam iuvenis Lutheri: veros et summos Doctores scholasticos S. Thomam, S. Bonaventuram non cognovit, quod vero eum non impedivit, quominus eos indeque Ecclesiam saepissime conviciis afficeret. — Ex eo vero quod Eremitae S. Augustini saec. XV generatim scholam franciscanam secuti sunt, explicatur Lutheri doctrina de Immaculata Conceptione B. M. V., quam quidem etiam prioribus annis post apostasiam profitetur (II 572; 797). Non praetereundum esse credimus Lutherum Scotistas ut adversarios Occami, et Occamistas ut adversarios Scoti considerasse (*Scotisten gegen Occam und des Occam gegen Scotus,* I, 66). Optandum foret, ut quis doctus Frater Minor studium de Occamismo posteriore institueret atque quaestiones quas tetigimus magis illustraret, cum nec Denifle nec Grisar ex professo id fecerint. Stabiliendum esset ex. gr. utrum quidam defectus, uti neglectus studii biblici, in studiis theologicis apud posteriores Occamistas exstiterint revera, vel magis quam apud alios saec. XV theologos. Caeterum sunt etiam alii docti qui novam doctrinam magis ex falso Mysticismo Lutheri quam ex Occamismo repetunt (I, 146 n. 1), quem Mysticismum ex opere *Theologia deutsch* et scriptis Tauleri, O. P., haurire praetendit Lutherus (I, 132-46).

Saepissime in tribus voluminibus de viris et rebus franciscalibus, eisque diversissimis, sermo fit, et alia quae omittuntur, tangi potuerunt. Erat enim Ordo Fratrum Minorum eo tempore diffusissimus in Germania. ideoque ipsi unacum Ordine Praedicatorum et quibusdam sacerdotibus saecularibus impetus principalis novatorum sustinendus erat, qua in lucta, praeter dolendas quasdam apostasias, Ordo generatim fortiter se gessit scriptis, verbi divini praedicatione, exhortationibus Ecclesiam defendens, ita ut civitates integrae ex. gr. Moguntia, Limburgum aliaeque Religioni catholicae conservatae sint, dum ex aliis sola vi Fratres recesserunt. Actio Fratrum Minorum tanta esse non potuisset, nisi status Ordinis eo tempore sat floridus fuisset. De eo vero habemus saltem pro Observantibus explicitum testimonium apostatae Aprioli seu Ioh. Eberlin de Günzburg, olim O. F. M., cuius verba referuntur 1, 432-33, confirmanturque ex recentibus studiis: AFH V, 763.

Inter eos qui ut adversarii Lutheri eminerunt prae caeteris nominantur Augustinus Alveldt, qui inde ab anno 1519 Lutherum scriptis impugnavit, deindeque acerrimam polemicam habuit, atque etiam Bibliam germanice ab Emser quibusdam erroribus Lutheri emendatam iterum edidit (III, 441); de eo cf. I, 337; 372; II, 118; 614; III, 103; 258; 441; 892; 990; Casparus Schatzgeyer, cuius vitam et gesta N. Paulus iam illustraverat, adducitur I, 398 n. 4; 432; II, 195-96; 480-81; 670 n. 1; 696; Thomas Murner, qui inter omnes adversarios Lutheri huic stilo satyrico proximus accedit, cuiusque opera vel hodie legun-



tur, commemoratur I, 454; II, 690, 696-97; III 897. Duo viri franciscales Dr. Conradus Kling et Iohannes Ferus (Wild) in cathedris ecclesiarum prae caeteris intrepide impugnaverunt Lutheri doctrinam; ille Erfordiae, solus veterem fidem ausus est praedicare et diu machinationibus Lutheranorum restitit (I, 621; III, 288; 801-02; 862); hic multos annos in ecclesia cathedrali Moguntiae, non obstante Archiepiscopi oscitantia, singulis dominicis verbum Domini enuntiavit et sic fidem servavit, quin unquam Lutheri nomen in sermonibus proferret (II 196; 681-83). Alius optime de re catholica meritus, Nic. Herborn (vulgo Stagefyr), semel tantum (I, 537) commemoratur, procul dubio, quia ipsi non erat lucta directa cum Luthero, de quo potissime in opere agitur; nominandus tamen fuisset III, 118, ubi agitur de Synodo Hombergensi a. 1526 habita, cum Herborn noster partes catholicas principales ibi habuerit.

Inter auctores Franciscanos contra Lutherum scribentes minus notus est Ioh. Findling (Apobolymaeus), qui a. 1521 litteras exhortatorias ad Lutherum iam excommunicatum anonyme direxit et magna lenitate novatorem ad poenitendum invitavit (II, 139-40); deinde Franciscus Polygranus, cuius opus *Assertiones quorundam ecclesiae dogmatum,* a. 1526 compositum, Coloniae 1571 prodiit (II, 644-45; cf. I, 279).

Praeter validos Ecclesiae defensores Ordo Minorum, proh dolor! tempestate illa « reformatoria » etiam apostatas habuit, quorum quidam sat noti sunt, uti iam dictus Eberlin de Günzburg, de quo I, 429; 461; 483; 486 n. 4; 620-21; III, 179 et passim; Franciscus Lambert ex Avenione in Gallia, qui ad se defendendum edidit Commentarios in Regulam Fratrum Minorum, quibus ipse Lutherus praefationem conscripsit, quae inter Opera Lutheri habetur (III, 939, n° 144), quos Franciscus Nicolai, O. F. M., vero refutavit opere cui titulus *Apologia adversus calumnias Francisci Lamberti in Regulam S. Francisci,* Antverpiae 1528 (cfr. S. Dirks, O. F. M., *Hist. litt. et bibliogr. des Frères Mineurs de l'Observance... en Belgique et dans les Pays-Bas,* Anvers [1885], 37; P. Schlager, O. F. M., *Gesch. der kölnischen Franziskaner-Ordensprovinz während des Reformationszeitalters,* Regensburg 1909, 250); Fridericus Myconius (Mekum), qui factus est « superintendens » Gothae, et in quo Lutherus miraculum(!) sanationis fecisse fertur (I, 132). Idem Myconius, *Historia Reformationis,* ed. Cyprian, Lipsiae 1718, 16 ss. auctor est Guardianum Moguntinum Fratrum Minorum de Observantia unacum Principe Electore Archiepiscopo Moguntino indulgentiae pro ecclesia S. Petri praedicandae commissarium fuisse nominatum, sed Fratres Minores dolo quodam id munus declinasse, qua de re Grisar tacet, sequens procul dubio sententiam Nic. Pauli, Myconii narrationem reicientis, dum P. Scherffig, *Friedrich Mekum von Lichtenfels,* Leipzig 1909, 30, eam sustinet et antea etiam Woker, *Geschichte der norddeutschen Franziskaner-Missionen,* Freiburg i. B. 1880, 29-31. Myconium quoque Lutherus rogavit, ut colligeret quidquid inveniret de quodam Fratre Minore Iohanne Hilten, propter ideas apocalypticas a Superioribus carceribus mancipato Isenaci (Eisenach) ibique mortuo, qui dicebatur de Luthero futuro prophetasse (II, 135-36). Cf. etiam Jos. Kremer, *Beiträge zur Gesch. der klösterlichen Niederlassungen Eisenachs im Mittelalter,* Fulda 1905, 79; Scherffig, l. c. 33-34. De Myconio cf. demum Otto Clemen, *Briefe von Friedrich Myconius in Gotha an Johann Lang in Erfurt* [1527-1546] ap. *Zeitschrift des Vereins für Thüringische Geschichte und Altertumskunde.* N. F. vol. 20, fasc. 2, Iena 1911, 355-79. Adiungimus

statim curiosum commentum Lutheri alium quemdam Fratrem Minorem Romae adventum sui (Lutheri) praedixisse (II, 135).

Alios duos apostatas ex Ordine Minorum A. aliquando commemorat, scil. Dionysium Melandrum, qui famoso illi matrimonio Philippi Hassiae benedixit, atque ipse ter ad nuptias, viventibus sociis ante habitis, convolavit (II, 391-92; 504 et passim), demum Iohannem Briesmann, ad quem Lutherus a. 1524 litteras dedit instructorias ad Ordinem Teutonicum ad novam religionem adducendum (II, 450; cf. 501; III, 127).

Sunt et plura alia franciscalia, quae tribus voluminibus plus minusve large tractantur, sed allata exempla iam sufficiant ad ostendendum quantam partem Fratres Minores infelici illo tempore, in quaestione, quae totam Europam commovit, habuerint. Unum tantum addam de Nicolao de Lyra, cuius opere permagno biblico, praesertim pro V. T., Lutherus usus est in sua versione germanica Bibliae, unde notissimum illud: « Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset », quod dictum tempore Lutheri, scil. a. 1508, sonabat: « Nisi Lyra lyrasset, nemo doctorum in bibliam saltasset ». Postea invaluit etiam haec forma; « Si Lyra non lyrasset, totus mundus delyrasset ». (III, 454). Quibus adiungimus iam a. 1502 Fr. Thomam Murner publice de Nic. Lyra retulisse: est « glossatorum copiosissimus, ut de eo credant, si non lirasset, universum orbem ignorantiae vitio errasse ». AFH VI, 124.

11. Item si quis non soluerit penas impositas uel ponendas in termino statuto a ministris, bis ammonitus ab eis, separetur a collegio fratrum, et si steterit per duas missas quod non satisfecerit, tamquam contumax a fraternitate eiciatur.

12. Item quod ministri, qui pro tempore fuerint, ter in anno, scil. in quadragesima sancti Martini et maiori et in mense iunii, petant per se uel per alium a uisitatore uel ab aliquo [de] domo uisitatoris, si uisitator abesset, quod placeat ipsi uisitatori (1) et facere generalem correccionem de omnibus fratribus de penitencia; alioquin minister puniatur in X solidis bon.

[II. — **De sepultura fratrum**].

1. Cum aliquis frater decesserit, minister et omnes fratres scientes teneantur ire ad capellam illius defuncti, et ministri inquirant, ubi presbiteri congregentur occasione ueniendi pro corpore defuncti; quo scito, eligant de fratribus qui corpus defuncti portent ad sepulturam, et ministri cum fratribus electis ad portandum corpus et omnibus aliis fratribus debent precedere crucem, et eleuato corpore ire circa corpus defuncti et esse circa sepulturam, ut continetur in uita (2).

2. Item quod non ponatur nec portetur aliquod palium [!] siue drapum sericum supra corpus defuncti, sed solum drapum fratrum ad hoc deputatum, et sub corpore defuncti non ponatur in feretro nisi sextorium uel culcitra; et si aliqua de causa ambo ministri essent absentes, tunc fratres ibi congregati cum consensu duorum fratrum magis discretorum debeant predicta facere et obseruare.

3. Item cum decederet pater uel mater aut uxor siue filius uel frater uel aliquis de familia alicuius fratris, si ministri uel alii fratres inuitati fuerint, debeant ire ad capellam dicti fratris; et cum ibi fuerint ministri, debent ire uel mittere illos, quos uiderint ydoneos, ad associandum dictum fratrem cum quantitate fratrum, que eis uidebitur; et illi fratres, qui remanserint, debeant ire post presbiteros, cum ibunt pro corpore defuncti. Et sepulto corpore, ministri uel fratres, qui associauerint fratrem, debeant eum associare, sicut eis uidebitur concedere (3), et alii fratres possint recedere.

4. Item cum aliqua soror de penitencia decesserit, si denunciatum fuerit ministris, ministri et alii fratres, qui hoc sciuerint, teneantur ire ad ecclesiam, ubi soror debuerit sepeliri, et circa sepultarum illius sororis facere, quod uidebitur fratribus conuenire.

Explicit regula fratrum minorum de penitencia de tercio ordine beati Francisci.

Castel S. Elia (Roma).

P. Leonardus Lemmens, O. F. M.

(1) Addendum forsan *venire*, vel legendum *eis* pro *et*. (2) Supra § 20.
(3) Videtur requiri *convenire*.



ACTA ET CONSTITUTIONES
CAPITULI GENERALIS ASSISIENSIS
(1340)

De quadam Constitutionum generalium recensione sub Fr. Bonagratia (1279-1283) facta locuturus, prius tractandum censui de alia, quam ordinavit capitulum Assisii celebratum a. 1340.

Iam Waddingus (1) narravit nonnullos tam cismontanarum quam ultramontanarum partium PP. specialiter a. 1316 Assisium convenisse, qui Constitutiones Ordinis, post solemnem Clementis V decretalem *Exivi* (6 maii 1312) acresque de statu Fratrum Minorum disputationes in Curia Romana habitas, in pluribus antiquatas recognoscere, reformare atque novae declarationi conformes facere deberent auctoritate praecedentis capituli generalis Neapolitani. Huius quippe tria nondum edita decreta, quorum primum ad rem praesentem spectat, sequentis erant tenoris (2):

Hec sunt acta capituli generalis Neapoli celebrati anno Domini M°CCC°XVI°.

1. *In primis ordinat generale capitulum, quod generalis minister cum XIIcim de corpore capituli generalis, sex ultramontanis et sex citramontanis, quos ipse duxerit assumendos, reforment generales constitutiones ordinis, addendo, diminuendo, mutando sicut eis videbitur expedire; intendant nichilominus quantum poterunt brevitati. Et sic reformate recipiantur et serventur per totum ordinem auctoritate capituli generalis, alio quocumque statuto contrario non obstante. Interim tamen constitutiones pristine observentur* (3).

2. *Item, diffinitum est per capitulum generale, quod nec seculares nec fratres particulares ad accusationem aliquam faciendam vel excusationem, que redundaret in accusationem ministri alicuius, coram generali capitulo aliquatenus admittantur* (4).

(1) *Annales Minorum*, ad a. 1260. n. 11; ad a. 1316, n. 3.

(2) Ex *cod. 106* (saec. XIV), p. 342, Bibl. *Fr. Min. Conv. Friburgi Helvetiorum*. Cf. AFH IV, 698.

(3) Waddingus, l. c., ad a. 1316, n. 3, videtur huius decreti cognitionem saltem indirectam habuisse.

(4) Hac praevia diffinitione explicatur optime repulsa, quam a capitularibus Neapolitanis subiit nuntius Fratrum Narbonae atque Biterrarum. *Et. Francisc.*, XXVII, 1912, 422-426; AFH V, 777-779. Cf. ALKG II, 159-164. Sed fuitne sic satisfactum iustitiae et caritati?

3. *Declarat generale capitulum, quod, si discretus mittendus ad provinciale capitulum provisus per custodem, conventu non concordante in electione, moriatur antequam fungatur officio suo, substitucio alterius nichilominus pertineat ad custodem* (1).

Primi horum decretorum virtute capitulares tredecim seorsum adunati compilationem novam elaborarunt, quam recenter publicavit (2) cl. Dr. Arm. Carlini, tali rubrica clausam in *Cod. 49 Bibl. Auxi* (3), fol. 112v: *Expliciunt Constitutiones generales, que acte fuerunt apud Assisium in loco sacro sancti Francisci per generalem ministrum et ministros alios ibidem congregatos post generale capitulum apud Neapolim in Pentecosten celebratum, tercio idus iulii anno Domini M°CCC°XVI°*. Illam brevi provincialibus ministris transmisit observandam Fr. Michael a Caesena, et quidem (4) Fr. Petro, Tusciae ministro, XII kal. sept. (21 aug.), et Fr. Stephano, Provinciae ministro, III idus nov. (11 nov.).

Non diu vero fuit in usu. Cum enim tempora currerent turbulentissima, iam aliae primum Lugduni (1325) et iterum Perpiniani (1331) Constitutiones redactae sunt (5), quarum alterae praesertim singulariter digestae multis placuerunt minime. Suas tandem condens Benedictus XII (6), in quas plures Perpinianensium articuli transmearunt (7), easque imponens capitulo Caturci (1337) congregato (8), edixit, quod « quaelibet alia statuta et ordinationes eiusdem Ordinis contraria hiis nostris ordinationibus et statutis ipso facto omni robore careant et etiam firmitate (9) ».

Rebus sic per bullas pontificias positis, necessaria incumbebat Ordini legum revisio, quatenus abolerentur articuli contrarii, aequales autem non repeterentur, sed et alii novae utcumque aptarentur conditioni. Hunc laborem suscipere, hoc onus subire tentavit proxime futurum capitulum generale Assisii (1340).

Circa dicti capituli celebrationem anceps erat Waddingus (10), tum quod non legisset illius mentionem apud Rodulphium aliosque (etsi apud Marianum (11) et Marcum Ulyssiponensem) nec ullum in regestis vaticanis occurrisset ei vestigium epistolae pontificiae capitularibus PP. directae, tum potissime quod autumaret Fr. Geraldum Othonis, in Hungariae partibus agentem, comitia coadunare non potuisse ad festum Pentecosten: aut ergo, aiebat, a. 1339 capitulum tenuit Ge-

---

(1) Istud decretum in Assis. (1316) Constitutiones transiit, X, 6. AFH IV, 518. (2) AFH IV, 276-302, 508-526.

(3) ALKG VI, 76-77, 82. De eo alias hic agemus.

(4) Cf. N. Glassberger, *Chronica*, AF II, 122-123; ALKG VI, 77.

(5) Lugdunenses Constitut. edidit Dr. Armandus Carlini, AFH IV, 527-536, Perpinianenses vero P. Saturninus Mencherini, AFH II, 276-292, 412-430, 575-598. (6) Bulla *Redemptor noster* (28 nov. 1336); BF VI, n. 51.

(7) Inter art. Constit. Perpinianen. qui in alteras Benedicti XII transmigrarunt, numerentur speciatim III, 6; IV, 3; V, 4, 5; IX, 11, 14; XXI, 5.

(8) Bulla *Ad ordinem vestrum* (12 maii 1337); BF VI, n. 61.

(9) BF VI, n. 51, p. 42 b.

(10) *Annales Min.*, ad an. 1340, n. 12 (VII, 233).

(11) Cf. eius *Compend. Chron.*, AFH III, 296.

raldus, aut id fecit post suum ex Bosnia regressum; quidquid est, acta deperierunt. Porro idem cum Waddingo sentiebant editores *Chronicae XXIV generalium ministrorum,* sicut et *Chronicae* Fr. N. Glassberger (1).

De talibus tamen nemini subesse potest hodie scrupulus, cum *codex 719 Bibl. publicae Avenionensis* alias descriptus (2) exhibeat Diffinitiones (3) prius deperditas, capitulumque ad an. 1340 et quidem in festo Pentecosten expresse determinet, hisce verbis:

In nomine Domini, amen. Hec sunt acta generalis capituli Assisii (*a*) **celebrati anno Domini M° III^{c} XL in Pentecoste.**

1. *In primis addatur in primo capitulo constitutionum generalium* (4) De religionis ingressu *in fine constitutio, que sequitur:* « *Nullus autem novitius ad professionem recipiatur pro clerico antequam cordetinus sciverit psalmos horarum diurnarum* (*b*), *totum officium Domine nostre, totum officium mortuorum, septem psalmos cum letania, et de communi sanctorum psalmos et ymnos, antiphonas et responsoria, orationes et capitula, et ita sufficienter sciat in breviario legere et rubricas intelligere, quod per seipsum quocumque tempore anni sciat dicere matutinum; illi vero, qui iam sunt recepti vel in posterum contra presentem ordinationem contingeret recipi, non promoveantur ad ordines sacros nec mictantur ad studia nec ad aliquam presidentiam adsummantur, antequam sciant perfecte predicta: si quis autem custos aliquem predicta nescientem ad professionem recipere vel ad ordines sacros promoveri facere presumpserit, ipso facto a sui executione officii sit suspensus; fratres vero, qui talis suspensionis causam sciverint, ipsam quam citius poterunt debeant significare ministro, qui de huiusmodi* (*c*) *custode secundum quantitatem excessus tale faciat complementum iusticie, quod merito transeat ceteris in exemplum* ».

2. *Item, in capitulo* De correctione delinquentium, *in fine papalis privilegii* (5) *addatur sequens statutum:* « *Suave Christi iugum super nos*

(*a*) Cod. *Asissii.* (*b*) Gr. *divinarum.* (*c*) Gr. *huius* (sic).

(1) Cf. AF II, 178; III, 528-529.

(2) AFH V, 520-523. — Modo addimus Franciscum Pagi, O. M. Conv. provinciae Provinciae, hunc codicem prae manibus habuisse, e quo duas paragraphos Definitionum edidit, scil. infra pag. 255, n. 9 et 10. *Breviarium historico-chronologico-criticum,* continuatum et editum a P. Ant. Pagi, O. M. Conv., IV, Antuerpiae 1727, 119: «Constitutiones... Caturci... quarum exemplar MS. habeo in parvo codice eodem tempore scripto, in quo exstant Acta Capituli Glis anno 1340 Assisii ab eodem Gerardo habiti... ».

(3) Non ergo Statuta seu Constitutiones. Postquam laudatas rescripseram Diffinitiones, eas P. Gratianus, O. M. Cap., interim nescius edidit ap. *Et. Francisc.,* XXVII, 1912, 309-313. Cf. AFH V, 521, nota 4. Quasdam ipsius lectiones certo erroneas ad calcem correxi [Gr.].

(4) Nisi velimus ludere verbis, non agitur hic de Const. Narbon., uti coniecturavit R. P. Gratianus, l. c. 309, 313. Post Lugdunen. recensionem, quae inde ab eis conditis saltem quarta numeratur, in non paucis etiam fundamentalibus erant alteratae, forsan pro $^{3}/_{4}$ partibus. Cf. infra pag. 258.

(5) Papale privilegium, de quo loquitur art., non est Innocentii IV, uti autumavit R. P. Gratianus, l. c., 310, sed Bonifatii VIII (12 nov. 1295). *Bull. Francisc.,* IV, 371; VI, 645; Eubel, *Epitome,* p. 206; AFH II, 583. Statutum



patienter tollere et propter Deum voluntates proprias abnegare, litigiosas contemptiones fugere et delicta per penitentiam emendare ex nostre professionis perfectione tenemur: quare, si quis frater, propria voluntate resumpta, salutaris obedientie iugum reiciens ad lites contra premissum apostolici rescripti mandatum temere se converterit et appellare presumpserit, ipsum omnibus officiis ordinis et actibus legitimis ex nunc pro tunc presenti constitutione privamus, et, nisi infra diem naturalem resipuerit (a), *a fratrum consortio separetur; si vero tandem in sua duraverit pertinacia, prelatus eius vel prelati et fratres alii ipsum in domo discipline usque ad proximi provincialis vel generalis capituli iudicium debeant detinere* ».

3. *Item, in capitulo undecimo* De capitulo generali, *in fine illius paragraphi:* « Processus inclusorum sit talis » *etc. addatur* (1) *sic:* « *Si vero post vigiliam Pentecosten ipsum generalem ministrum, durante generali capitulo, morte vel translatione vel spontanea et admissa renuntiatione ab officio ministerii amoveri* (b) *contingeret, ministri et custodes, qui presentes erunt, quibus generalis ministri secundum regulam et apostolica instituta electio data est, alium eligant in ministrum* ».

4. *Item, ordinatum fuit, quod circa licentiandos* (2) *infra scripta forma servetur:* « *Quia optate commissorum mihi fratrum tam sapientium quam insipientium saluti consulere teneor, ideo, licet P. de tali loco nostri ordinis professor se* [fol. 17r] *habitu et consortio fratrum reddiderit prorsus indignum, prout per discretos fratres, deliberatione habita super eius iteratas vias malas extitit iudicatum, saluti eius consulere cupiens, ne per mundum vagabundus pereat, imposui sibi, ut prope conventum tuum sibi honestam habitationem studeat procurare, ubi sub honesto habitu et sub obedientia tua reddat Domino vota sua, ita videlicet quod confessori fratri, quem tu ei assignaveris, confiteatur qualibet septimana, et quolibet mense recipiat corpus Christi, nisi legitimum impedimentum obsistat; tibi quoque qualibet septimana personaliter* (c) *se presentet et de suis excessibus et defectibus manifestis per te salubriter corrigatur; nec fines talis parrochie vel districtum talis loci exeat sine tua vel tui vicarii licentia speciali; victum autem et vestitum, tua quidem discretione consulta, sibi humiliter et honeste procuret: quare discretioni tue ad meritum obedientie salutaris iniungo, quatenus ipsum benigne recipias et ei favorabiliter in procurando sibi habitationem assistas, consolabilem confessorem assignes et pro* (d) *ipsius defectibus et excessibus manifestis ei cum omni caritate penitentiam salutarem iniungas, ipsum cum discretione ad dictum exitum licenties et ad redeundum certum prefigas terminum, et inducas eum ad occupationem utilem et honestam;*

(a) Cod. *respuerit*. (b) Cod. *admoveri*.
(c) Gr. *particulariter*. (d) Gr. om. *pro*.

sequens verbatim sumptum est ex compilatione Perpinianen. (1331), AFH II. 584. Cfr. infra pag. 261. Valde suspicandum est abusus tyrannicos, de quibus apud Curiam Romanam conquerebantur Fr. Spirituales adversus illos de Communitate, ex hoc *singulari* privilegio processisse. ALKG II, 380, 381, 384, 386, 409, 162-164. (1) Cfr. infra pag. 265.

(2) Agitur de licentia seu obedientia poenitentibus apostatis danda, qua se valeant alicuius loci Guardiano praesentare. Articulus compilationis Parisien. (1292) statuens quod « nullus minister licentiet apostatas nisi ad loca, ubi viget observantia regularis », ALKG VI, 117, sumptus est ex diffinitionibus capituli Parisien. (1266). Cf. *English hist. Review*, XIII, 705; AFH, II, 589.

in cunctis quoque ipsum studeas taliter pertractare, quod auctore Deo (*a*) *per tuam diligentiam vitam emendet et animam salvet* ».

5. *Item, declaratum fuit per capitulum generale, quod libri fratrum decedentium, de quibus non constat legitime a qua communitate, scilicet provincie, custodie vel conventus, habiti fuerint, ad communitatem ipsius provincie devolvantur* (1).

6. *Item, declaratum fuit per capitulum generale quod provincia illa vocatur « magna », que non* (*b*) *potest visitari infra* (*c*) *octo menses, sive longitudo maris vel asperitas montium et viarum sive multitudo fratrum vel locorum impediat* (2).

7. *Item, dubium fuit generali propositum: an, antequam studentes de studio reversuri representent suo ministro litteras testimoniales, possint ad officium lectoris assumi?* Responsio: *Duplex est assumptio: una quidem imperfecta, scilicet institutio in officio lectorie, et hac assumptione potest frater ad lectoriam assumi, antequam testimoniales litteras representet* (*d*): *alia est perfecta, scilicet ad cathedram ad legendum, et ad istam non potest assumi, nisi prius testimoniales litteras iuxta* (*e*) *statuta papalia representet* (3).

8. *Item, aliud dubium* (4): *quomodo intelligitur statutum papale « Munitio armarii de libris », si debent esse textus cum scriptis?* Responsio, *quod sufficit textus cum aliquo scripto, alia vero possunt distribui* (*f*).

9. [fol. 17v] *Item statutum fuit, quod commemoratio sancte Clare fiat per totum ordinem sicut de aliis sanctis nostris.*

10. *Item ordinatum fuit, quod officium, quod edidit reverendus pater generalis de stigmatibus sacris, habeatur et fiat in toto ordine* (5), *et legantur lectiones legende fratris Bonaventure, capitulo* De stigmatibus sacris (6), *et fiat officium duplex die XVII septembris.*

(*a*) Gr. *Domino.* (*b*) Cod. supra lin. *non.* (*c*) Gr. *in.*
(*d*) Cod. *vel presentet.* (*e*) Cod. *iusta.* (*f*) Gr. *distrubrui* (sic); Cod. *distribui.*

(1) Art. 5, 6, 7 et 8 sunt solutiones authenticae dubiorum quorumdam circa Constitutiones Benedicti XII. Iste respicit statutum de libris « Fratrum decedentium, quos ipsi Fratres, dum viverent, a communitate provinciae vel custodiae vel conventus habuerant ». BF VI, pag. 33 a. Quaerebatur, quid faciendum, si de eorum origine non constat.

(2) Iste art. refertur ad locum Constit. Benedicti XII, in quo magnae provinciae parvis opponuntur: « Qui « parvas », singulis annis, qui vero « magnas » habent provincias, de triennio in triennium ad minus... visitare teneantur ». BF VI, pag. 35 a. Quid audiendum per verbum « magnas », quaerebatur.

(3) Iste art. tangit locum praelaudatarum Constit., ubi scribitur: « Ministri autem eorum [studentium in generalibus studiis] ipsos lectores non instituant, nisi laudabile testimonium per modum praescriptum recipiant de eisdem ». BF VI, pag. 32 a.

(4) Respicit iste art. statutum dictarum Constit. prohibens distributionem librorum fratrum decedentium, nisi postquam quilibet conventus fuerit de ipsis plene munitus. Per « textus » audiebantur libri lectionum in quacumque facultate, v. g. in grammatica, in logica, in philosophia, in theologia, ut erant Biblia, liber Sententiarum etc.; per « scripta » autem commentarii approbatorum doctorum in eosdem textus. BF VI, pag. 33 a.

(5) Festum de stigmatibus sacris dicitur institutum in capitulo Caturcensi (1337). Cf. *Chron. 24 Gen.*, ap. AF III, 528; AFH III, 169. Has duas paragraphos, n. 9 et 10, Pagius edidit, l. c. supra, pag. 253 n. 2.

(6) Scil. Leg. maioris c. XIII; S. Bonav. *Opera*, VIII, 1898, 543-5.

11. *Item, facta fuit ordinatio, que sequitur.* « *In nomine Patris et Fi*[*lii*] *et S*[*piritus*] *s*[*ancti*], *amen. Ordinat reverendus pater generalis minister, quod pro pace principum christianorum et populi christiani et pro defensione ac victoria Christianorum, qui per Infideles impugnantur, in singulis conventibus et locis fratrum Minorum et sororum dicatur post missas conventuales et horas canonicas, antequam fratres vel sorores exeant chorum,* Salve regina *cum orationibus de Domina:* Interveniat, quesumus, *etc., de angelis:* Deus, qui miro, *et de pace:* Deus, a quo sancta de[sideria], *et cum aliis, prout ministris vel vicariis videbitur expedire, usque ad sequens capitulum generale* ».

12. *Provincia sancti Francisci visitet provinciam Penensem et visitetur a provincia Tuscie* (1).

13. *Provincia sancti Francisci mictit studentem de debito ad studium Tholosanum, Ossonie, Salamantinum, Bononie, Florentinum, Venetiarum, Mediolani, Ianuense, Pisanum, Ulixbone.*

14. *Ordinata fuerunt duo nova studia generalia, scilicet Ulixbone in provincia sancti Iacobi et Rostxillis* (*a*) (2) *in provincia Dacie.*

15. *Numerus fratrum* (*b*) *defunctorum a capitulo preterito generali Caturcensi: duo milia CCLXXII* (3).

16. *Summa missarum dicendarum a quolibet sacerdote pro vivis LXXXIX; item totidem vicibus dicantur psalmi penitentiales cum letaniis a quolibet clerico non sacerdote; item IIII*[or] *milia IIII*[c]*L* Pater noster *dicantur a quolibet layco.*

17. *Summa missarum dicendarum pro defunctis XLIII a quolibet sacerdote, et a quolibet clerico totiens vigilia mortuorum IX lectionum, et a quolibet layco duo milia* Pater noster.

18. *Ordinatus fuit locus sequentis capituli generalis in conventu Marsilie provincie Provincie* (4).

Quod autem non solum Acta praedicta seu Diffinitiones ediderit capitulum Assisii, verum etiam proprium vulgaverit Constitutionum codicem, suspicandum prorsus erat ex rerum successu chronologico prius enarrato, item ex prologo provinciae S. Francisci Constitutionum (5), ubi dicitur: *Cum propter statutorum papalium ac generalium sufficientiam quedam constitutiones nostre provincie ad iterationis prolixitatem et incongruitatem vitandam sint necessario resecande quedamque aptius ac decentius et utilius ordinande, idcirco* etc.; quae enim ratio, datis statutis Benedicti XII, valebat pro Constitutionibus

(*a*) Gr. *Rostxllis* (sic). (*b*) Gr. om. *fratrum.*

(1) Hoc et seq. art. patet praesens *Actorum* exemplar (ex Cod. 719 Bibl. Avinion.) provinciae S. Francisci Umbriae fuisse destinatum. Pro aliis provinciis articuli duo certo certius differebant. Iam in compilatione Parisien. (1292) includebatur statutum: « Ordinetur autem in capitulo generali quae provincia quam provinciam debeat visitare ». ALKG VI, 119.

(2) Est Roeskilde; cf. Eubel, *Provinciale O. M.*, Ad Cl. Aquas 1892, 39; Pisanus, AF IV, 548.

(3) Notetur numerum Fratrum defunctorum in capitulo Narbonae (1260) fuisse 2126. AFH III, 504.

(4) Ibi revera habitum fuit an. 1343. Cf. *Chron. 24 Gen.*, AF II, 538; Wadding, an. 1343, n. 4.

(5) Circa a. 1342 denuo ordinatarum. Cf. AFH V, 532 sq.

isti provinciae peculiaribus, eadem et valebat a fortiori pro totius Ordinis generalibus. Clarior nihilominus Constitutionum Assisiensium mentio legitur in prologo (1) earum, quas provincia Alemaniae Superioris a. 1341 Argentinae sibi redegit in scriptis:

In Christo sibi karissimis fratribus universis provincie Alamanie Superioris frater Iohannes de Ravensburgo, minister et servus fratrum predicte provincie, pacem et salutem ac continuum gratie salutaris a Domino incrementum. Cum ex piis caritatis visceribus vos omnes et singulos una mecum irreprehensibiles cupiam et sine crimine reperiri ac pacis vinculum custodire satagens ad observanciam regularis discipline, statuta quedam provincialia inferius annotata, aliis provincialibus suspensis omnibus, de consensu... diffinitorum et tocius capituli Argentine assensu sub anno Domini M.CCC.°XLI in festo Pentecostes celebrati, vobis transmitto distincta per titulos (2) *ad modum generalium statutorum fideliter observanda. Et ne ignorancia statutorum salubrium tam papalium quam* novorum generalium *ac provincialium sit occasio delinquendi, precipio singulis... gardianis seu eorum vicariis per obedienciam salutarem, ad quod custodes invigilent attencius negligentes puniendo, ut infra sex septimanas semel ad minus legi faciant ordinate et integre* nova statuta generalia Assisii nuper edita (3) *necnon ista provincialia vobis, ut premittitur, transmissa ac cum discussione matura diligencius ordinata.*

Tota difficultas in eo iacebat, ut invenirentur laudatae Constitutiones. quae perditae merito credi poterant. Medium tutae investigationis tres illos censui articulos supra positos, quos Capitulum volebat addi statutorum titulis primo, septimo et undecimo. Compilatio igitur genuina apparebat, quae ipsos inclusos locis servaret indicatis.

Feliciter tandem evenit, quod, praedicti Cod. Friburgensis 106 descriptionem praeparans, in quamdam statutorum collectionem ibi pag. 347-388 contentam inciderim, quae primo aspectu nihil peculiare prae se fert. Attentius vero examinans, mox tres illas inveni capituli Assisiensis (1340) inserendas ordinationes, imo aliam sub n. 5 in fine tituli XII notavi, qua Fr. Geraldus Othonis speciales indicebat praeces (4) « pro pace principum christianorum et populi christiani et pro defensione ac victoria Christianorum, qui per Infideles impugnantur ». Multa igitur cum probabilitate ad manus habebam desideratam compilationem.

Eam per extensum edendi nulla datur ratio, cum nihil fere novi afferat sitque potius mera cognitarum aliunde Constitutio-

(1) N. Glassberger, *Chronica*, AF II, 179. Prologus rescriptus est ex Cod. 106 (saec. XIV), p. 167, Bibl. Fr. Min. Conv. Friburgi in Helvetia, qui praefatas Alemaniae Superioris Provinciae Constitutiones servat integras, quas alia occasione alius evulgabit.

(2) Notetur verbum « titulos ». Praecedentes statutorum generalium recensiones verbo « capitulum » utebantur, ut distinguerent varias articulorum sectiones. Textus infra describendus communiter verbum « titulus » adhibet.

(3) Manifestum est haec verba non debere audiri de *Actibus* supra datis, sed de collectione quadam statutorum generalium Assisii compilatorum.

(4) Cf. supra, pag. 256, num. 11.

num repetitio. Satius erat omnes ipsius articulos notare breviter atque illos aequales praecedentium compilationum simul indicare. Sic sufficiens de eius indole iudicium sibi efformare quilibet valebit.

Incipiunt constitutiones generales.

Quoniam, ut ait Sapiens, ubi non est sepes..... | undecimo, que ad capitulum generale; [duodecimo, que ad suffragia defunctorum]. = Ass. 1316, AFH IV, 276; Far. 1354, BF VI, 639 *a*.

De religionis ingressu. Primus titulus.

1. *Statuimus in principio, quod nullus frater recipiatur..... | et vendant omnia, sicut in regula continetur.* = Ass. 1316, I, 1, AFH IV, 277, l. 3-6.

2. *Et nullus recipiatur pro clerico..... | vel in alia facultate.* = Ibid. l. 6-7.

3. *Quod si alicubi tales haberi non possint..... | et tunc tantum de licentia generalis.* = Ibid. l. 8-12.

4. *Nulli ministro, custodi seu gardiano liceat recipere.... | irrita sit et cassa.* = Ass. 1316, I, 2, AFH IV, 277, l. 13-16; Far. 1354, BF VI, 639 *b*.

5. *Inhibemus quoque quod nullus de ordine mendicantium..... | petita licentia et obtenta.* = Ass. 1316, I, 3, AFH IV, 277, l. 17-19; Far. 1354, BF VI, 639 *b*, aliquibus mutatis.

6. *Ex capitulo Perpiniani: « Qui venientem ad ordinem nostrum debet in fratrem recipere..... | sine generalis ministri licentia vel provincialis cum consilio discretorum ».* = Per. 1331, III, 3, quibusdam mutatis, AFH II, 279; Far. 1354, BF VI, 639 *a b*.

7. *Bonifacius VIIIus: « Volentibus vestro aggregari consortio.... | eo ipso in pristinas sententias, a quibus eos absolvi taliter contigerit, relabantur ».* = Per. 1331, III, 4, AFH II, 279-280; Far. 1354, BF VI, 639-640.

8. *Capitulum generale: « Completo vero probationis tempore.... | ad professionem recipi possint ».* = Ass. 1316, I, 7, AFH IV, 278, l. 49-51; Far. 1354, BF VI, 640 *a*.

9. *Et interdum etiam ex [causa] rationabili possint id ipsum ministri.... | provinciali ministro penitus reservetur.* = Ass. 1316, I, 7-8, AFH IV, 278, l. 51-63; Far. 1354, BF VI, 640 *a*.

10. *Ex eadem* (sic): *« Nullus novitius ad professionem recipiatur pro clerico..... | quod merito transeat ceteris in exemplum ».* = Acta cap. gen. Ass. 1340, n. 1, supra p. 253; Far. 1354, BF VI, 640 *a*, multis mutatis (1).

De qualitate habitus. Secundus titulus.

1. *Omnes fratres quantum ad valorem, colorem, longitudinem et latitudinem..... | preciositatibus et superfluitatibus penitus resecatis.* = Ass. 1316, II, 1, AFH IV, 278-279, l. 4-7.

---

(1) Ante n. 7 Codex istum habet articulum: *« Bonifacius 8us (!): Nulli ministro, custodi vel gardiano liceat recipere aliquem eiectum vel per se egressum, sive sit in nostro habitu sive non; si quis contra fecerit, huiusmodi receptio irrita sit et cassa, et tribus diebus tantum in pane et aqua ieiunet ».* Est fere idem art. ac ille sub n. 4.

2. *Ex compilatione Assisinate:* « *Fiat autem caputium tali modo......* | *curiositate qualibet abdicata* ». = Per. 1331, IV, 4, AFH II, 283.

3. *Ex eadem:* « *Cingulum habeatur corda communis.....* | *cum cu[l]tellis et bursis* ». = Per. 1331, IV, 7, AFH II, 283.

4. *Ex eadem:* « *Fratres non dormiant sine habitu, corda.....* | *vel infirmitate cogantur* ». = Per. 1331, IV, 8, AFH II, 284; Far. 1354, BF VI, 640 *b*.

5. *Ex eadem:* « *Cum ab institutione ordinis.....* | *comedat in terra coram fratribus in conventu* ». = Per. 1331, IV, 6, AFH II, 283.

De observantia paupertatis. Tercius titulus.

1. *Cum regula dicat, quod fratres non recipiant pecuniam.....* | *legantur fratribus in capitulo vel in mensa, ne ignorantia sit ipsis occasio delinquendi.* = Ass. 1316, III, 1, AFH IV, 279, l. 1-9; Far. 1354, BF VI, 640-641, aliquibus mutatis.

2. *Ex eadem:* « *Nullus frater ex quacumque causa.....* | *infra quem pecunia ipsa in res licitas convertatur* ». = Ass. 1316, III, 2, AFH IV, 279-280, l. 10-17; Far. 1354, BF VI, 641 *a*, pluribus mutatis.

3. *Ex eadem:* « *Simili quoque pena, scilicet proprietarii, puniantur.....* | *possit dare custodibus, si videbitur oportunum* ». = Ass. 1316, III, 3, AFH IV, 280, l. 18-22; Far. 1354, BF VI, 641 *a*, aliquibus mutatis.

4. *Ex eadem:* « *Fratres nullam litteram vel instrumentum confici permittant.....* | *ab aliqua persona esse acceptam et sibi plenarie satisfactum* ». = Ass. 1316, III, 3, AFH IV, 280, ex add. plurium codicum; Far. 1354. BF VI, 641 *a*.

5. *Ex eadem:* « *Inhibemus districte sub pena [privationis] librorum....* | *eo modo quo accepta fuerant, ydonea cautione* ». = Ass. 1316, III, 6, AFH IV, 280, l. 34-45; Far. 1354, BF VI, 641 *b*.

6. *Ex eadem:* « *Ministri, custodes, gardiani, procuratores et alii.....* | *congruis temporibus requirere rationem* ». = Ass. 1316, III, 7, AFH IV, 280-281, l. 46-53; Far. 1354, BF VI, 641 *b*.

7. *Ex eadem:* « *Inhibemus per obedientiam, ut nullus frater inducat.....* | *sententiam excommunicationis incurrat, a qua non possit absolvi nisi per ministrum vel eius vicarium* ». = Ass. 1316, III, 11, AFH IV, 281, l. 73-78, aliquibus additis; Far. 1354, BF VI, 641 *b*.

De forma interius (*a*) conversandi. Quartus titulus.

1. *Cum secundum regulam teneamur.....* | *a quinquagesima inchoetur.* = Ass. 1316, IV, 1-3, AFH IV 282, l. 1-15; Far. 1354, BF VI, 642.

2. *Ex eadem:* « *Omnes fratres hospites suscipiantur...* | *de extraneis provinciis et longinquis* ». = Ass. 1316, IV, 13, AFH IV, 284, l. 81-82; Far. 1354, BF VI, 642 *b*.

3. *Ex eadem:* « *Tonsuram vero desuper aures tam clerici quam layci....* | *Et tunc fiat sermo fratribus in communi* ». = Ass. 1316, IV, 14, AFH IV, 284, l. 88-91; Far. 1354, BF VI, 640 *b*.

4. *Ex eadem:* « *Ad illud autem altissimum sacramentum......* | *in utroque homine puritas observetur* ». = Ass. 1316, IV, 15, AFH IV, 284, l. 91-97; Far. 1354, BF VI, 643, quibusdam additis.

(*a*) Cod. *exterius.*



5. *Cum illius summe gratie opus, quo homo coniunctus est Deo in unitate persone, legitur in missa.... | et alibi, sicut in Ordinario traditum invenitur.* = Per. 1331, V, 7, AFH II, 286; Far. 1354, BF VI, 643 *a*.

De modo exeundi. Quintus titulus.

1. *Nullus frater vadat nec eques nec pedes [aut] sine fratre socio alicubi commoretur.* = Ass. 1316, V, 3, AFH IV, 285, l. 23-24; Far. 1354, BF VI, 643 *b*.

2. *Ex eadem: « Fratres cum in itinere fuerint et ad loca.... | auferantur », vel saltem semel in terra comedant coram fratribus in conventu.* = Ass. 1316, V, 7, AFH IV, 286, l. 58-65. poena mutata; Per. 1331, VII, 6, AFH II, 290, poena item mutata; Far. 1354, BF VI, 643 *b*.

3. *Ex eadem: « Inhibemus quoque districte, ne frater aliquis in via..... | in pane et aqua absque dispensatione teneatur [ieiunare] ».* = Ass. 1316, V, 4, AFH IV, 285, l. 25-36; Far. 1354, BF VI, 644 *a*.

4. *Ex eadem: « Fratres transeuntes per viam..... | subiaceant correctioni eorumdem ».* = Ass. 1316, V, 9, AFH IV, 286-287, l. 72-75; Per. 1331, VII, 9, AFH II, 291; Far. 1354, BF VI, 644 *a*.

5. *Ex eadem: « Fratres nihil portent.... | secundum quantitatem delicti ».* = Ass. 1316, V, 10, ibid.; Per. 1331, VII, 8, ibid.; Far. 1354, ibid.

6. *Ordinat insuper generalis minister..... | de posse veniendi vel vocandi fratres ad curiam supradictam.* = Lugd. 1325, V, 11, AFH IV, 532, l. 25-42; cf. Per. 1331, VII, 7, ibid.

7. *Ex capitulo Perpiniani: « Ad monasteria sanctimonialium.... | vel provincialis arbitrium teneatur ».* = Per. 1331, XIX, 3, AFH II, 595; Far. 1354, BF VI, 643 *b*, aliquibus mutatis.

8. *Nullus insuper pro aliena receptus provincia.... | nisi de generalis ministri licentia speciali.* = Ass. 1316, I, 3, AFH IV, 277, l. 19-22; Far. 1354, BF VI, 639 *b*.

9. *Ex eadem: « Si contingat aliquem fratrem onerosum... | quod fratris infamie caveatur ».* = Ass. 1316, V, 14, AFH IV, 287, l. 100-107; Per. 1331, VII, 12, AFH II, 292; Far. 1354, BF VI, 644 *a*.

10. *[Ex] eadem: « Ministri qui fratres licentiant..... | provinciam egredi teneantur ».* = Ass. 1316, V, 16, AFH IV, 288, l. 110-114; Per. 1331, VII, 13, AFH II, 292; Far. 1354, BF VI, 644 *a*.

De occupatione fratrum. VI capitulum (sic).

1. *Cum regula dicat, quod fratres, quibus..... | qualiter constitutio observetur.* = Ass. 1316, VI, 1, ibid. l. 1-9; Far. 1354, BF VI, 644 *b*; cf. Per. 1331, IX, 5, AFH II, 414.

2. *Ex eadem: « Si alicubi fratres indigent..... | humilitatis officia non recusent.* = Ass. 1316, VI, 2, ibid. l. 10-13; Per. 1331. IX, 5, ibid.; Far. 1354, ibid.

3. *Ex eadem: « Nullus frater pro confessione audienda..... | a sociis accusentur ».* = Ass. 1316, VI, 5, ibid. l. 23-26; Far. 1354, ibid.

4. *Ex eadem: « Ad otiositatem autem vitandam..... | vel a vino, nisi remanserint de licentia speciali ».* = Ass. 1316, VI, 16, ibid. l. 87-97; Far. 1354, ibid., aliquibus mutatis.

5. *Ex eadem: « Omnes vero studentes, cum ad suas provincias redeunt.... | quas suis ministris ostendere teneantur ».* = Paris. 1292, ALKG, VI, p. 109-110.

6. *Ex eadem:* « *Nullus frater ordines recipiat..... | secum fuerit dispensatum* ». = Ass. 1316, VI, 10, ibid. l. 52-55; Far. 1354, BF VI, 645 *a*, aliquibus mutatis; Per. 1331, V, 3, AFH II, 285.

7. *Ex eadem:* « *Nullus frater procuret per se.... | a confessionibus audiendis* ». = Ass. 1316, VI, 8, ibid. l. 40-47; Far. 1354, ibid.

8. *Libri ecclesiastici cum omni diligentia corrigantur..... | qui visitationi presidet, inquiratur.* = Per. 1331, V, 9, AFH II, 286.

De correctione delinquentium. VII^us^ titulus.

1. [*Bonifacius VIII^us^*]: « *Ad augmentum continuum religionum..... | ac maturitate debita observatis* ». = Per. 1331, XVIII, 2, AFH II, 583; Far. 1354, BF VI, 645 *b*.

2. *Suave igitur iugum Christi..... | debeant detinere.* = Acta cap. gen. Ass. 1340, n. 2, supra pag. 253. Cf. Per. 1331, XVIII, 3, ibid. 584.

3. *Ex eadem:* « *Ordinamus quod nullus frater provincialibus ministris inferior..... | si de lapsu eorum testimonia habeantur sufficientia fide digna* ». — Per. 1331, XIII, 8, ibid. 421; Far. 1354, BF VI, 645 *b*, 646 *a*, aliquibus additis et mutatis in utroque textu.

4. *Ex eadem:* « *Nullus confessor possit aliquem absolvere.... | idem iudicium habeatur* ». = Ass. 1316, VII, 3, AFH IV, 294, l. 13-19; Far. 1354, BF VI, 646 *a*.

5. [*Bonifacius VIII^us^*]: « *Generalis et singuli provinciales ministri... | et ipsius ordinis instituta* ». = Per. 1331, XIII, 2, AFH II, 420; Far. 1354, BF VI, 646 *a*.

6. *Ex eadem*: « *Ab excommunicatione vero..... | minime haberetur* ». = Ass. 1316, VII, 8, AFH IV, 295, l. 39-42; Per. 1331, XIII, 3, ibid. 421; Far. 1354, BF VI, 646 *b*.

7. « *Ex eadem:* « *Nullus eiciatur vel incarceretur..... | idem iudicium habeatur* ». = Ass. 1316, VII, 9, ibid. l. 43-47; Per. 1331, XVIII, 20, ibid. 588; Far. 1354, ibid.

8. *Ex eadem:* « *Declaramus autem, quod omnes.... | habitu ordinis spolietur* ». = Ibid.

9. *Ex eadem:* « *Quicumque frater per se vel alium.... | seu etiam missas aliis ab eisdem* ». = Ass. 1316, VII, 11-13; Far. 1354, ibid. 646 *b;* Per. 1331, XIV. 10, ibid. 430.

10. *Si quis etiam frater, tacito proprio nomine..... | carceri mancipetur.* = Ass. 1316, VII, 19, ibid. l. 101-109; Far. 1354. ibid.

11. *Ex eadem:* « *Mandat generalis minister..... | gardiani de consilio discretorum* ». = Ass. 1316, VII, 20, ibid.; Far. 1354, ibid. (1).

12. *Qui per maliciosam concordiam.... | fuerit restitutus.* = Ass. 1316, VII, 24, ibid.; Far. 1354, BF VI, 647 *b*.

13. *Sub interminatione anathematis..... | carceri mancipetur.* = Ass. 1316, VII, 29, ibid.; Per. 1331, XVIII, 25, ibid. 589; Far. 1354, ibid.

14. *Precipimus per obedientiam in virtute Spiritus sancti.... | de sua provincia expellatur.* = Ass. 1316, VII, 27, ibid.; Per. 1331, XV, 12, ibid. 579: Far. 1354, ibid. 647 *a*.

15. *Fratres evidenter notati..... | familiaritatibus quibuscumque.* = Ass. 1316, VII, 22, ibid. 297; Per. 1331, XIX, 4, ibid. 595; Far. 1354, ibid. 648 *b*, 648 *a*.

(1) Statim habetur in codice: « *Ex eadem : Si quis ore blasphemo* ». Sequuntur 9 lineae vacuae, ad quarum marginem posuit amanuensis: « *Non inveni* ». Cf. p. 263, num. 12; p. 264, not. 1, 2.



16. *Quicumque frater conventus fuerit..... | et alius de lapsu carnis, incarceretur.* = Ass. 1316, VII, 23, ibid. 297; Per. 1331, XIX, 7, ibid. 595, 596; Far. 1354, ibid. 648 *a.* aliquibus mutatis.

17. *Ex eadem:* « *Districte per obedientiam inhibemus..... | nomina revelari* ». = Ass. 1316, VIII, 10, ibid. 509: Per. 1331, XVIII, 18, ibid. 587; Far. 1354, ibid. 648 *b.*

18. *Inhibemus insuper etiam accusatis..... | absolucio sit inanis.* = Ibid. et eisdem locis.

19. *Quicumque frater inventus fuerit proprietarius..... | ecclesiastica sepultura.* = Ass. 1316, VII, 14, ibid. 296; Per. 1331, X, 5, ibid. 418; Far. 1354, ibid. 648 *a.*

20. [*Ex eadem*]: « *Postremo contra appropriatores..... | vel etiam sustinere* ». = Ass. 1316, III, 15, ibid. 282; Per. 1331, X, 6, ibid. 418; Far. 1354, ibid. 648 *a.*

21. [*Ex eadem*]: « *Fratres incorrigibiles..... | puniantur* ». Ass. 1316, VII, 30, ibid. 299; Per. 1331, XVIII, 31, ibid. 590; Far. ibid.

22. [*Ex eadem*]: « *In virtute Spiritus sancti.... | videbitur de consilio discretorum expedire* ». = Ass. 1316, VII, 26, ibid. 298; Per. 1331, XIV, 9, ibid. 429; Far. 1354, ibid. 647 *a.*

23. [*Ex eadem*]: « *Teneantur autem fratres exeuntes..... | omni actu legitimo privetur* ». — Ass. 1316, V, 1, AFH IV, 285, l. 4-12; Per. 1331, XVIII, 13, ibid. 586; Far. 1354, ibid. 648 *a.*

24. *Ex eadem:* « *Nullus frater aliquem de aliquo accuset..... | legitime puniatur* ». = Ass. 1316, VIII, 13, ibid. 510; Per. 1331, XVIII, 12, ibid.; Far. 1354, ibid. 648 *b.*

25. *Ex eadem:* « *Quicumque frater deposuerit..... | scilicet publice vel occulte* ». = Ass. 1316, VII, 18, ibid. 297; Per. 1331, XVIII, 15, ibid. 587; Far. 1354, ibid.

26. *Ex eadem:* « *Ministri possunt visitare..... | coram duobus vel tribus testibus* ». = Ass. 1316, VIII, 27, 28, ibid. 511 sq.; Per. 1331, XVIII, 5, 11; Far. 1354, 648 *b.*

27. *Ordinamus, quod nullus minister provincialis..... | absolutio sit inanis.* = Ass. 1316, VII, 38, ibid. 301; Per. 1331, XVIII, 30, ibid. 590; Far. 1354, ibid. 548 *b.*

28. *Ex eadem:* « *Quia in plerisque statutis..... | et ex deliberatione contrarium facientes* ». = Ass. 1316, VII, 40, ibid. 302; Per. 1331, XVIII, 37, ibid. 592; Far. 1354, ibid. 548 *b.*

29. *Ne labor generalis capituli sit inanis..... | et graviter puniantur.* = Ass. 1316, VII, 36, ibid. 300, sed multis mutatis. Cfr. Per. 1331, XVIII, 42, ibid. 594; Far. 1354, ibid. 649 *a.*

30. *Ex eadem:* « *Ut apostatas et insolentes..... | concedimus facultatem* ». = Per. 1331, XVIII, 19, ibid. 588; Far. 1354, ibid. 649 *a.*

31. *Volentes precludere apostatandi viam..... | ab ordine nostro.* = Ass. 1316, VII, 31, ibid. 299; Per. 1331, III, 10, ibid. 281; Far. 1354, ibid. 649 *a.*

32. *Postquam etiam custodibus sufficienter innotuerit..... | usquedum de ipsorum absolutione eis constiterit per legitima documenta, et scienter participantes cum eis sine superiorum licentia post trinam ammonicionem excommunicentur.* = Per. 1331, III, 11, ibid. 281, mutatis pluribus: Far. 1354, ibid. 649 *b.* aliquibus mutatis.

33. *Ex eadem:* « *Quilibet minister provincialis..... | in scandalum ordinis evagari* ». = Ass. 1316, VII, 34, ibid. 300; Per. 1331, XVIII, 23, ibid. 588, demptis quibusdam; Far. 1354, ibid. 649 *b.*

De visitatoribus (sic) **provinciarum. VIIIus titulus.**

1. *Cum regula dicat, quod fratres..... | ac si in sua custodia decessisset.* = Ass. 1316, VIII, 1-3, ibid. 508; Per. 1331, XVIII, 6, ibid. 584 sq.; Far. 1354, ibid. 649 *b*, 650 *a*.

2. *Ex eadem: « Ordinetur in generali capitulo..... | tunc accusentur generali capitulo »* (sic). = Ass. 1316, VIII, 4-6, ibid. 509; Per. 1331, XVIII, 6 [4-5], ibid. 585; Far. 1354, ibid. 650 *a*.

3. *Isti visitent singula loca..... | suum officium exequantur.* = Ass. 1316, VIII, 7, ibid. 509; Per. 1331, XVIII, 9, ibid. 586; Far. 1354, ibid. 650 *a*.

4. *Procedant autem in hunc modum: primo legatur..... | de quo est in publico accusandus.* = Ass. 1316, VIII, 9, ibid. 509; Per. 1331, XVIII, 10, ibid. 586; Far. 1354, ibid. 650 *a*.

5. *Visitatores isti..... | aut nullatenus consentiret.* = Ass. 1316, VIII, 15-18; Per. 1331, XVIII, 7, 26, 29; Far. 1354, ibid. 650 *a*, 650 *b*.

6. *Ex eadem: « Ad extirpationem vero malorum..... | eidem capitulo generali non personaliter, sed per speciales litteras nuntiare ».* = Per. 1331, XVIII, 27, ibid. 589. Cf. Ass. 1316, VIII, 19-20, ibid. 511; Far. 1354, ibid. 650 *b*.

7. *Nec ullo modo in provinciis..... | accusentur capitulo generali.* = Ass. 1316, VIII, 20-21; Far. 1354, ibid. 650 *b*.

8. *Item per obedientiam teneantur..... | accusentur capitulo generali.* = Ass. 1316, VIII, 22-23.

9. [*Ex eadem*]: *« Excessus autem visitatorum..... | nichilominus puniatur ».* = Ass. 1316, VIII, 24; Per. 1331, XVIII, 28, ibid. 590; Far. 1354, ibid. 650 *b*.

10. *Ex eadem: « Insuper ordinamus, quod singulis annis..... | remittere ad suam provinciam ».* = Far. 1354, ibid. 650 *b;* Ass. 1316, VIII, 25, ibid. 511.

11. [*Ex eadem*]: *« Conventus sacri loci de Assisio..... | penitus reservetur ».* = Ass. 1316, VIII, 26, ibid.

12. *Conventus quoque loci* [sequuntur 7 lineae vacuae, ad marginem scripto *« non inveni »*]. Cf. Far. 1354, ibid. 650 *b*. Cf. 264 s., not.

13. *Prefati visitatores non intromittant se.... | coram fratribus accusentur.* = Ass. 1316, VIII, 8, ibid. 509; Per. 1331, XVIII, 8, ibid. 585; Far. 1354, ibid. 650 *a*.

De electione generalis ministri. Nonum capitulum (sic).

1. *Cum regula dicat, quod generalis minister..... | de preficiendo valeant providere.* = Ass. 1316, IX, 1-3; Per. 1331, XIV, 4 [1-3]; Far. 1354, ibid. 651 *a*.

2. *Ex eadem: « Ordinat insuper generalis minister..... | provisio alterius pertinet ad custodem ».* = Ass. 1316, IX, 5-6, ibid. 518, l. 26-38; Far. 1354, ibid. 652 *b*.

3. *Ex eadem: « Si vero generalem ministrum mori..... | in fine cantari: « Te Deum laudamus ».* = Ass. 1316, IX, 4-6, ibid. 513; Per. 1331, XIV, 4 [4-5]; XV, 3 [1]; Far. 1354, ibid. 651 *a*, 651 *b*.

4. *Ex eadem: « Ordinamus autem, quod ipsi provinciales..... | eligi de toto ordine ».* = Ass. 1316, IX, 7; Per. 1331, XV, 3 [2]; Far. 1354, ibid. 651 *b*.



5. *Ex eadem:* « *Custos in cuius custodia..... | reddere certiorem* ». = Ass. 1316, IX, 9-12; Per. 1331, XV, 3 [3-4]; Far. 1354, ibid. 651 *b.*

6. *Ex eadem:* « *Nullus autem frater..... | necessitas id requirat* ». = Ass. 1316, IX, 15; Per. 1331, XV, 5; Far. 1354, ibid. 651 *b.*

7. *Ex eadem:* « *Fratres assignati..... | vel expediat exerceri* ». = Ibidem (1).

8. *Diffinimus quod custodes et gardiani..... | se mutuo perturbent.* = Ass. 1316, IX, 19; Per. 1331, XV, 6; Far. 1354, ibid. 652 *a.*

9. *Minister provincialis quando vadit..... | ipsius custodie* [*consilio*] *discretorum.* = Ass. 1316, IX, 20-27; Per. 1331, XV, 7-8; Far. 1354, ibid. 652 *a.*

10. *Ex eadem:* « *Fratres pacientes defectum..... | certitudinaliter declarata* ». = Ass. 1316, IX, 29; Per. 1331, X, 10, aliquibus omissis; Far. 1354, ibid. 652 *a.*

11. *Ex eadem:* « *Nullus frater preficiatur..... | cibis et lectis* ». = Ibidem.

12. *Ex eadem:* « *Precepit autem generalis..... | habeat completos in etate* ». = Ass. 1316, IX, 31; Per. 1331, V, 3, ibid. 285; Far. 1354, ibid. 652 *a,* aliquibus demptis.

13. *Ex eadem:* « *Inhibemus per obedientiam, quod nullus frater..... | actu legitimo sit suspensus* ». = Ass. 1316, IX, 32, l. 183-188; Far. 1354, ibid. 652 *a.*

14. *Quicumque frater sine domini pape..... | evitetur et etiam capiatur.*

15. *Ex eadem:* « *Sancta sedes apostolica..... | in capitulo declarare* ». = Per. 1331, XXI, 7.

De provinciali capitulo. X^um capitulum (sic).

1. *Cum regula dicat, quod ministri..... | valeant interesse.* = Ass. 1316, X, 1; Far. 1354, ibid. 652 *b.*

2. *Ex eadem:* « *Nullus frater vel presens..... | de custodibus continetur* ». = Ass. 1316, X, 4; Far. 1354, ibid.

3. *Ex eadem:* « *Ad prefixam autem diem..... | minime computetur* ». = Ass. 1316, X, 5; Far. 1354, ibidem.

4. *Ex eadem:* « *Gardianus autem teneat capitulum..... | coram diffinitoribus accusare* ». = Ass. 1316, X, 7-12; Per. 1331, XV, 13 [3, 5], 14, 15; Far. 1354, ibid. 652 *b.*

5. *Ex eadem:* « *In loco capituli congregati..... | duxerint eligendos* ». = Ass. 1316, X, 13; Per. 1331, XV, 16; Far. 1354, ibid.

6. *Ex* [*eadem*]: « *In huiusmodi capituli principio..... | si videbitur, admittatur* ». = Ass. 1316, X, 14; Per. 1331, XV, 17; Far. 1354, ibid. 653 *a.*

7. *Ex eadem:* « *Diffinitores vero possint corrigere..... | sequenti anno eligi diffinitor* ». = Ass. 1316, X, 16-18; Per. 1331, XV, 18-20; Far. 1354, ibid.

8. *Ex eadem:* « *Electis igitur diffinitoribus..... | presentet huiusmodi in capitulo generali* ». = Ass. 1316, X, 19-21; Per. 1331, XV, 21; XIV, 8, 6; Far. 1354, ibid. 653 *a,* 653 *b.*

9. *Ex eadem:* « *Item per obedientiam teneantur..... | ea, que continentur in ea* ». = Ass. 1316, X, 22; Per. 1331, XIV, 6; Far. 1354, ibid. 653 *b* (2).

(1) Post hunc art. sequitur immediate: « *Quia vero sedes apostolica* », 18 lineis relictis vacuis et ad marginem scripto « *non inveni* ». Cf. pag. 263, num. 12.

(2) Sequitur: « *Nullus frater convictus crimine* »... cum 9 lineis relictis vacuis et ad marginem scripto « *non inveni* ».

De capitulo generali. Undecimus titulus.

1. *Cum regula dicat..... | duxerit prolongandum.* = Ass. 1316, XI, 1; Far. 1354, ibid.

2. *Item propter labores..... | duxerit ordinandum.* = Ass. 1316, XI, 2; Far. 1354, ibid.

3. *Ex eadem: « Ad generale capitulum conveniant..... | usque ad sequens capitulum generale ».* = Ass. 1316, XI, 3; Per. 1331, XIV, 7 [1-2]; Far. 1354, ibid. 653 *b* (1).

4. *Ordinamus, quod generalis capituli..... | si videbitur, admittatur.* = Ass. 1316, XI, 6, 7; Per. 1331, XIV, 7 [4]; Far. 1354, ibid. 654 *a*.

5. *Ex eadem: « Porro fratres qui veniunt..... | quando fieri poterit bono modo ».* = Ass. 1316, XI, 10; Per. 1331, XIV, 7 [5]; Far. 1354, ibid. 654 *a*.

6. *Ex eadem: « Congregati igitur ministri..... | excommunicatus sit ipso facto ».* = Ass. 1316, XI, 11-13; Per. 1331, XIV, 7 [6, 7]; Far. 1354, ibid.

7. *Ex eadem: « Processus autem inclusorum..... | absentem vel presentem ».* = Ass. 1316, XI, 14-16; Per. 1331, XIV, 7 [8]; Far. 1354, ibid.

8. *Si vero post vigiliam Penthecosten..... | quibus generalis ministri secundum regulam et apostolica privilegia electio data est, alium sibi eligant in ministrum, servata penitus forma premissa.* = Acta cap. gen. Ass. 1340, n. 3, supra pag. 254.

9. *Ex eadem: « Feria secunda Penthecostes..... | modo simili absolvantur ».* = Ass. 1316, XI, 17-18; Per. 1331, XIV, 7 [9]; Far. 1354, ibid. 654 *b*.

10. *Nullus religiosus..... | in fine provincialis capituli observetur.* = Ass. 1316, XI, 20-23; Per. 1331, XIV, 7 [11, 12]; Far. 1354, ibid.

De suffragiis defunctorum. Duodecimus titulus.

1. *Statuimus, ut [pro] omnibus fratribus..... | quilibet frater laycus centum Pater noster.* = Ass. 1316, XII, 1-2; Per. 1331, V, 10 [1, 2]; Far. 1354, ibid.

2. *Ex eadem: « Ordinamus, quod pro cardinali..... | in ordinis officio decedente ».* = Ibid.

3. *Ex eadem: « Officium pro defunctis fratribus..... layci C Pater noster ».* = Ibid.

4. *Ex eadem: « Ordinamus, quod in quolibet conventu..... | specialia suffragia in quolibet capitulo generali ».* = Ass. 1316, XII, 5-8; Per. 1331, V, 10 [5, 6]; Far. 1354, ibid. pluribus omissis et etiam additis.

5. *Ex eadem: « Ordinat reverendus pater noster generalis minister, quod pro pace principum christianorum et populi christiani..... | usque ad sequens capitulum generale ».* = Acta cap. gen. Ass. 1340, n. 11, supra pag. 256.

Expliciunt constitutiones generales.

Praecedenti descriptione clarent fontes nostrae statutorum recensionis. In tit. I, art. 1, 2, 3, 4, 5, 8 et 9 desumpti fuerunt ex Assis.

(1) Sequitur: « *Ex eadem: Si vero tempore instantis capituli* »... cum 11 lineis vacuis et ad marginem « *non inveni* ».



(1316), art. 6 et 7 ex Perpin. (1331), art. 10 ex diffinitionibus Assisii (1340); in tit. II, art. 1 solus provenit ex Assis. (1316), art. autem 2, 3, 4, 5 sunt verbotenus ex Perpin. (1331); in tit. III, art. omnes videntur ex Assis. (1316) procedere; in tit. IV, art. 1, 2, 3, 4 iam in Assis. (1316) leguntur, art. vero 5 ex Perpin. (1331) fluit; in tit. V, art. 1, 2, 3, 4, 5, 8, 9 et 10 ex Assis. (1316) colliguntur, art. vero 6 ex Lugd. (1325), art. denique 7 ex Perpin. (1331); in tit. VI, art. 1, 2, 3, 4. 6, 7 transcribuntur ex Assis. (1316), art. 5 ex Paris. (1292), ut opinor, art. 8 ex Perpin. (1331). In sequentibus tit. eadem observatio sic locum habet, ut liceat concludere maximam dictarum constitutionum partem oriri ex Assis. (1316), minorem ex Perpin. (1331), minimam aliunde, v. g. ex Paris. (1292), Lugd. (1325), et Assis. (1340) capitulis seu diffinitionibus.

Post tantam ab anno 1316 legum fluctuationem, desiderabantur utique statuta maturius digesta, discussa laboriosius, ordinata doctius, magisque apta ad Ordinis instaurandam disciplinam. Hinc nil mirum, si paucos post annos Marsiliae (1343) revocata sint (1), donec Venetiis (1346) et iterum Assisii (1354) Minorum legislatio quasi totaliter renovaretur.

Burdigalae.

P. FERDINANDUS M. DELORME, O. F. M.

---

(1) AF III, 538-539; II, 182; *Annales Minorum*, ad a. 1343, n. 7.

DOCUMENTA INEDITA
AD HISTORIAM FRATICELLORUM
SPECTANTIA

(*Continuatio*) (a).

Textus tres saec. XIV.

Completis aliis quibusdam magis instantibus laboribus, editionem textuum historiam obscuram Fraticellorum illustrantium resumimus versusque finem conducimus. Atque trium imprimis documentorum saeculi XIV textus vel extracta exhibemus, praemissa summaria de eisdem notitia. Sunt vero ordine chronologico documenta V, VI, VII totius seriei. Primum et tertium sunt contra Fraticellos, medium est una ex eorum numerosis defensionibus.

Sub n. V edemus documentum, quod quidem in historia locali editum iam fuerat, ast viris studiosis ignotum remansit, sententiam scil. absolutionis Communitatis Mathelicae, in Marchia Anconitana sitae, ab excommunicatione contracta a. 1336, occasione sive protectionis sive neglectae repressionis Fraticellorum. Invenitur instrumentum originale membranaceum in Archivo municipali Mathelicae, signatum in schedula pendente n. 1009, mm. 305×173. In dorso variae adsunt notulae antiquae et recentiores, quarum una sat recens: *Assoluzione de fraticellis.* Primus qui hoc de documento tractavit videtur esse notissimus ille Ios. Ant. Vogel, ex Alsatia oriundus sacerdos, qui tempore Revolutionis gallicae in Italiam descendit atque in Marchia Anconitana plura Archiva sive civilia sive ecclesiastica ordinavit (1). Is regestum nostri documenti fecit atque integrum etiam transcripsit, quae etiam quoad alia documenta eiusdem Archivi praestitit; scripta haec, tribus voluminibus comprehensa, ibidem asservantur. Apographum presbyteri Vogel edidit Cam. Acquacotta (2). Documentum nuper etiam descripsit G. Grimaldi in catalogo. eiusdem Archivi (3). Textum quem infra exhibemus ex originali desumpsimus indeque quaedam menda in editione Acquacotta corrigere potuimus.

(a) Cf. AFH III, 253-279; 505-529; 680-699; IV, 3-23; 688-712; V, 74-84.

(1) Alibi de ab. Vogel plura dicere intendimus.

(2) *Memorie di Matelica raccolte ed ordinate dall'arciprete* Camillo Acquacotta, I, Ancona 1838: II, *Lapidi e documenti alle Memorie di Matelica*, Ancona 1839, p. 237-39.

(3) *Archivo storico Comunale di Matelica*, ap. Mazzatinti-Degli Azzi, *Gli Archivi della Storia d'Italia*, Serie II, vol. II (VII della raccolta), Rocca S. Casciano 1911, pp. 108-475. Documentum nostrum sub n. 1018 describitur.



Argumentum documenti est sequens. Fr. Iohannes de Burgo (S. Sepulchri), O. F. M., Vicarius Inquisitoris in Marchia Anconitana (1), et simul subdelegatus Nuntii Apostolici Bertrandi (de Deucio) Archiepiscopi Ebredunensis (2), litteris (3) monuerat Officiales Communis Mathelicae, ne favores etc. praestarent haereticis Fraticellis ab Ecclesia damnatis, imo in eos procederent. Sed Municipium, quod paucis ante annis, Auximi, 17 Iun. 1329, Ludovico Bavaro eiusque Antipapae Nicolao V adhaeserat (4), non curasse videtur mandatum Fratris Iohannis, donec is contra ipsum Commune processisset, quod tunc se excusavit atque statutum contra Fraticellos in librum Reformationum inseruit (5). Quibus factis, dictus Vicarius Inquisitoris volens « mitius agere » Commune ab excommunicatione absolvit die 16 Dec. 1336, instrumento rogato in refectorio Conventus Fratrum Minorum Mathelicae (6), quod praecise instrumentum hic edimus.

Utrum hoc actu Fraticelli in territorio Mathelicensi extirpati sint, non liquet (7); in posterioribus documentis Municipii nullam de eis mentionem inveni. Certum est autem in eadem dioecesi Camerinensi, ad quam Mathelica tunc spectabat, circa idem tempus Fraticellis potentes fautores fuisse, quosdam scil. nobiles et ipsum episcopum Franciscum (8). Is, nescio quibus causis inductus, Fraticellos organizare studens eisdem

(1) Anno 1333 tres apparent Inquisitores Fratres Minores in Marchia Anconitana, quos cf. ap. Mich. Buglioni, O. M. Conv., *Istoria del Convento di S. Francesco de' Minori d'Ancona,* ib. 1795, p. 156. Iohannes de Burgo 7 Iul. 1337 Inquisitor Marchiae Anconitanae apparet; cf. Eubel, *BF* VI, p. 50.

(2) Embrun in Gallia. Bertrandus, qui non est confundendus cum Card. Bertrando de Poietto, eodem tempore munere Legati pontificii in Italia fungente, postea, a. 1338, Cardinalis creatus est; cf. Eubel, *Hier. cath.* ed. 2, 1913, I, 17 et ut talis apparet in historia Nicolai Laurentii, vulgo Cola di Rienzo; cf. *La vita di Cola di Rienzo,* ed. 2. a Zeffirino Re, Firenze 1854, p. 223-24.

(3) Quas frustra in Archivo Mathelicensi quaesivimus.

(4) Cf. Acta « Parlamenti » Auximi habiti ap. Acquacotta, l. c. II, 219-24, descripta ap. Grinaldi l. c., p. 402, n. 50. Instrumentum absolutionis Card. Bertrandi de Poietto, Legati pontificii, datum Bononiae 6 Nov. 1332, sub n. 987 Archivi Mathelicensis, descriptum a Grimaldi l. c. sub n. 996, editum ab Acquacotta l. c. II, p. 227-36. Copia eiusdem instrumenti facta 8 Dec. 1334, habetur sub n. 987 in eodem Archivo, descripta a Grimaldi l. c. sub n. 997.

(5) Reformationes conservatae in Archivo parum post incipiunt scil. a. 1340.

(6) De eo cf. Gonzaga, *De origine seraphicae Religionis,* Romae 1587, p. 207; Rod. Tossinianensis, *Historiarum seraphicae Religionis libri tres,* Venetiis 1586, f. 257 r; Acquacotta, l. c. I, p. 129-30; II, 169; 339 (ubi Fratres Min. a. 1268 commemorantur); Luigi da Fabriano, O. F. M., *Cenni cronologico-biografici della Osservante Provincia Picena,* Quaracchi 1886, 50-51; Candido Mariotti, O. F. M., *Stato passato e presente della Provincia dei Minori nelle Marche,* Iesi 1900, 21; Idem, *I Primordi gloriosi dell' Ordine Minoritico nelle Marche,* Castelplanio 1903, 167-69; Idem, *L'Ordine Francescano in Matelica,* ib. 1909, 12-20; Grimaldi, l. c. n. 177 (17 Iun. 1261); 416a (26 Dec. 1278); 421a (16 Iul. 1279); 508 (11 Apr. 1285); 763 (26 Nov. 1300); p. 361, n. 23 (10 Mai. 1301).

(7) Fraticelli in territorio Mathelicensi diutius moram traxisse videntur. Vel hodie enim traditio de illis morantibus in quodam loco S. Laurentii scil. ad septentrionem Mathelicae non ita longe a pago Braccano sito, apud populum viva est. Cum die 6 Sept. a. 1910 locum S. Laurentii visitarem, coloni vicini mihi dixerunt ibi olim habitasse « fratres malos » (frati cattivi).

(8) Cf. bullas datas 31 Iul. 1336, *BF* VI, 20; 7 Iul. 1337, ib. 50. Agitur de Francisco Munaldi de Brancaleonibus 1328-1356; cf. Eubel, *Hier. cath.,* I, ed. 2, 161; O. Turchi, *De ecclesiae Camerinensis Pontificibus,* Romae 1762, p. 252-256; CXXIII-CXXV.

habitum et regulam concessit (1), quo tentamine primum forsan indicium Clarenorum (postea orthodoxorum) sub Episcoporum oboedientia viventium conspicere licet (2). Benedictus vero XII merito Inquisitores monuit, ut severe procedant in dictos Camertes, qui ex sua parte Iohannem de Burgo, de quo supra, accusaverunt apud Ministrum Generalem Geraldum Odonem, ita ut ille ab officio inquisitionis removeretur, donec iussu Pontificis restitueretur (3). Anno demum 1339 idem Pontifex Episcopum Camertem iussit absolvi ab excommunicatione ob praedicta contracta, dummodo eum de commissis poeniteret (4). Patet igitur tempore quo nostrum documentum prodiit, Fraticellos in dioecesi Camerinensi pullulasse.

Sub n. VI prolixum edimus textum quorumdam Fraticellorum, defensionem scilicet propriam ad Municipium Narniense (*Narni,* in Umbria) medio saec. XIV directam. Invenitur originale documentum membranaceum, mm. 760×575, in Archivo Congregationis Charitatis, seu administrationis nosocomiorum aliorumque piorum locorum, Eugubii (*Gubbio,* in Umbria), in cuius officiis textum transcripsi mense Maio a. 1910, atque mense Novembri a. 1912 revidi (5).

Membrana distinctam numerationem non habet recentem, sed in dorso antiqua quaedam signatura in charta flava habetur scil. *I. O. 1.* Argumentum scriptura saec. XVIII indicatur in dorso: *Epistola in lode di chi soccorre i Poveri. N. 8,* quae notula, solis prioribus documenti lineis correspondens, ex parte opposita membranae erat pariter scripta, sed deinde partim abrasa est. Pluries plicata erat membrana, quo effectum est, ut alicubi in plicis perforata sit indeque textus, haud secus ac ex maculis, parva damna passus sit. Habetur etiam in dorso vestigium directionis originalis per quattuor lineas extensae, hoc modo: *Magnificis.... ciuitatis* || *Narnhie....* || *duchio.... sapientibus* || *et discretis....* || Caetera abrasa sunt, sed facile possunt restitui ex initio documenti. Textus una manu scriptura gothica cursiva seu notarili est exaratus. Ante usum membrana parumper dealbata est atque lineis rubeis perducta in quibus textus scriberetur. Duae priores lineae textu vacant. Versus finem scriptura fit angustior et saepe intra duas lineas rubeas duae vel tres lineae scribuntur; tunc vero etiam aliquando pars textus iuxta momentum rubre subducta est. Paragraphorum crebra signa ¶ minio facta sunt, dum litterae initiales puncta vel lineas minio facta exhibent. Margines, illo superiore excepto, sat angustae et irregulares sunt, cum paucis notis correctivis ad textum pertinentibus,

(1) Cf. *BF* VI, 67 (19 Feb. 1339).

(2) Pariter Iacobus de Cingoli, O. P., episcopus Firmanus 1334-1348, Fraticellos recepit et protexit; cf. *BF* VI, 20-21 (31 Iul. 1336). Dum haec in Marchia Anconitana fierent, vel parum postea, Episcopi Civitatis Castelli et Perusiae Fraticellis etiam favebant, concedentes eisdem Regulam S. Augustini, forsan ut Fratrum Minorum effugerent vexationes. In formula vero professionis nomen S. Francisci inveniebatur. Quae habentur in processu a. 1360; cf. Nic. Papini, *Notizie sicure,* ed. 2, Foligno 1824, 273-76.

(3) Cf. bullam datam 28 Iul. 1339 ap. *BF* VI, 71; 72, n. 1; Wadd. ad a. 1339, n. 1 (VII, 225); Buglioni, l. c., 157-58. (4) Cf. supra *notam 1.*

(5) Gratias refero debitas D. Ios. Farneti eiusdem Congregationis a secretis, et R. P. Rufino Paccoi, O. F. M., monasterii SS. Trinitatis confessori, qui omni sollicitudine in labore perficiendo me adiuverunt.

atque quater ibi repetitur notula scripta eadem manu ac textus: *nota bene*. Totum instrumentum characterem sat rudem prae se fert. Diutius descriptioni institimus, quia membrana haec est originale Fraticellorum documentum, uti e manibus eorum prodiit, et hoc sub respectu est unicum exemplum hucusque saltem notum. Quomodo instrumentum hoc ad dictum Archivum Eugubii pervenerit, plane obscurum videtur, cum nullam ad huius urbis instituta relationem habeat. Forsan cum haereditate cuiusdam viri privati ad hospitalia pervenit.

Documentum Eugubinum primum indicatum est a cl. L. Fumi, qui partem exiguam textus, scilicet introductionem, non absque lacunis et mendis, edidit argumentumque reliquum summarie indicavit atque quaestiones huc facientes discussit (1).

Notae chronologicae et topographicae nonnisi vago et incerto modo indicantur: *Datum in Campania hac estate*. Quoad locum compositionis non est dubium eum fuisse prope civitatem Narniam situm, cum omnino familiares scriptores videntur esse magistratibus, quos nominibus propriis vocant. Tempus compositionis imprimis circumscribitur Pontificatu Innocentii VI (1352-1362), quem *hodiernum, modernum* Papam vocant. Deinde cum ipsi Fraticelli dicant paupertatem Christi et Apostolorum fuisse condemnatam *per papam Iohannem XXII, triginta anni, ut credimus, sunt elapsi,* quibus verbis certe alludunt ad bullam *Cum inter nonnullos* datam 12 Nov. 1323, recte concludimus epistolam hanc Fraticellorum scriptam fuisse c. 1353-1354, forsan aestate a. 1354, circa tempus quo Card. Albornoz civitatem Narniensem ad oboedientiam Ecclesiae iterum recepit (2), e ditione Iohannis de Vico, Praefecti Urbis, quem aliunde Fraticellorum fautorem cognovimus (3). Ex nominibus Potestatis Narniae aliorumque magistratuum nil eruere possumus, cum documenta plurima Medii Aevi huius civitatis die 17 Maii a. 1527 in expugnatione perierint (4).

---

(1) *Una epistola dei « Poverelli di Cristo » al Comune di Narni (1353-1355?),* ap. *Bollettino della regia Deputazione di Storia Patria per l'Umbria,* Vol. VII, fasc. II, Perugia 1901, p. 353-369; textus: 355-59. Postea idem Auctor paucis verbis iterum instrumentum descripsit l. c. Vol. XII, 1906, 291-98: *Una ispezione agli Archivi civili di Gubbio;* de nostro instrumento: p. 297.

(2) Raynaldus ad a. 1354, n. 1.

(3) Cf. supra, AFH IV, 695.

(4) Cf. Giov. Eroli, *Miscellanea storica Narnese*, I, Narni 1858, p. 10-45: *Il sacco dei Borboni;* ibi p. 34 in textu contemporaneo legitur: « . . . Cum omnes Cancelleriae libri in captione a Barbaris proximis mensibus Civitatis Narniae combusti, et cremati fuerint: continentes diversos Magistratum ingressus et juramenta, et omnes et singulos continentes contract. pro communitate, Registrationes Literarum Apostolicarum in forma Brevium et quam plurimarum Literarum, aliarumque registrationes, responsiones, cernitas, conciones et rerum propositarum conclusiones, concilia plurima et reformationes . . . . ». Cf. etiam Gius. Terenzi, *L'Antico Archivio comunale di Narni,* Terni 1896; Kehr, *Italia Pontificia,* IV, *Umbria, Picenum, Marsia,* Berolini 1909, p. 29 ss. — Quae casu sunt conservata, descripta sunt a Mazzatinti, *Gli Archivi della Storia d'Italia,* IV, 1904, p. 164-199. Nominum in inscriptione litterarum Fraticellorum occurrentium ap. Mazzatinti l. c. solum illud *Clerici* inveni, quod bis occurrit et de duobus videtur esse intelligendum viris: 15 Mart. 1333 habetur *Appellatio Petri domini Clerici de Cardulis sindici Narniae ad pontificem de iuribus civitatis super castrum et roccam Perticariae,* l, c. p. 174-75; die 24 Iul. 1363 habetur Testamentum quod fecit *Clericus quondam Mannuctii de Marginata comitatus Narniae,* l. c. p. 175. Hic ultimus posset esse *dominus Clericus* nostri textus. — Inter schedulas Garampi in Archivo Vaticano, *Indice di Castel S. Angelo* ad a. 1309, 21 Dec. commemoratur *Inquisitio seu examen testium contra nobilem virum Ufreducium de Manorio Civem Nariensem, Potestatem olim S. Genesii...* qui forsan este familia *domini Eufreduchii* nostri textus.

Occasio scribendi Fraticellis haec erat: Duo ex ipsis, scil. Fr. Stephanus et Fr. Petruchius, in carcerem Fratrum Minorum Narniae coniecti fuerant ibidemque male tractati, ita ut unus eorum, Fr. Petruchius, spiritum redderet in carcere, ipsum affligentibus fame maxima aliisque poenis. Alter vero, Fr. Stephanus, in carcere adhuc detinetur, dure tractatur, quamvis iam 10 vel 12 annos contractus seu clinicus exsistat atque Magistratibus et toti civitati ut bonae vitae et sanctae doctrinae notus sit. Hunc e carcere liberari postulant Fraticelli, eo magis ac Communitas Narniae inter omnes civitates « Tusciae » semper optime disposita fuerat erga Fraticellos, ac etiam aliae civitates, Tudertum, Perusia, Assisium, Pisa Fraticellos e carceribus manu armata liberaverant. Sed ut Magistratus Narniensis perspiciat Fraticellos innocenter pati, systema doctrinae exponitur, praesertim de paupertate absoluta Christi et Apostolorum, ad quam adstruendam textus afferunt Script. Sacrae, SS. Patrum, Iuris Canonici, quos textus, non minus ac reliquam partem doctrinalem, ex aliis auctoribus, praesertim Michelistis, maxima ex parte hauriunt Fraticelli (1). Ita de Papa Iohanne XXII loqui adducuntur, huicque, nominibus opprobriosis saepius datis, 12 « errores » obiciunt circa paupertatem Christi et Apostolorum. Successores eius doctrinam non reprobantes, sicut ille, excommunicati sunt. Non vero propterea amiserunt potestatem Ordinis, sed solum illam Iurisdictionis, ita ut ipsi Fraticelli etiam sacramenta a sacerdotibus catholicis aliquando recipiant. Alia doctrinae capita aliis litteris brevioribus vel viva voce Magistratui promittunt exponere. Imo ipsi Summo Pontifici et Cardinalium Collegio eodem anno (1354?) haec eadem doctrina scripta ac proposita fuit, sed ii iuxta Fraticellos non potuerunt ad ea respondere!

In dictis doctrinae capitibus nihil est quod aliunde non innotuerit sive ex horum haereticorum scriptis sive ex Processibus institutis. Notandum tamen est Fraticellos Narnienses Praelatis non obicere Simoniam aliaque crimina, uti alibi (2) Fraticelli eo scopo faciunt ut, allegando decreta a Gregorio VII contra simoniacos et concubinarios lata, eos vitent atque ab eis sacramenta accipere renuent. Praxis mitior Fraticellorum Narniensium, sacramenta scil. ab Ecclesiae sacerdotibus recipiendi, vigebat etiam, saltem in casu necessitatis, apud quosdam Fraticellos regni Neapolitani c. a. 1362, et Tusciae (3).

Nomina quibus se designant: *humiles pauperes Iesu Christi; pauperculi afflicti et tribulati propter Christum,* fere eadem sunt ac illa

(1) Ut hoc perspiciatur sufficit analysim fontium huius textus instituere atque imprimis rationem habere ad crebras Michelistarum protestationes, quas Eubel in notis ad bullas in tom. V, *BF* adiectis partim edidit. Ibi non solum eosdem S. Scripturae, SS. Patrum, Iuris Canonici textus invenies, sed ipsa nomina opprobriosa quae hic quoque interseruntur. Quamvis non negarem unum alterumve e Fraticellis docentibus cognitiones non mediocres habuisse, cf. ex. gr. *Tractatum Fraticellorum Perusinorum* supra, AFH IV, 693, valde exagerata sunt verba L. Fumi, l. c, 354, quoad tractatum nostrum: « Vi si fa pompa di una cultura ecclesiastica che pure è prova del giudizio passionato degli avversari, quando chiamavano i fraticelli tutti ignoranti, idioti, di nessuna lettera e digiuni delle sacre scritture. Invece qui si svolge l'apparato critico sulla questione principale e su tutte le dipendenti, confutando le dottrine contrarie coll' uso dei testi biblici, evangelici e dei Padri della Chiesa ».

(2) Cf. supra, AFH III, 266; IV, 703-05; 708-09; V, 79-83.

(3) Cf. Ehrle, ALKG IV, 103; cf. ib. 106 pro Fraticellis Tusciae.

aliorum quorumdam Fraticellorum (1). Seipsos vero non directe vocant Fratres Minores, vel de observantia regulae S. Francisci, uti faciunt illi Perusini et Romani (2), negantes vero Fratres Minores Narniae esse veros Fratres Minores sed potius Maiores illos esse affirmantes, quodammodo forsan innuere intendunt se esse Fratres Minores veros. Saepius etiam his litteris paupertatem S. Francisci se defendere expresse dicunt. Nexus demum inter Fraticellos Narniae et Fratres Minores ibidem commorantes (3) videtur etiam ex eo quod ab his in vincula coniecti sunt, atque ab his propriis in carceribus detenti.

Utrum finem propositum, liberationem Fr. Stephani, obtinuerint, necne, parum interest. Circa 20 annis post, rubricam specialem receperunt Narnienses in Statutorum codice, scil. lib. I, rubr. 78: *Quod constitutiones papales contra hereticos debeant inviolabiliter observari* (4). In dioecesi Narniensi demum Clareni prima parte saec. XV orthodoxi apparent atque in duobus saltem conventibus ibi habitant (5). Sed hac de re postea plura.

Sub n. VII demum extracta quaedam ex tractatu, quem Iacobus quidam contra Fraticellos conscripsit demonstrans hos ius non habere ad sustentationem ex eleemosynis populi, sed iuxta doctrinam S. Scripturae, SS. Patrum aliorumque doctorum laborare debere manibus suis, edemus.

Tractatus invenitur in Bibliotheca Abbatiae S. Scholasticae Sublaci in Codice miscellaneo CCCIV, mm. 140×114, chart. fol. 166, scripto duabus manibus, quarum prior saec. XIV (?) scripsit litteris gothicis densissimis fol. 1r-161r, altera, saec. XV, litteris magis in rotundum tendentibus atque ad gothicam notarilem accedentibus scripsit fol. 161r-166v, quae folia praecise tractatum contra Fraticellos exhibent. Codex, qui in locis aliquibus passus est ex humiditate atque ideo ibidem lectu difficilis est, forsan originis est franciscanae; continet, praeter tractatus SS. PP. (6), *Breviloquium* S. Bonaventurae f. 8r-39v, fragmentumque eiusdem *Itinerarii mentis in Deum*, f. 40r-42r (7).

Quis auctor sit tractatuli contra Fraticellos, nulla apposita in codice inscriptione, ex ipso textu eruere oportet. Huic inhaerendo mihi videtur opusculum attribuendum esse cuidam Iacobo. Sic enim auctor bis se nominat in tractatus introductione quae incipit: *Imprimis Iacobus exclamat querens divinum auxilium et dicit...* sequuntur textus ex Psalmis desumpti. Parum post in eadem introductione iterum scribit: *Hic Iacobus exclamat querens auxilium ecclesie et dicit...* sequitur textus ex Psalmis. Deinde dicit quosdam voluisse maculare suam fidem. sed mentitam esse iniquitatem sibi, quae verba etiam e Psalmis de-

---

(1) Cf. supra, AFH IV, 21. (2) Cf. supra, AFH IV, 688 ss.

(3) Agitur de conventu S. Francisci, olim Conventualium, nunc vero una cum ecclesia Seminario episcopali inserviente. Cf. *Anal. Franc.* IV, 242; 510; Rod. Tossinianensis, *Historiarum seraph. Rel. libri tres*, f. 254v; Giov. Eroli, *Descrizione delle chiese di Narni e i suoi dintorni le più importanti rispetto all' antichità e alle belle arti*, Narni 1898, p. 243-61: *Chiesa e Convento de' PP. Conventuali di S. Francesco in Narni*.

(4) Mazzatinti, *Gli Archivi della Storia d' Italia*, IV, 179. Codex Statutorum ineditus in Municipio Narniae conservatur. (5) Cf. supra, AFH III, 254[1].

(6) Codicem ample descripsit D. L. Allodi, O. S. B., ap. Mazzatinti, *Inventari dei Manoscritti delle Biblioteche d' Italia*, I, 219, sub n. 311.

(7) Codex hic in ultima S. Bonav. *Op. om.* editione, t. V, non indicatur.

sumuntur. Auctorem de se loqui sub nomine *Iacobus* ex textu et contextu, ad quem remitto, plane indubium mihi videtur.

Occasionem et argumentum scribendi narrat auctor in eadem introductione scribens se rogatum fuisse a quodam reverendo viro nomine D. Alfonso quondam Episcopo Genensi, ut pro multorum pauperum utilitate, qui more Fraticellorum publice mendicant, ac si ipsi essent una de religionibus approbatis, colligeret auctoritates, quibus demonstraretur laborandi lex atque necessitas. Dicit deinde de difficultatibus quas ob suum scriptum habuerit cum magistris Neapolitanis. Sed inter eius oppositores erat etiam *quidam de genere Fraticellorum, qui dicitur Franciscus*. Post introductionem sequuntur « auctoritates » sat confuse et sine ordine collectae. Ter adducitur etiam S. Thomas de Aquino, numquam vero auctor Ordinis Fratrum Minorum. In ipso tractatu nomen Fraticellorum amplius non invenitur nec aperte in conclusione, quae iteratam protestationem fidei auctoris continet.

Inter praedictas indicationes quas ipse auctor facit, pretiosior est illa de Alfonso quondam episcopo Gienensi, cuius rogatu tractatum scripsit. Agitur enim de notissimo illo Alfonso Pecha, episcopo Gienensi (*Jaén*, in Hispania) inter annos 1359 et 1368 (1), qui deinde, abdicato episcopatu, vitae eremiticae plus minusve se addixit, Romam venit atque familiaris S. Birgittae effectus est (2). Exorto vero schismate a. 1378 partes Urbani VI strenue defendit (3), et demum mortuus est in villa Quarti prope Ianuam (*Quarto al Mare*) a. 1388 (4). Huius ergo rogatu Iacobus noster tractatum suum composuit. Ex modo loquendi apparet Alfonsum adhuc vixisse, sed iam episcopatui renuntiasse, nam illud *quondam* ad solum episcopatum refertur, et eodem modo in aliis documentis synchronis Alfonsus vocatur. Scriptus est ergo tractatus post a. 1368, forsan ante 1378 seu ante exortum schisma. Nam, uti dicturus sum, auctoris orthodoxia impugnata est a quibusdam magistris Neapoli; cum vero Neapoli statim post exortum schisma Clemens VII agnitus sit, auctor econtra, ut amicus Alfonsi Gienensis proculdubio Urbano VI adhaerens, in eo casu de hac impugnatione minus curasset, vel ad hanc circumstantiam schismatis saltem appellasset. Quidquid est, tractatus compositus est certo ante a. 1388, annum emortualem Alfonsi. Auctor non erat Frater Minor, nam bene Thomam Aquinatem citat, nullum vero scriptorem franciscanum. Videtur vixisse potius in Italia meridionali, cum impugnetur a magistris

(1) Cf. Eubel, *Hier. cath.*, I, ed. 2, 263.

(2) Scripsit defensionem et introductionem ad librum VIII Revelationum S. Birgittae, in ed. *Revelationum* Romae 1628, II, 255-276: *Incipit Epistola solitarii ad reges Domini Alphonsi quondam Episcopi Giennens. et postea Eremitae probatissimi;* cf. etiam Krogh-Tonning, *Die heilige Birgitta von Schweden*, Kempten-München 1907, p. 46; 73; 100; 112; 121; 132; *Acta SS.*, Oct. IV, 370, ubi dicitur S. Birgittae a confessionibus fuisse.

(3) Cf. *Informationes domini Alfonsi eremitae, olim episcopi Giennensis, super creatione Urbani*, quem tractatum edidit Raynaldus ad a. 1379, n. 8-19; cf. etiam N. Valois, *La France et le grand schisme d'Occident*, I, Paris 1896, 27-28; IV, ib. 1902, 512.

(4) Eius epitaphium ap. Ughelli, *Italia Sacra*, ed. 2, IV, 893. Alfonsus dicitur fuisse III Ordinis S. Francisci, quare de eo tractat etiam Sbaralea, *Suppl. ad Script.* s. v. *Alfonsus de Valdassara*, ed. Romae 1806, p. 28, ed. Nardecchia, Romae 1908, I, 27. — Cf. etiam Nic. Antonius, *Bibliotheca hispanica vetus*, II, Matriti 1788, p. 174-75, ubi tamen annus et locus mortis corrigendi sunt.



Neapolitanis, forsan Fratribus Minoribus, qui Neapoli studium generale habebant. Scribendo enim contra mendicationem Fraticellorum ab ecclesia non agnitorum, argumenta prolata potuerunt etiam contra Mendicantes adduci, quod tamen ex verbis auctoris erat praeter intentionem. Nam, ipso dicente, non scribebat de viro perfecto et de perfectorum vita, sed de hominibus mente corruptis et vitiosis. — Caeterum non clara est auctoris attitudo erga Fraticellos; non tam reprobare eos velle videtur, quam ad meliorem frugem convertere, quod in introductione sat clare enuntiat, atque in conclusione iterum inculcat his verbis: *Corrigite ergo vos, fratres mei karissimi, cum tempus vobis conceditur.* Momentum vero tractatuli augetur ex eo, quod exortus est in coetu amicorum S. Birgittae Suetiae, hortante nempe dicto Alfonso Eremita, qui forsan propriis etiam consodalibus exinde profectum spiritualem speravit.

Redactio textus, vel saltem introductionis, videtur esse altera, nam secus auctor loqui non potuisset de suo scripto impugnato a Fraticello Francisco et a magistris Neapolitanis, qui omiserant auctoris protestationem plenae submissionis erga Ecclesiam.

Quamvis totum tractatum ex Codice Sublacensi mense Novembri 1912 exscripserim (1), hic non edetur nisi introductio, parvum exemplum textus atque conclusio, cum haec sola ad rem nostram pertineant.

V.

Sententia absolutionis Communitatis Mathelicae ab excommunicatione ob Fraticellorum protectionem contracta, (Mathelicae 16 Dec. 1336).

ARCHIV. MUNICIP. MATHELICENSIS, MEMBRANA N. 1009.

In Dei nomine amen. Cum nos frater Iohannes de Burgo de ordine fratrum minorum Inquisitoris heretice pravitatis in prouintia Marchie Anconitane auctoritate apostolica deputati Vicarius generalis, necnon per Reverendissimum patrem et dominum, dominum Bertrandum miseratione divina Archiepiscopum Ebredunensem apostolice sedis nuntium contra fraticellos de paupere uita et eorum fautores, defensores et receptores, spetialem commissionem a sede apostolica predicta habentem, Subdelegatus, processerimus per uiam inquisitionis et modum contra Potestatem, defensores, officialesque omnes, Consilium, et Commune terre Mathelice super eo quod in contemptum nostrorum mandatorum et nostrarum licterarum dicto Communi, et aliis supradictis pro nostra parte directorum, in quibus continebatur, quod fraticellos seu fratres de paupere uita, Biginos et Biginas, Bicçochos, Bocchasoctos (2), et alios quocumque nomine censerentur,

(1) Gratias ago R. D. Abbati Sublacensi D. Laurentio Salvi, atque D. Abb. Leoni Allodi, O. S. B., ob humanitatem mihi in monasterio S. Scholasticae commoranti exhibitam.

(2) Quid haec denominatio Fraticellorum, quam in documentis pontificiis numquam inveni, significet ignoro. Apud solum Paulinum Puteolanum, O. F. M., qui c. 1320 scripsit, hoc nomen inveni: *Vocabant se fratres sancti Francisci, seculares autem vo-*

commorantes extra regulas a sancta Romana ecclesia approbatas in eorum terra, territorio, et districtu, tanquam dampnatos et reprobatos a sede apostolica non auderent nec deberent aliquatenus receptare in locis predictis, nec eisdem dare nec prestare publice uel occulte auxilium, consilium uel fauorem, immo ipsos deberent citare, et eis sub excommunicationis pena mandare, quatenus infra certum terminum in dictis nostris licteris contentum, deberent coram nobis personaliter comparere responsuri de fide uitaque, moribus et actibus eorundem, fuerunt negligentes predicta in nostris predictis licteris contenta executioni mandare, mandata nostra predicta, immo uerius apostolica, contempnendo. Facta igitur per nos diligenti examinatione de predictis, tam per excusationem Sindici et procuratoris Communis et hominum ac Potestatis - - (1), et Officialium dicte terre, nec non per Reformationem factam per dictum Commune et homines de Consilio dicte terre, et etiam per testes coram nobis productos per Syndicum et procuratorem predictum super quibusdam articulis intentionis productis et exhibitis coram nobis ad eorum defensionem, invenimus predictos - - Potestatem, defensores - - Officiales, Consilium et Commune omnia in nostris licteris predictis, contenta, preterquam relationem de gestis per eosdem, quam facere debuerunt, effectualiter executioni mandasse; de cetero uolentes eosdem benigne tractare, et cum eisdem mitius agere, uolentesque eis facere gratiam spetialem, xpi nomine inuocato, predictos - - Potestatem - - defensores - - Officiales, Consiliares, Consilium, et Commune a predicta Inquisitione, et omnibus contentis in ea absoluimus auctoritate qua fungimur in hac parte sententialiter in hiis scriptis, omni modo et iure quibus melius possumus et debemus.

Lata, lecta, data, et sententialiter promulgata fuit dicta absolutio, et sententia absolutionis per dictum dominum Vicarium sedentem pro tribunali in Refectorio fratrum minorum de Mathelica, et scripta per me Iohannem frederici de Macerata notarium, et nunc notarium et offitialem offitii Inquisitionis dicti Vicarii et subdelegati, sub annis domini millesimo trecentesimo trigesimo sex[to] (2), Indictione quarta, tempore domini Benedicti pape XII, die sexta decima mensis decembris, presentibus Religiosis viris fratre Aldrouando, Custodi Esino, et fratre Phylippo de Mathelica, Guardiano Conuentus minorum de Mathelica ordinis minorum, et Perello domini Corradi de Piro, Sotio Potestatis Terre Mathelice, et Iohanne Accursi de Cingulo, notario deputato ad custodiam dicte terre, domino Gentile Mathioli de Mathelica, et aliis pluribus religiosis et secularibus ad predicta testibus.

(Signum notarii). Et ego Iohannes frederici de Macerata Imperiali auctoritate notarius, et nunc notarius et offitialis offitii Inquisitionis, et supradicti Vicarii et subdelegati predicte promulgationi dicte sententie, et omnibus aliis supradictis presens interfui, et a predicto Vicario rogatus subscribere scripsi, et mandato ipsius Vicarii et subdelegati publicaui.

---

caverunt eos bizoccos, vel fraticellos, vel bocasotos, ap. Golubovich, *Bibl. bio-bibliografica d. T. S.*, II, 96; cf. ib. p. 80. Idem textus sub falso auctoris nomine (Iordani) ap. Muratori, *Antiquitates Italicae*, IV, Mediolani 1741, col. 1020.

(1) Lineolae, uti hic et infra in textu occurrunt, in ipso originali habentur instrumento.

(2) In originali habetur: *sex*.





VI.

Litterae Fraticellorum ad Municipium Narniense (c. 1353–1354).

Ex Archivo Congregationis Charitatis Eugubii.

Ave Maria Gracia plena.

In xpo karissimis Nobilibus, sapientibus et discretis viris, Reuerende Potestati ciuitatis Narnchie, venerabilibus ac nobilibus dominis, domino Clerico, domino Eufreduchio, domino Chapo, domino Ludouico, Militibus inclitis et serenis, et venerabili domino Angelo, Iudici sapienti et excellenti; Et omnibus aliis sapientibus et discretis viris et consiliariis dicte ciuitatis, vestri humiles pauperes ihu xpi Salutem veram et pacem continuam in eodem domino ihu xpo, et aures vestre pietatis verbis claritatis et veritatis diligenter aperire, et secundum ea, ob reuerentiam et amorem dulcissimi domini nostri ihu xpi et salutem animarum vestrarum, diligentius operari.

Cum, Reverendi domini, illis qui subueniunt xpi pauperibus, et eosdem tempore necessitatis maxime pro fidei veritate liberant et deffendunt, per sentenciam propheticam beatitudo promittatur, et per eandem sentenciam ex hoc dierum malorum liberatio veraciter exprimatur, iuxta illud (1): *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum dominus* etc. Et idem propheta clamat ad vos et ad alios fideles pro liberatione et deffentione pauperum ihu xpi, dicens ita (2): *Eripite pauperem et egenum de manu peccatoris liberate* etc. Et idem propheta dicit expresse quod, qui tribulant pauperes, vindictam dei non euadent, iuxta illud (3): *Et cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Et beatus Iacobus valde conqueritur de vituperio et oppressione factis pauperibus ihu xpi, in sua canonica sic dicendo (4): *Nonne deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide et heredes Regni, quod repromisit diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem* etc.

Et spiritus sanctus loquens per Ysaiam prophetam, acriter conminatur tribulantibus et persequentibus pauperes ihu xpi, X.° c.° (5) dicens ita: *Ve qui condunt leges iniquas, et scribentes iusticiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes et vim facerent cause humilium populi mei.* Et sequitur ibidem (6): *Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis, ad cuius confugietis auxilium et ubi derelinquetis gloriam vestram? Ne incuruemini sub vinculo et cum interfectis cadatis* etc. Terribilis est ista sententia spiritus sancti contra omnes persequentes et tribulantes pauperes ihu xpi; et idemmet ihs xps dat sentenciam ualde terribilem contra persequentes pauperculos suos, Mt. XVIII° (7). ita dicens: *Qvi autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris* etc. Et, ut breuius expediamus nos, tantum sunt cari sui pauperculi domino ihu xpo, quod quicquid fit alicui ipsorum

(1) Ps. 40, 1. (2) Ps. 81, 4. (3) Ps. 9, 31. (4) Iac. II, 5-6. (5) V. 1-2. (6) X, 3-4. (7) V. 6.

tanquam sue persone proprie reputat esse factum, siue bonum fuerit, siue malum, sicut ipsemet dicit in Euangelio (1): Quod *vni ex minimis meis fecistis, michi fecistis* etc.

E[t] ideo cum, Reuerendi domini, per fide dignos intellexerimus, quod duo pauperculi xpi, quorum vnus frater Stephanus, alter Petruchius nuncupatur, non tamen per vos, absit, set per inimicos dei et paupertatis domini nostri ihu xpi et apostolorum eius et gloriosissimi Francisci plagarum X^i insigniti, crudeles persequutores et destructores, ac etiam fidei orthodoxe, quod peius est, publici inpugnatores, illusores et blasphematores, pessimorum criminum inuentores et inpositores, ut inferius apparebit manifeste, in Ciuitate vestra acriter, atrociter et inhumane contra deum et iusticiam terribiliter sunt afflicti, ligati et incarcerati et maletractati; quorum vnus, ut audiuimus, scilicet Petruchius, spiritum reddidit in carcere deo patri, fame maxima, prout intelleximus, ipsum affligente, et propter multas alias penas et tribulationes inlatas dicto X^i pauperculo ab inimicis ueritatis, filiis Belial et hominibus sceleratis, qui reliquerunt rectam viam, scilicet sanctissime paupertatis, quam vouerunt, et sui patris pauperculi Francisci, et sequuti viam Balaam ex Bozor, qui viam iniquitatis amauit. Et ideo predicti fratres Minores, si Minores possent appellari, quia non sunt Minores, scilicet in humilitate et simplicitate, set Maiores (2) in superbia et pompositate, astucia, ambitione et abusione, ut est manifestum toti mundo. Errauerunt a via sanctissime paupertatis Regule sue ac veritatis, et per suam iniquitatem, inuidiam et maliciam et iniquitatem alios xpi pauperculos die ac nocte crudeliter persequuntur et persequuti fuerunt per tempora longiora; et nolentes sequi vias eorum abhominabiles, fetidas et superbas, erroneas et iniquas, ferociter persequuntur, incarcerant, vituperant et faciunt mori mala morte, quod est valde dolendum, et plangendum. Set conuertat eos ihs xps, velint nolint, ad viam veritatis et sanctissime paupertatis, vt vere et non ficte fratres Minores mereantur appellari et non persequutores xpi, nec sue sanctissime paupertatis et veritatis, nec pessimi homicide pauperum ihu xpi.

Alter, Reuerendi domini, ut subintelleximus, adhuc in carcere istorum, non fratrum Minorum, set Maiorum, quos adhuc in breui dominus noster ihs xps vobis cognoscere plenarie faciat, vt intelligatis veraciter quam inique deseuiunt contra pauperculos ihu xpi, et ne pereatis cum eisdem, sequendo vias antiX^i, quas ipsi ymitantur et sequuntur, ut manifestum est omnibus non habentibus occulos tenebratos, scilicet frater Stephanus fortiter agonizat in tribulatione maxima die ac nocte, contra deum et iusticiam, ut est dictum, et inferius luce clarius apparebit, domino ihu X^o adiuuante, quem fratrem Stephanum pauperculum et bene per X uel XII annos contractum seu clinicum (3), Reuerendi do-

(1) Matth. XXV, 40 (Non accurate).

(2) Fraticelli hic optime originem nominis *Minorum* Fratrum ad oppositionem *Maiorum* reducunt, quae nomina in Municipiis Italiae saec. XIII factiones politicas designant. Assisii ex. gr. a. 1210, 9 Nov. *Minores* et *Maiores* pactum inierunt; cf. *Il Patto d'Assisi e S. Francesco,* Assisi 1911, p. 3 ss. Cf. etiam Reg. I, cap. 6 et 7. *Opusc. S. Franc.* p. 32-33; I Cel. I, 15, p. 40; S. Bonav. *Leg. mai.* VI, 5, p. 62; *Intentio Regulae*, n. 2-3; ed. Lemmens, *Doc. ant. franc.*, I, 84-85; *Spec. perf.*, ed. Sabatier, c. 26, p. 51-53; c. 43, p. 76; c. 44, p. 76; Ang. Clarenus, *Expositio Regulae* ed. Oliger, Quaracchi 1912, c. 1, p. 16-17.

(3) Sic certe legendum, uti ex alio vocabulo *contractus* elucet; uti iacet in originali, legi posset etiam *chinicus*.

mini, ut credimus, maior pars vestrum et tocius Ciuitatis nouit, per multos annos in Ciuitate ista commorantem, hominem bone fame et honeste conuersantem, boni exempli et maxime pacientie, bone vite et sancte doctrine, et multos testes posset inuenire tam in ista Ciuitate, quam in aliis, in quibus moram traxit, quod est talis, ut est dictum.

Et ideo, Reuerendi domini, nos pauperculi supradicti multum miramur, et non sine magna ratione, cum per multa et longa tempora pauperculos xpi in Ciuitate vestra nutriueritis, deffenderitis et multam beniuolentiam eisdem ob Reuerentiam et amorem pauperis xpi ostenderitis, modo sine causa, contra deum et iusticiam sic permittatis pertractari, uilipendi et incarcerari et mori mala morte, et ita publice inpugnari et affligi ab inimicis dei et veritatis et tocius fidei orthodoxe. Nam, pauperculi Xi, Reuerendi domini, libenter iuxta vos morabantur et de caritate magna gentis istius Ciuitatis erga eos erant valde contenti, inter omnes tocius Tuscie Civitates; et non est dubium, quod deus ex ista karitate multa bona fecit et faciet isti Ciuitati. Et modo sine causa rationabili, et contra deum et iusticiam, permittitis nos sic tractari ab inimicis dei, fidei et veritatis! Nam, credatis indubitanter, carissimi domini, quod per maliciam suam, inuidiam et iniquitatem faciunt et fecerunt ista scelera et peccata contra pauperes ihu Xi.

Alie ciuitates circumuicine multum audacter et potenter deffendunt pauperculos Xi contra nuncios et discipulos antiXi supranominatos, sicut Civitas Tudertina (1), Perusina (2), Asisina (3), Pisana (4) et multe alie ciuitates, et alique istarum liberauerunt Xi pauperculos de manibus et carceribus istorum peruersorum cum manu armata et potenti. Et est causa, quia cognoscunt mirabiliter et realiter maliciam et inuidiam istorum pessimorum, et innocentiam et veritatem pauperculorum ihu xpi. Et vtinam, Reuerendi domini, ob reuerentiam xpi et salutem animarum vestrarum et utilitatem tocius communitatis vestre idem de cetero constanter et audacter faciatis, taliter quod Xi pauperculi iuxta vos, ut actenus, possint tute et libere seruire suo saluatori, et sanctissimam paupertatem domini nostri ihu Xi custodire ac salutem animarum nostrarum et vestrarum, amen.

---

(1) De Fraticellis Tuderti nihil innotescit, nisi Processus Inquisitorum contra asseclas Ludovici Bavari et Nicolai V Antipapae a. 1329-30, qui tamen potius Michelistae quam Fraticelli dicendi sunt. Cf. illos Processus partim editos ab Ehrle, ALKG I, 158 ss.; II, 653 ss.; et integra a L. Fumi, *Eretici e ribelli nell' Umbria dal 1320 al 1330*, ap. *Bollettino della R. Deputazione di Storia Patria per l'Umbria*, V, Perugia 1899, 269-349. Processus postea, a. 1356, revocati fuisse videntur; cf. L. Leonj, *Cronaca dei Vescovi di Todi*, ib. 1889, 84.

(2) Cf. supra AFH IV, 691 ss.

(3) Cf. Papini, *Notizie sicure*, p. 274: In monte Subasio dioec. Assisii Fraticelli iuxta Processum a. 1360 duos locos habebant, quorum unus procul dubio erat in loco *Carcerum*, e quo eiecti dicuntur a Geraldo Odone, Ministr. Gen. 1329-42; *Anal. Franc.* III, 530. Etiam nunc traditio Fraticellorum in dicto loco Carcerum habetur, in latere scil. occidentali silvae versus Assisium, intra murum clausurae, monstrantur « il sentiero dei Fraticelli », « il giardino dei Fraticelli », ut P. Damasus Cannelli, O. F. M., Guardianus mihi a. 1910 dixit visitanti. Revera ibi vestigia quaedam loci habitationis conspiciuntur. Quare non est impossibile Fraticellos etiam post eiectionem ex habitatione principali, in illis partibus eiusdem terreni refugium quaesivisse.

(4) Cf. Bull. Innoc. VI, 29 Oct. 1354, Eubel, *BF* VI, 287; 9 Nov. 1354, ib. VI, 287[b]. Fraticellus F. Michael Berti, combustus Florentiae a. 1389, oriundus erat de *Calci*, de comitatu Pisarum; cf. D'Ancona, *Fra Michele da Calci*, apud *Varietà storiche e letterarie*, Prima serie, Milano 1883, 4; 346.

Et quia diximus, dilectissimi domini, quod contra deum et iusticiam pauperes xpi ista mala patiuntur et passi sunt ab inimicis veritatis, attendat diligentissime vestra discretio et beniuolentia, karissimi domini, clamorem pauperum, causam et rationem toto corde, ne de vobis conqueri possit dominus noster ihs xps, quando omnes erimus ante tribunal magni iudicis, de omnibus que fecimus, diximus et cogitauimus, rationem reddituri. Nam de illis, qui nolunt audire et exaudire pauperes, conqueritur sapiens in persona xpi Ecclesiastes IX° c.° (1) ita dicens: *Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est et verba eius non sunt audita?* etc. Nam ad deum et ad vos, Reverendi domini Narnhenses, quos alias nouimus magne sapientie et intellectus, distillant eloquia nostra, que per aspersionem sanguinis domini nostri ihu xpi animo intento ac beniuolo fideliter audiatis, fidelius legatis, seu legi persone intelligenti faciatis, ac fidelissime et plenissime intelligatis; quia certissime deus est nobis testis et conscientia, vobis scribimus plenariam ueritatem. Postea videat et discernat vestra discretio et intelligentia, si propter illa, que dicimus et confitemur, debeamus sic tractari a discipulis antixpi. Et quamvis non simus digni pati multa mala propter xpm et eius ueritatem, tamen affectamus toto corde, ut fideles xpiani cognoscant quare patimur et tribulamur, ne possint decipi a nunciis et discipulis antixpi, et in eorum erroribus inuolui et turpiter maculari, ne descendant cum eisdem ad penas perpetuas infernales. Nam credatis firmiter, Reuerendi domini, quod nos xpi pauperculi sic afflicti nichil aliud dicimus, credimus et confitemur nisi illa, que nos docuit et docet sancta mater Ecclesia Romana, sacra scriptura, sancti doctores et sancta decreta Ecclesie sancte dei (2). Et qui hiis testimoniis non credit, *cecus est et dux cecorum* (3), et properat seu appropinquat absque dubio ad inferna. Et ut clarius nos intelligatis, quia veritas non querit angulos, totam fidem nostram vobis explanamus et scribimus in hunc modum:

Nos pauperculi ihu xpi firmiter credimus et simpliciter confitemur et tenemus illam fidem, quam sancta mater Ecclesia Romana credit, confitetur, docet, predicat et affirmat, et eandem fidem sancte matris Ecclesie Romane integram et inuiolatam credere et custodire volumus et cupimus toto tempore vite nostre. Et si aliquid unquam diximus, scripsimus, uel fecimus, uel toto tempore vite nostre diceremus, scriberemus uel faceremus, quod correctione indigeret, volumus semper stare correctioni eiusdem sancte matris Ecclesie sicut fideles X[i]ani. Qvia illa, scilicet sancta mater Ecclesia, errare non potest in fide, quia articulus est fidei: Credo *in vnam sanctam Ecclesiam catholicam* etc. Hoc idem dicunt multa decreta, scilicet quod Ecclesia errare non potest in fide, sicut dicitur XXIIII[a] causa, q. 1[a] c.° (4). *A recta fide,* vbi dicitur sic: *Hec sancta et apostolica Ecclesia, mater omnium Ecclesiarum, per dei omnipotentis gratiam a tramite apostolice traditionis nunquam errasse probatur, nec hereticis nouitatibus deprauanda subcubuit, set ut in exordio normam fidei xpiane percepit ab auctoribus suis, apostolorum xpi principibus, illibata fidetenus manet.* Hec in textu. Vbi Glosa ordinaria dicit sic: *Quero de qua Ecclesia intelligatur, quando dicitur, quod non potest errare? si de ipso papa,*

(1) V. 16.

(2) Solitas formulas et protestationes in omnibus eorum apologiis occurrentes hic repetunt Fraticelli, factis autem asserta plurima negabant, dum in scriptis — ut et in sequentibus — ambiguitate utebantur, qua simplices fallere valerent.

(3) Matth. XV, 14.

(4) Cap. 7.

qui Ecclesia dicitur, supra c.º (1) *Quodcunque. Et VII*ª, *q. I*ª (2). *Scire debet. Set certum est, quod papa errare potest, vt legitur* XIXª di., c.º (3). *Anastasius* et XLª di., c.º (4) *Si papa. Respondeo: ipsa congregatio fidelium dicitur hic Ecclesia, vt, de Consecratione* di. 9ª, c.º (5) *Ecclesia. Et talis Ecclesia non potest non esse, vt infra* c.º (6) *Pudenda. Nam ipse dominus orauit pro Ecclesia* XXIª di., § (7) Iº. *Et voluntate labiorum eius non fraudabitur.* Hec glossa ordinaria. Vnde alia glossa ordinaria posita XXIIIIª causa, q. 1ª (8) super illo uerbo *in heresim* dicit sic: *Hic est casus, in quo papa papam ligare potest et in quo papa canonem late sentencie incidit. Nec obuiat illa Regula: Qvia par parem soluere uel ligare non potest, quia si papa hereticus est, minor est quolibet catholico,* XIIª, q. 1ª (9) *Scimus. Quia lex factum notat, etiam sine sentencia,* ff. *de Ritu nuptiarum,* lege *Palam* (10), § ultimo. Hec Glossa ordinaria. Hoc possemus probare per multas rationes et auctoritates, scilicet quod Ecclesia errare non potest. Set papa errare potest et submergi in inferno profundiori, sicut quicunque alius peccator, et adhuc plus, quia quanto gradus altior, tanto pena grauior.

Et quod papa errare possit, patet secunda causa, q. VIIª c.º (11) *Ecclesie,* vbi dicitur sic: *Paulus Petrum reprehendit, qui princeps apostolorum erat, quia Petrus cogebat gentes judayzare et a ueritate euangelij discedere, cum Iudeis gregem faciens et a cibis gentilium latenter se subtrahens. Par autem est in se a fide exorbitare et alios exemplo uel verbo a fide deicere, hoc exemplo probatur prelatos accusandos a subditis, si a fide exorbitauerint, uel alios exorbitare coegerint.* Hec ibi. Et de hac materia, scilicet quomodo Paulus Petrum reprehendit, habetur ad Galatas IIº c.º (12) multum clare. Vnde non incipiunt hodie errare summi pontifices quia multi alias errauerunt, sicut legitur de Liberio (13) papa, tempore sancti Eusebii, et legatur in breuiario Romano in commemoratione sancti Eusebii, qui nobis non credit. Et legitur de quodam Leone papa tempore sancti Ylarii episcopi Pictauiensis et de quibusdam aliis in cronicis et gestis sanctorum. Et de papa Anastasio et papa Romano in Decreto, distinctione XIXª (14), ut est dictum. Ergo firmiter confitemur, quod papa errare potest, set non Ecclesia, quia non est articulus fidei: credo in papam, set articulus fidei est: credo *in vnam Ecclesiam catholicam* etc. Et sicut confitemur, quod papa errare potest et esse hereticus, ita confitemur et dicimus, quod papa non potest facere contra ius diuinum, hoc est contra legem dei, ymo subest legi diuine sicut alter X^{i}anus. Et hoc dicit expresse beatus Paulus 2ª ad Cor. xº c.º (15) dicens ita: *Nam etsi aliquid amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis dominus in hedificationem et non in destructionem vestram.* Et XIIIº c.º (16) dixit sic: *Non*

---

(1) 7, Caus. 24, q. 1. (2) Cap. 7. (3) 9. — Prudens lector ipse hic et in aliis locis constructiones haereticorum contra infallibilitatem Summi Pontificis in rebus fidei et morum perspiciet corrigetque. (4) 6. (5) Est dist. I, cap. 8.

(6) Cap. 34, caus. 24, q. 1. (7) Idest in praefatione. (8) Cap. 1. *Achatius.*

(9) Cap. 9. (10) Leg. 43, lib. 23, tit. 12. (11) Tale caput l. c. non habetur. Verba vero quae sequuntur desumpta sunt ex Palea ad cap. 39 *Testes absqu* eiusdem caus. et quaest., cum tamen lacunis. (12) V. 11-17.

(13) Papa Liberius ab omni labe immunis censendus est, ut cl. P. Fedele Savio, S. I, *La Questione di Papa Liberio,* Roma 1907, atque in aliis successivis opusculis demonstravit. — Ignorantia caeterum Fraticellorum statim in sequentibus apparet, ubi *de quodam Leone papa tempore* (!) *sancti Ylarii episcopi Pictaviensis fabulantur.*

(14) Cap. 9 *Anastasius.* (15) V. 8. (16) V. 8.

enim possumus aliquid aduersus veritatem, set pro ueritate. Cum ista sententia concordat beatus Bernardus, libro 3° *de consideratione ad Eugenium Papam* (1), sic dicendo: *Non sum tam rudis, ut ignorem vos dispensatores positos, set in hedificationem, non in destructionem.* Cum ista sententia concordat beatus Augustinus super illud Mathei XXIII° (2). *Super cathedram Moysi* etc. dicens ita (3): *Cathedra Moysi,* dicit ipse, *est scriptura diuina, sedere super cathedram Moysi est ipsam sacram scripturam sine errore falsitatis recte exponere et docere, quod si sic faciunt, tunc audiendi sunt, quia sedent super cathedra Moysi. Set quando aliter facerent et docerent falso modo exponere, verbum dei adulterantes, idest falsum et erroneum intellectum attribuentes, tunc audiendi non sunt, nec eis obediendum, quia non sedent super cathedra Moysi.* Cum ista sententia, scilicet quod papa non potest contra ius diuinum in aliquo, sunt beatus Gregorius, Ieronimus, Dionisius et alii sancti et etiam sacra scriptura (Deuteronomii c°) (4), Prouerbiornm tricesimo, Apocalypsis ultimo, et in aliis locis, quorum dicta et auctoritates hic dimittimus scribere causa breuitatis.

Pro ista sententia et conclusione sunt multi summi pontifices sic dicentes. Vnde Vrbanus papa XXV^a causa, q. I^a, c.° (5). *Sunt quidam,* dicit sic: *Sunt quidam dicentes Romano pontifici semper licuisse nouas condere leges, quod nos non solum non negamus, sed etiam ualde affirmamus. Sciendum tamen summo opere est quod inde nouas leges condere potest, vnde euangeliste aliquid nequaquam dixerunt, vbi uero aperte dominus uel eius apostoli, uel eos sequentes sancti patres sentencialiter aliquid diffinierunt, ibi non nouam legem Romanus pontifex dare potest, set potius quod predicatum est, usque ad animam et sanguinem confirmare debet. Si enim, quod dixerunt apostoli et prophete destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, set magis errare conuinceretur.* Hec ille. Item sanctus Leo papa, cuius dictum ponitur XXV di., q. 1^a, c.° (6). *Qve ad perpetuam* dicit sic: *Que ad perpetuam generaliter ordinata sunt vtilitatem, nulla commutatione varientur; set manentibus terminis, quod constituerunt patres, nemo iniuste usurpet alienum.* Hec ibi; vbi Glossa ordinaria dicit s[i]c (7): *Ex hoc patet, quod papa non potest contra generale statutum Ecclesie dispensare, nec contra articulos fidei. Nam si omnes assentiant ei, non ualet statutum, set omnes heretici essent.* Hec Glossa ordinaria. Item sanctus Gregorius papa eadem causa, q. II^a (8), dicit sic: *Si ea destruerem, que antecessores mei statuerunt, non constructor esse comprobarer, testante ueritatis uoce, que ait* (9): *Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur. Et omnis scientia et lex aduersus se diuisa destruetur.* Item Innocentius papa 3us *Extra, de statu monachorum* c.° (10) *Cum ad monasterium,* dicit sic: *Quod abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa Regule monachali, vt contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Qve autem sanxiones seu decretales summi pontificis robur habeant, aperte notatur XIX^a di. (11), § *Hoc autem* ubi dicitur sic: *Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus uel decretalibus in quibus nec precedentium patrum decretis, nec preceptis euangelicis aliquid contrarium inuenitur.* Hec ibi. Et omnia

(1) Cap. IV, Migne, P. L. 182, 769. (2) V. 2. (3) Ubi dixerit non inveni.
(4) In membrana paene obliteratum est quod uncis inclusimus atque lectio incerta.
(5) Cap. 6. (6) Cap. 3. (7) Membrana corrosa est, ubi uncos adhibemus.
(8) Cap. 3. (9) Luc. XI, 17. (10) Cap. 6 (III, 35).
(11) Cap. 7, *Ita Dominus noster.*

ista que dicta sunt, nos pauperculi firmiter credimus et confitemur. Et nullam opinionem sequimur alicuius viuentis nec mortui seu defuncti in facto fidei, nisi opinionem et determinationem sancte matris Ecclesie, sacre scripture et sanctorum, nec illis que dicta sunt neque in illis que inferius sunt dicenda. Et si propter hoc debent nos sic persequi inimici veritatis, discipuli antiX[i], discernat et videat cum oculo pietatis quilibet vir fidelis; nam alias sectas nunquam tenuimus nec tenebimus, domino adiuuante, nisi vias et sententias supradictas, scilicet sancte matris Ecclesie Romane, sacre scripture et sanctorum.

De paupertate domini nostri ihu X[i] et eius apostolorum et beati Francisci credimus quod credit et determinauit sancta mater Ecclesia Romana, et illud quod dicit sacra scriptura atque sancti, quia ab istis tribus fundamentis nunquam recedemus, gratia domini nostri ihu X[i] faciente et operante. Ideo dicimus, credimus et confitemur sequendo tria predicta fundamenta, quod xps in quantum homo viator (1), viam perfectionis ostendens, et eius apostoli eandem viam sequentes et docentes, nullam proprietatem in rebus temporalibus habuerunt, nec in speciali nec etiam in communi. Nam ita nos docet sancta mater Ecclesia, sacra scriptura atque sancti. Sancta mater Ecclesia nos edocet sic in decretali domini Nicholay tercii, que incipit: *Exiit qui seminat seminare semen suum* etc. (2). In qua decretali inter alia dicitur sic § *Porro* (3). *Hii sunt illius sancte Regule professores* — ubi loquitur de Regula et statu fratrum Minorum — *que euangelico fundatur eloquio, vite xpi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesie apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. Hec est apud deum et patrem munda et immaculata Religio, que descendens a patre luminum per eius filium exemplariter et uerbaliter apostolis tradita, et demum per spiritum sanctum beato Francisco et eum sequentibus inspirata* etc. Et sequitur infra in predicta decretali: *Porro cum dicta Regula expresse contineat quod fratres nichil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sitque declaratum per eundem predecessorem Gregorium IX* (4) *et nonnullos alios* (5) *hoc seruari debere, tam in speciali quam etiam in communi, dicimus quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter deum, meritoria est et sancta. Quam et xps, viam perfectionis ostendens, verbo docuit et exemplo firmauit. Quamque primi fundatores militantis Ecclesie, prout ab ipso fonte [h]auserant, in volentes perfecte viuere per doctrine ac vite ipsorum alueos deriuarunt.* Hec in dicta decretali. Que, inquam, decretalis per papam catholicum fuit facta, et per papam Bonifacium VIII[m] in VI[o] libro decretalium *Extra, de verborum significatione* fuit clausa et inserta, et per Consilium generale Viennense confirmata et approbata.

Et ideo, omni scrupulo consciencie remoto, dicimus et confitemur de paupertate xpi et eius apostolorum et beati Francisci, sicut in dicta decretali continetur. Et hanc sentenciam confirmant et affirmant multi alii summi pontifices declarantes uel dicentes quod fratres Minores nullam proprietatem possunt habere, nec specialem nec communem, ergo multo minus collegium xpi et apostolorum nullam proprietatem in rebus temporalibus habere potuerunt, nec specialem nec com-

---

(1) *Viator* in margine scribitur. (2) Cap. 3. (V, 12) in VI. (3) Citata verba non § *Porro*, sed initio bullae habentur. (4) Bulla *Quo elongati*, *BF* I, 68.
(5) Innoc. IV *Ordinem vestrum; BF* I, 400; cf. supra, AFH III, 1910, 512[8].

munem, quia aliter status beati Francisci fuisset et esset perfectior quam status xpi et apostolorum, quod est erroneum et blasphemum. Et quamuis determinationi Ecclesie firmiter sit credendum et adherendum, vltra hoc in hac veritate et conclusione multum nos confirmant sacra scriptura, et multa dicta sanctorum dicentia et continentia realiter illud idem, quod in dicta decretali continetur.

Dicta sacre scripture inter alia sunt ista: Nam Mathei XIX° (1) dicit xps: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia que habes et da pauperibus et sequere me.* Aut ergo X^us^ seruauit istud consilium, aut non. Si dicas quod non, hoc non est dicendum, quia oppositum dicit sacra scriptura Actuum 1° c.° (2): *Cepit ihs facere;* primo fecit, postea docuit; et Mt. X° (3): *Non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra dominum;* et etiam dicunt sancti quod illud, quod xps docuit, exemplo firmauit, ut inferius apparebit. Si dicas quod xps istud consilium in se ipso seruauit, habemus propositum, scilicet quod nullam proprietatem habuit, nec in speciali nec in communi, quia qui omnia vendit, que habet, et omnia dat pauperibus, nichil sibi retinet, quia qui omne dicit, nichil excludit, ergo etc. Item Lucae XIIII° (4) dicit sic xps: *Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus.* Aut ergo xps seruauit in seipso istud consilium, aut non. Non est dicendum quod non, quia est contra sacram scripturam et contra sanctos, ut est dictum, ergo perfecte seruauit, sicut in dicta decretali continetur. Item Mathei VIII° (5) et Luce IX° c° (6) valde expressit xps suam altissimam paupertatem, vbi dicit sic: *Vulpes foueas habent, volucres celi nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Et certe deberent sufficere ista uerba toti mundo ad confundendum illos, qui loquuti fuerunt et loquuntur contra xpi paupertatem, quia xps pauperior fuit quam uulpes, ut ipsemet testatur, et alii sancti. Set uulpes nullam habent proprietatem .... (7). Luce 2° c.° (8) dicitur de matre X^i^: *Reclinauit eum in presepio,* scilicet X^m^, *quia non erat ei locus in diuers[or]io* etc. Maxima paupertas fuit ista nostri saluatoris. Quod autem apostoli nullam proprietatem habuerint patet Mt. XIX° c.° (9), vbi dixit Petrus in persona omnium apostolorum: *Ecce nos reliquimus omnia* etc.

Qvid autem sentiunt et dicunt sancti de paupertate X^i^ et apostolorum eius? Possemus hic adducere seu recitare plus quam ducentas auctoritates confirmantes conclusionem supradictam set causa breuitatis paucas pro nunc vobis [recitamus?] (10). Sanctus Augustinus in *omelia circuncisionis domini* (11) dicit sic: *Qui dicit se in xpo esse, debet, sicut ipse ambulauit, et ipse ambulare*; *lege euangelium, et inuenies quomodo xps ambulauit, et tu fac similiter; filius autem hominis, fratres karissimi, ut ipse testatur, non habet ubi caput suum reclinet.* Et sequitur: *Quoniam omnia quecunque docuit dominus hoc et opere inpleuit, sicut scriptum est de eo: Cepit ihs facere et docere.* Hec Augustinus. Item Augustinus super illud 2^a^ ad Cor. VIII° c.° (12): *Propter nos egenus factus est. Factus est,* inquit, *egenus in tantum, quod non habuit quod*

(1) V. 21. (2) V. 1. (3) V. 24.
(4) V. 33. (5) V. 20. (6) V. 58.
(7) Membrana hic perforata est.
(8) V. 7. (9) V. 27. (10) Ob plicam deletum est verbum.
(11) Talis sermo habetur ap. Migne, P. L. 47, 1135, sed locus citatus deest.
(12) V. 9.

habent uulpes (1). Set uulpes nullam habent proprietatem, ergo neque xps, uel non est uerum quod dicit Augustinus. Item Ieronimus (2). *Volue et reuolue totam vitam saluatoris a principio natiuitatis usque ad patibulum crucis, et non inuenies in eo nisi stigmata paupertatis.* Item Anselmus, libro *de Sacramentis* (3): *Pauper,* inquit, *ita fuit, ut ueniens in mundum, non in sua, set aliena domo nasceretur, et natus propter inopiam loci, in presepio brutorum animalium poneretur, et viuens in mundo non haberet, ubi caput suum reclinaret, nec moriens ubi nudidatem suam tegeret, nec mortuus vnde inuolueretur nec sepulcrum au[t locum]* (4) *ubi corpus mortuum collocaretur* (5), *et extra ciuitatem.* Hec Anselmus. Item Ieronimus ad Eustochium (6): *Non potuit habere dominus quod prohibuerat seruis* etc. Item super illud Io. IXº cº. (7): *Venit princeps mundi huius et in me non habet quicquam,* dicit Glossa (8): *Noluit habere dominus quod perderet. Pauper uenit ne haberet diabolus quod auferret.* Item super illud Mathei XVIIº (9): *Eum piscem, qui primus ascenderit, tolle,* dicit Ieronimus (10): *Tante,* inquit, *dominus fuerat paupertatis, ut unde tributa redderet, non habu[er]it.* Quod si quis obicere voluerit, quoniam *Iudas in loculis portabat pecuniam,* respondebimus *[set res pau-]* (11) *perum in suos usus conuertere, nephas putauit.* Ergo xps in loculis nullam proprietatem habuit, set solum dispensationem et administrationem pro pauperibus, sicut alii prelati in rebus ecclestiasticis habent dispensationem et administrationem, et non proprietatem, sicut dicit Augustinus et decreta aliorum sanctorum; vnde pecunia loculorum tenuit formam ecclesiastice pecunie, sicut dicit Augustinus; ergo X^{s} in loculis nullam habuit proprietatem set administrationem et dispensationem pro pauperibus, sicut verus prelatus, et non sicut fur neque latro neque [proprietarius?] (12) neque mercenarius, qui curam non habet de ouibus, nisi ad deuorandum et inficiendum et destruendum eas, sicut prelati hodierni, sicut patet toti mundo. Item sanctus Damasus papa (13): *Negant sancti xpm et apostolos proprietarium habuisse dominium in hiis, que recepit et habuit cum suis apostolis et vsus est, et nos sanctis et eorum capiti xpo credamus et salui erimus.* Item Bernardus libro 2º ad Eugenium papam (14): *Nec locus,* inquit, *ocio, vbi sedula vrget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid aliud dimisit tibi sanctus apostolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do* (15). *Quid illud? vnum scio non aurum, neque argentum; cum ipse dicat: argentum et aurum non est michi;* et infra (16): *Esto quod alia quacumque ratione tibi vendices, set non apostolico iure; nec enim ille tibi dare potuit quod non habuit.* Item idem Bernardus eodem libro (17): *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando uel gemmis ornatus uel sericis, nec vectus equo albo, nec sti-*

(1) Desumptum ex glossa, quae non est S. Augustini, sed Haymonis; cf. *Op. om. S. Bonav.*, V, 126^{2}. (2) Ubi dixerit, non inveni.

(3) Cap. III, Migne, P. L. 158, 554. Idem textus citatur a S. Bonav. *Apol. Paup.*, VII, n. 6, *Op. om.*, VIII, 274. — Iste textus est velut thema *Sacri Commercii S. Franc. cum domina paupertate,* et Orationis Ubertini a Casale inde confectae.

(4) Deletum foramine plicae. (5) Hic habetur lacuna in textu Fraticellorum, ideo verba *et extra civitatem* connexum non habent.

(6) Epist. 22, n. 19, Migne, P. L. 22, 406. Idem textus ap. S. Bonav., *Apol. Paup.* VII, n. 8, *Op. om.* VIII, 275. (7) Revera XIV, 30. (8) Scl. ordinaria.

(9) V. 26. (10) Glossa ord. Idem textus citatur a S. Bonav. *De perf. evang.*, quaest. II, art. 1, *Op. om.* V, 125; cf. ib. p. 131. (11) Plica deleta sunt ista verba.

(12) Plica delevit unum verbum. (13) Ubi dixerit, non inveni.

(14) *De consideratione,* II, 6, Migne, P. L. 182, 748. (15) Act. Ap. III, 6.

(16) L. c. (17) Idest eodem opere, lib. IV, 3, Migne, P. L. 182, 766 (cum lacunis).

patus milite, nec circumstrepentibus ministris, absque hiis tamen creditur satis posse inplere salutare mandatum: Si amas me, pasce oues meas (1). *In hiis uero successisti non Petro, set Constantino.* Item Bernardus *de consideratione* I° libro c.° V° (2): *Ergo in criminibus, non in possessionibus, potestas vestra; propter illa siquidem et non propter has accepistis claues regni celorum, preuaricatores exclusuri non possessores, vt sciatis, ait, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* (3). Et infra (4): *Quenam tibi videtur maior dignitas et potestas dimittendi peccata an predia diuidendi? Habent hec infima et terrena iudices suos Reges et principes terre. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* Hec Bernardus. Item Augustinus *de uerbis domini,* sermone XII° (5): *Minimi* autem *sunt qui omnia sua dimiserunt et sequuti sunt xpm et quicquid habuerunt, pauperibus distribuerunt, vt deo sine seculari compede expediti seruirent et ab honeribus mundi liberati velud pennati sursum abeant.* Item in *Collationibus patrum,* XII^a collatione, c.° XI° (6) dicitur sic: *Reuera que maior aut sanctior potest esse paupertas quam illius qui nichil sibi presidii, nichil iurium cognoscens habere, de aliena largitate cothidianum poscit auxilium et vitam suam atque substantiam singulis quibusque momentis diuina ope intelligens sustentari, verum se mendicum domini non inmerito profitetur?* Item Ieronimus super illud apostoli ad Thymoteum VI° c.° (7): *Habentes alimenta et quibus tegamur, hiis contenti sumus,* dicit sic (8): *Signanter dicit quibus tegamur, ut ostenderet se non querere nisi vsum.* Hec Ieronimus. Et super illud ad Philipenses ultimo (9): *Misistis michi in vsum* etc. dicit Glossa ordinaria (10), et est Augustinus: *Preter vsum* in rebus *nichil querendnm est.* Hec Augustinus. Item Augustinus in libro *de facultatibus Ecclesie* (11) dicit sic: *De euangelio viuunt, qui nichil proprium habent, nec habere volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt.* Hec Augustinus. Item Ieronimus ad Eliodorum (12): *Perfectus seruus xpi nihil habet preter xpm, aut si preter xpm aliquid habet, perfectus non est.* Item Ieronimus ad Exuperantium (13): *Nemo apostolis pauperior fuit, et nemo tantum pro domino dereliquit.*

Item Augustinus libro XVII° *de Ciuitate Dei,* c.° 4° (14): *Dixerunt,* inquid, *potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia* etc. (15); *hoc,* inquit, *votum potentissime vouerant.* Item Augustinus super Ps. (16) *Verus pauper est, cui omnibus temporalibus derelictis, solus deus spes est.* Item Augustinus *de bono coniugali* c.° IX° (17): *Bonum erat quod faciebant qui de sua substantia X° et eius apostolis discipulis necessaria ministrabant, set melius, qui omnem substantiam dimiserunt, vt expeditiores eundem dominum sequerentur.* Item Augustinus libro *de ecclesiasticis dogmatibus* (18): *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus*

(1) Ioh. XXI, 15. (2) Revera c. 6, P. L. 182, 736. (3) Matth. IX, 6.
(4) L. c. (cum lacunis). (5) Sermo 113, c. 1, Migne, P. L. 38, 648.
(6) Revera Coll. 10, c. 11, Migne, P. L. 49, 837. (7) I Tim. VI, 8.
(8) Videtur esse Glossa. Idem fere adducitur a S. Bonav. *De perf. evang.* quaest. II, art. 1, n. 3, *Op. om.* V, 131. (9) IV, 16. (10) Est glossa interlinearis.
(11) Talem librum inter opera S. Augustini non inveni.
(12) Ep. 14, n. 6, Migne, P. L. 22, 351. (13) Ep. 145, Migne, P. L. 22, 1192.
(14) Migne, P. L. 41, 530. (15) Matth. XIX, 28.
(16) Enarratio in Ps. 93, n. 7, Migne, P. L. 37, 1196. Verba non in omnibus correspondent verbis S. Aug. (17) Est cap. 8, n. 8, Migne, P. L. 40, 380.
(18) Cap. 38, Migne, P. L. 42, 1219. Liber attribuitur Gennadio. Idem textus citatur pluries a S. Bonav., ex. gr. *De perf. evang.* quaest. II, art. 1, n. 21, *Op. om.* V, 127; quaest. II, art. 2, n. 5, *Op. om.* V, 143; *Apol. Paup.* VII, n. 15, *Op. om.* VIII, 277.

erogare, set melius est pro intentione sequendi dominum semel totum donare, et absolutum a sollicitudine cum X^o egere. Item Ieronimus ad Aggerantiam (1): *Apostoli toto orbe peregrini non es in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus.* Item Ieronimus ad Metriadem (2): *Apostolici fastigii est perfecteque virtutis omnia vendere et pauperibus distribuere et sic leuem atque expeditum cum X^o ad celestia subuolare.* Item Crisostomus, omelia 48^a super Matheum (3): *Apostolos non signa mirabiles fecerunt set pecuniarum contemptus, glorie despectus, ab omnibus huius vite negociis ereptio; quia si non hec habuissent etsi X milia mortuos suscitassent, non solum nichil profecissent, set et seductores extimati fuissent.* Item Innocentius papa V^us (4) dixit et scripsit, quod alta paupertas est, que habet pauca propria propter deum. Altior que nulla habet propria, habet tamen in communi. Altissima que nichil habet in habendo nec in proprio nec in communi. Item Crisostomus super epistolam ad Hebreos (5): *Nemo causetur paupertatem tanquam causa sit multorum malorum, nec obloquatur de xpo, qui perfectionem illam dixit* (6): *Si vis perfectus esse, vade et* (7) *uende omnia que habes et da pauperibus; hoc enim ipse et uerbis dixit, et operibus ostendit et per discipulos suos docuit.* Et infra (8): *Si vis audire paupertatis predicamenta, ipsam professus est xps et dixit* (9): *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet, et iterum discipulis suis dicebat* (10): *Nolite possidere aurum neque argentum.*

Ecce, Reuerendi domini, quid sancti sentiunt de paupertate altissima domini nostri ihu xpi et eius apostolorum, et quomodo concordant cum sacra scriptura et cum decretali superius allegata, et decretalis cum eisdem. Et nos xpi pauperculi illud idem credimus et confitemur, videlicet quod xps in quantum homo viator, viam perfectionis ostendens, et eius apostoli eandem viam sequentes et docentes, nullam proprietatem in rebus temporalibus habuerunt in speciali nec etiam in communi, sicut superius multipliciter est ostensum, set solum vsum facti in rebus quibus vtebantur (11). Qvia

---

(1) Ep. 123, n. 15, Migne, P. L. 22, 1057; Idem citatur a S. Bonav. *Apol. Paup.* VII, n. 12, *Op. om.* VIII, 276. (2) Sic! Ep. 130, n. 14, Migne, P. L. 22, 1118.

(3) Hom. 46 (al. 47), n. 3, Migne, P. G. 38, 479. Textus est potius adaptatus. Idem textus eadem forma citatur a S. Bonav. *Apol. Paup.* IX, n. 22, *Op. om.* VIII, 301.

(4) Innocentius V paucos menses regnavit a. 1276. Utrum ipse citatur vel alius eiusdem nominis praedecessor non liquet.

(5) Hom. 18, n. 2-3 Migne, P. G. 63, 136-137. Textus hic parumper est adaptatus et contractus. Citatur etiam a S. Bonav. *De perf. evang.* quaest II, art. 1, n. 1, *Op. om.* V, 131, atque praecise in forma qua supra *Apol. Paup.* IX, n. 15, *Op. om.* VIII, 299.

(6) Matth. XIX, 21. (7) In textu repetitur *vade.* (8) L. c.

(9) Matth. VIII, 20. (10) Matth. X, 9.

(11) Hic et in sequentibus exponitur sententia, quam Fratres Minores defendebant ante bullam *Cum inter nonnullos,* 12 Nov. 1323, Iohannis XXII, quae sententia partim reponitur in doctrina S. Bonaventurae, in decretali *Exiit* Nicolai III, in sententiis Ubertini a Casale (cf. supra AFH III, 274-75), Fr. Bonagratiae in tractatu a nobis edendo *De paupertate Christi et Apostolorum,* et aliorum Fratrum Minorum. Post decisionem authenticam quaestionis Michelistae et Fraticelli priorem sententiam defendere continuabant incessanter atque usque ad nauseam repetebant eadem argumenta, quamvis ex alia parte centies refutata; vocabantur etiam ab adversariis, ob continuam eorum ad decretale Nicolai III appellationem, *Nicolaitae,* cf. supra AFH III, 269. — Principales oppositores erant Fratres Praedicatores; cf. supra AFH III, 685^5; IV, 151; V, 21. Vix vero credibilia sunt quae narrat Iohannes Vitoduranus O. Min., *Chro-*

nulli est dubium quod xps in quantum deus habebat omnia iure diuino, quia dicit scriptura (1): *Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et vniuersi qui habitant in eo.* Et de hoc nunquam fuit questio inter fideles xpianos. Xps etiam in quantum prelatus habuit et habere potuit iure prelationis scilicet administrationem et dispensationem, et sic habuit in loculis, ut superius fuit declaratum. Et de hoc non est quaestio; quia casus est iuris: habuit etiam xps et eius apostoli vsum facti uel iuris naturalis, non ciuilis nec mundani, in rebus quibus vtebantur? Et de hoc est questio inter fideles xpianos; set proprietatem ciuilem et mundanam, collegialem seu specialem, nunquam xps et eius apostoli habuerunt, viam perfectionis ostendendo, docendo, sequendo. Et ita dicimus nos pauperculi adherendo et credendo firmiter determinationi sancte matris Ecclesie Romane superius allegate, et tot et tantis testimoniis supradictis, quorum testimonia sunt valde credibilia omni fideli xpiano. Et possumus, ut diximus, adducere quam plurimas alias rationes, quas pro nunc dimittimus, causa breuitatis.

De papa Iohanne XXII° et de omnibus successoribus eius et de cunctis fautoribus eius, Reuerendi domini, nichil aliud dicimus nec sentimus, nec dicere volumus nec sentire, nisi illud solum quod docet et informat nos sacra scriptura, sancta mater Ecclesia Romana atque sancti. Et qui istis testimoniis non credit cecus est, uel dux cecorum (2) et properat de die in diem ad penas infernales. Et ut, dilectissimi domini, melius uideatis et cognoscatis mala pessima, tam spiritualia quam temporalia, que hodie superhabundant in hoc mundo, et vnde habent principalem originem dicta mala, et ut melius possitis vos deffendere et cauere a malis presentibus, preteritis et futuris. Nam dicit xps benedictus in euangelio (3): *Si cecus ceco ducatum prebet, ambo in foueam cadunt.* Et Osee propheta dicit (4) quod *populus ignorans uapulabit.* Et Paulus dicit ad Romanos (5) quod *ignorans ignorabitur,* quod intelligendum est de illo qui *noluit intelligere, ut bene ageret* (6). Et Decretum dicit (7) quod *ignorantia cunctorum errorum est mater.* Et ideo dicit profeta (8): *De celo respexit deus, si est intelligens, aut requirens deum.* Et alibi (9): *Da michi intellectum, ut sciam testimonia tua.* Et alibi dicit propheta (10): *Intellectum da michi et viuam,* quasi dicat propheta quod homo sine intellectu animali mortuo conparatur. Et Danielis XII° (11) scribitur: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas eternitates.* Et sequitur (12): *Et inpie agent inpii, neque intelligent omnes inpii. Porro docti intelli-*

---

nicon, ed. G. von Wyss ap. *Archiv für Schweizerische Geschichte,* Vol. XI, Zürich 1856, p. 86: « Fratres Predicatores foventes in posicione memorata partem pape, quod audire pie mentes refugiunt, in contemptum et contumeliam fratrum Minorum et per consequens in scandalum tocius ecclesie depinxerunt vel depingi procuraverunt Christum cum loculis et capsellis, ad extrahendum denarios ipsis manus suas inmittentem, et, quod est horror devotis dicere videre vel audire, in parietibus monasteriorum et ubi erat frequens hominum transitus Christum pendentem in cruce depingebant una manu brachio crucis affixum et altera denarios tractantem et bursis in cingulo suo pendentibus inferentem. Hoc totum factum est ut cernentibus per hoc patesceret: Christum proprietates habuisse ». Idem textus, a Sig. Riezler, *Die literarischen Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwig des Baiers,* Leipzig 1874, p. 60[1] iam indicatus, habetur etiam ap. Eccardum, *Corpus historicum Medii Aevi,* I, Lipsiae 1723, col. 1800.

(1) Ps. 23, 1. (2) Cf. Matth. XV, 14. (3) L. c.
(4) IV, 14. Vulgata loco *ignorans* habet: *non intelligens.* (5) Revera I Cor. XIV, 38.
(6) Ps. 35, 4. (7) Ubi, non inveni. (8) Ps. 13, 2. Vulgata parum differt.
(9) Ps. 118, 125. (10) Ps. 118, 144. (11) V. 3. (12) Dan. XII, 10.



gent. Et sequitur (1): *Populus autem sciens deum suum obtinebit.* Et ideo per aspersionem sanguinis domini nostri ihu Xi, Reuerendi domini, illa que dicta sunt, et inferius sunt dicenda, intelligatis animo beniuolo et intento, quia sapientibus et discretis viris loquimur et scribimus veritatem.

Nam cum cordis amaritudine, medullarum ac viscerum frixione vobis, Reuerendis dominis, ac cunctis aliis xpi fidelibus in hac lacrimabili scriptura pandimus, notificamus et ueraciter demonstramus abhominationem desolationis dictam et prophetatam a Daniele propheta et a xpo in sancto euangelio Mathei XXIIII (2) iterum repetitam et demonstratam ad melius memorie comendandum fidelibus xpistianis, ne ab ipsa decipi ualerent in futurum, hodie et diu est, in suo magno culmine *stare in loco sancto*, hoc est in Ecclesia sancta dei. Ex qua *abhominatione desolationis* principaliter processerunt omnia mala temporalia et spiritualia, que, diu est, regnauerunt et permanserunt et viguerunt multipliciter in hoc mundo, scilicet vita bestialis, voluptuosa, brutalis, uana, lasciua, pomposa, immunda, polluta, fetens et carnalis, bella innumera inter xpianos, terremotus, mortalitas transacta, fames et pestilentie, que fuerunt (3); et adhuc formidamus, nisi deus ponat remedium, multa mala breuiter euenire, omnia predicta et multa alia mala, a predicta *abhominatione desolationis,* que hodie regnat *in loco sancto*, hoc est Ecclesia, habent ortum, fundamentum et radicem. Qve autem est ista *abhominatio desolationis, que stat in loco sancto,* hoc est in Ecclesia? Respondemus cum animo doloroso, quod ista *abhominatio desolationis* est condempnatio vite Xi et eius paupertatis et apostolorum eius, facta per papam Iohannem XXIIm, triginta anni (4), ut credimus, sunt elapsi, et per plurimos fautores dicti Iohannis pape variis modis confirmata. Ista est *abhominatio desolationis que stat* et diu stetit *in loco sancto,* scilicet in Ecclesia sancta dei, secundum quod dicit beatus Ieronimus doctor sanctissimus et expositor sacre scripture excellentissimus atque clarus; dicit enim supra Matheum (5) quod abhominatio desolationis sumitur tripliciter: primo modo sumitur pro antiXo, secundo modo pro ydolo, tercio modo sumitur pro falsa doctrina, ut patet per sanctum Ieronimum sic dicentem (6): *Abhominatio desolationis intelligi potest* et est *omne dogma peruersum, quod cum viderimus in loco sancto, hoc est in Ecclesia, debemus fugere ad montes, hoc est, dimissa occidentali littera et iudaica prauitate, appropinquare montibus eternis, de quibus inluminat mirabiliter deus, et esse in tecto* idest *in dogmate, quo non possint ignita diaboli iacula peruenire, nec descendere et tollere aliquid de domo conuersationis pristine, nec aspicere que retro sunt, set magis serere in agro spirituali scripturarum, vt fructus capiamus ex eo.* Hec Ieronimus Ecclesie sancte doctor. Heu, heu, heu, Reuerendi domini, grauiter ista refferimus, set grauius tolleramus, quia talia non audiuimus facta in diebus patrum nostrorum.

Dicimus igitur cum merore quod *abhominatio desolationis, que est et stat in loco sancto,* sunt errores et hereses pape Iohannis XXII, cum quibus condempnauit vitam et paupertatem domini nostri ihu xpi et apostolorum eius et totam Ecclesiam Xi maculauit, et fidem catholicam, quantum in ipso fuit, penitus anullauit. Nam fecit dictus Iohannes et in-

(1) Imo praecedit, Dan. XI, 32. (2) Ex hoc cap. in sequentibus plures loci adducuntur, quos inutile est singulis vicibus citare.

(3) Allusio ad « mortem nigram » seu magnam illam mortalitatem a. 1348.

(4) Quibus e verbis datum compositionis litterarum istarum deduci potest.

(5) In c. XXIV, 15, Migne, P. L. 27, 177. (6) L. c. V. 16.

stituit quatuor decretales (1), quarum prima incipit *Ad conditorem canonum,* secunda *Cum inter nonnullos,* tercia *Qvia quorumdam mentes,* quarta *Quia vir reprobus.* In quibus decretalibus pessimis et hereticalibus tot et tanti errores et hereses continentur, quod numquam audiuimus nec legimus aliquem hereticum, neque Arrium, neque Sabellium, neque Pelagium, neque Nestorium, neque Manicheum, neque Valdenses, neque Grecos tot et tantos abhominabiles errores et hereses inuenisse, defendisse, instituisse et dixisse sicut iste papa Io. XXIIus a deo maledictus. Nam possumus vobis dicere, Reuerendi domini, in veritate non ficta quod plus quam ducentos errores uel hereses predicauit uel instituit, dogmatizauit uel deffendit iste Iohannes maledictus, quos errores et hereses sumus parati ostendere cuilibet non credenti, uel dicenti quod non contineant veritatem dicta nostra. Et adhuc deffenduntur tam dictus Iohannes quam sue fetide decretales tanquam catholicus et catholice per suos fautores quam plurimos, per suam maliciam ex[c]ecatos et a domino reprobatos, de quo multum est plangendum et dolendum, quia vltimus *error peior* est *priore* (2), non dubitat vir fidelis. Et ut melius ipsum et suam doctrinam pestiferam, abhominabilem et excommunicatam melius cognoscatis, ne descendat vir catholicus cum ipso ad penas infernales, suam doctrinam venenatam credendo, sequendo, laudando uel deffendendo, aliquos errores suos et hereses hic in speciali volumus vobis breuiter recitare, ne dicatis quod uerba sunt ficticia dicta nostra; nam omnes suos errores et hereses non possumus recitare in speciali pro presenti, quia esset nimis longum, set sumus parati, quandocunque essemus requisiti. Modo attendat diligenter mens xpiana que dixit et instituit et dogmatizauit et deffendit Iohannes maledictus sepe dictus contra xpm et contra eius apostolos gloriosos, contra sacram scripturam et contra sanctos et contra Ecclesiam sanctam Dei. Dixit (3) enim in illa vltima abhominabili decretali seu rescripto, bulla papali bullato, errores qui sequuntur:

Primus error eius est quod xps in quantum homo viator ab instanti sue conceptionis habuit ex dei datione vniuersale dominium rerum temporalium, sicut verus Rex et dominus in temporalibus.

Iste abhominabilis error est contra xpm, Iohannes XVIIIo in euangelio sic dicentem: *Regnum meum non est de hoc mundo;* et sequitur: *Si regnum meum esset ex hoc mundo, esset regnum meum, ministri mei utique decertarent* pro me, *ut non traderer iudeis* etc. Iste pessimus error est etiam contra xpm, Mathei XIII, et Luce IXo sic dicentem: *Vulpes foueas habent, volucres celi nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Set si xps, in quantum homo, esset rex in temporalibus, sicut dicit iste blasphemus Iohannes, haberet *ubi caput suum reclinaret* valde copiose, quia haberet multas ciuitates, multa castra, multa palacia; ergo falsum fuit hoc quod dicit iste Iohannes maledictus [dampnat]us et bl[asphemus] her[eticus] (4). In oppositum est sancta

(1) Cf. supra, AFH III, 253; 268; IV, 700. (2) Matth. XXVII, 64.

(3) De fontibus e quibus Fraticelli sequentes, quos ipsi appellant « errores » construxerunt vel constructiones ipsas hauserunt cf. supra AFH III, 680-699 in notis, quibus fontibus nunc addendae sunt litterae Michaelis e Caesena datae Monachii 23 Aug. 1338 integrae editae ab Armando Carlini, *Fra Michelino e la sua eresia,* Bologna 1912. 289-308. — In citato textu (AFH III, 680-699) Fr. Andreae Richi habes sententiarum Fraticellorum refutationem. Quare in sequentibus eadem non repetemus. Accusationes caeterum quas movent isti haeretici obstinati tales sunt, ut quisque sapiens lector, quantum sophisticae sint, ipse facile perspiciat. (4) Habetur hic foramen in plica, quod textum delevit. Textum igitur ex coniectura supplevimus.

mater Ecclesia, que cantat in Epifania domini (1): *Hostis Herodes inpie, xpm venire quid times? non eripit mortalia, qui regna dat celestia.* In oppositum est beatus Iohannes Crisostomus supra illa verba (2): *Regnum meum non est de hoc mundo,* ubi dicit sic: *Non priuat xps mundum a sua prouidentia et prelatione, set ostendit regnum non esse humanum, neque corruptibile.* In oppositum est Augustinus supra eadem uerba Iohannis XVIII° c° (3): *Regnum meum* etc. *Qvid est eius regnum, nisi credentes in eum quibus ipse dixit, de hoc mundo non estis?* Et super illa verba Luce (4): *Dabit illi dominus deus sedem Dauid* etc. ait beatus Basilius: *Non in materiali sede Dauid sedit xps, indissolubile habens regnum, set dedit illi dominus sedem Dauid, idest plebem israheliticam, ut in electis regnet hic xps per gratiam et post per gloriam.* Et beatus Bernardus super eadem uerba Luce in omelia 4ª dicit sic (5): *Dabit ergo ei dominus sedem Dauid patris sui, et non typicam set veram, non temporalem set eternam, non terrenam set celestem.* Hec Bernardus. In oppositum est Gregorius, Fulgentius, sanctus Leo, Beda in Glosa, quorum dicta hic dimittuntur, causa breuitatis. Apparet ergo clarissime ex omnibus supradictis quod xps in quantum homo viator non habuit vniuersale dominium in rebus temporalibus, sicut verus rex et dominus in temporalibus, sicut fingit et dicit iste Iohannes maledictus, quia hoc esset sequi sectam Iudeorum, qui expectant eum sicut Regem temporalem, sicut sonat cortex litere veteris Testamenti. Set xps fuit Rex in spiritualibus, sicut dicunt sancti supradicti et multi alii. Et in quantum deus fuit iure diuino dominus et Rex tocius vniuersi.

Secundus error istius Iohannis a deo maledicti in dicta constitutione seu rescripto est, quod xps in quantum homo viator per successionem temporis habuit, videlicet acquisiuit sibi in speciali, dominium proprium alimentorum, calciamentorum et loculorum, partim collatione fidelium, partim per emptionem.

Iste autem error et precedens sub forma propria contradicunt decretali *Exiit qui seminat,* ubi expresse dicitur quod *xps viam perfectionis ostendens verbo docuit, et exemplo firmauit, abdicationem proprietatis* omnimode *omnium rerum, tam in speciali quam etiam in communi.* Ille enim, qui semper habet proprietatem multarum rerum temporalium et verum proprietatis dominium, nunquam exemplum dat perfectis nec inperfectis abdicationis proprietatis omnimode omnium rerum. Est etiam iste error contra sanctos superius allegatos; est etiam contra sacram scripturam (6): *Nisi quis renunciauerit omnibus* etc. Et (7): *Si vis esse perfectus* etc., quia non est dubium quod xps fideliter et perfectissime ista consilia obseruauit, ut superius iam est dictum, quia *cepit* ihs *facere et docere*, Actuum 1° c° (8), et tamen proprietas est de numero omnium, ergo xps nullam habuit proprietatem, ut affirmat et dicit Iohannes a deo maledictus.

(Continuabitur). P. LIVARIUS OLIGER, O. F. M.

---

(1) Ex officio liturgico, uti erat ante reformationem Urbani VIII.

(2) Ioh. XVIII, 36. Sequentia SS. Patrum eloquia ex Glossis videntur desumpta, uti inferius innuitur. (3) V. 36. (4) I, 32. (5) Homiliae S. Bernardi non habentur, sed Sermones, inter quos tamen locum citatum non inveni.

(6) Luc. XIV, 23. (7) Matth. XIX, 21. (8) V. 1.

DOCUMENTA

AD HISTORIAM TRIUM ORDINUM S. FRANCISCI

IN URBE IMOLENSI (*)

II.

SECUNDUS CONVENTUS PRIMI ORDINIS

A S. FRANCISCO NUNCUPATUS

§ 2. — (1401-1450).

Sequitur historia Imolensis conventus S. Francisci, documentis ipsis, quotquot hucusque reperi, descripta. Ecclesia superior, iam aedificari incepta anteriori saeculo (cf. 1379; 1381, 28 iulii; 1388, 31 mart. etc.: AFH V, 556 ss.), nunc minoribus capellis et altaribus paulatim decoratur, (cf. 1411, 14 nov.; 1414, 6 iul.; 1426, 26 mart.; 1442, 9 nov.; 1443, 7 ian., 21 dec.), quin tamen hoc sequenti temporis spatio perfecta dici possit, cum simul iam instaurationibus indigeret (cf. 1441, 17 ian.; 1448, 6 nov.; 1449, 12 oct.; 1450, 16 febr. etc.); cuius ecclesiae partes indicantur: 1403, 11 nov.; 1411, 2 dec.; 1420, 15 ian.; 1423, 11 apr.; 1432, 19 iun. etc. Quod attinet ad conventus vel eius partium aedificationem aut restaurationem, cf. 1423, 11 apr.; 1432, 10 apr.; 1437, 30 oct. Societatem beatae Mariae Virginis, sive Laudum sive Batutorum, quae apud ecclesiam Fratrum Minorum congregabatur (de ea praecipua documenta 1409, 10 febr.; 1422, 8 mart.; 1439, 19 nov.), eiusdem ecclesiae et conventus Fabricae sive Operae sumpsisse officium nunc aperte dignoscitur (cf. 1418, 8 maii; 1428, 7 aug.), quod praecedentibus documentis iam innuebatur (1391, 10 dec.: AFH V, 563); neque insolitum, cum apud alias ecclesias idem evenisse constet. De novo Fratrum Minorum conventu, sub 1418, 15 febr. concesso, nihil aliud pro hac temporis periodo invenire potui.

Hic, ad annum 1450, pro isto Fratrum Minorum in urbe Imolensi conventu ad praesens rivos claudo. Veniam postea ad 2m et 3m Ordinem, quorum itidem documenta intra huius temporis spatium continebo; alias de ipsis praecipua tantum monumenta posteriora, Deo concedente, daturus.

(*) Cf. AFH V, 52-73, 544-572, 710-726.



1401, 14 martii. — (*Deest instrumentum*). Actum Imole, in *ecclesia* fratrum Minorum de Imola, pp. fr. Leonardo q. Nigri de Parma guardiano, fr. Iohanne de Anglia, tt. (*ANot.*, A Monte A., v. I, c. 98).

1403, 11 novembris. — * D. Iacobus de Gagio rector ecclesie de Cluxuria et capellanus in ecclesia S. Iohannis de Imola confessus fuit se recepisse a d. Pironcelli de Imola unum duplerium. Acta fuerunt supradicta Imole sub *balconcello* ecclesie fratrum Minorum a latere S. Iacobi *etc.* (*ANot.*, b. D, n. 43).

1407, 2 martii. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Pasii de Bononia guardiani dicti conventus, in claustro dictorum fratrum, in quo capitulo interfuerunt ipse d. guardianus, fr. Demienus (!) de Arimino, fr. Iohannes de Trento fr. Iohannes Salamon de Imola et fr. Martinus de Yspania, cum plures non sint in dicto capitulo, fecerunt mag. Perino q. Ugolini de Ianua habitanti Imole heredi d. Maxie q. **, heredis Bartolomei de Castro S. Petri, absolutionem de legato facto per olim d. Bartolomeum lib. x bon. post mortem d. Maxie. (*ANot.*, A Monte A., v. II, c. 14v).

1407, 23 augusti. — D. Dominicus Baldi brentatoris de Imola vendidit fr. Baldo q. Berti de Tebaldis de Imola guardiano conventus fratrum Minorum de Imola domum unam cum duobus hostiis in pariete anteriori, positam in civitate Imole in capella S. Egidii iuxta mag. Pelegrinum medicum, mag. Paxium barberium, iura dicti conventus et viam publicam, pro precio XIIII ducatorum auri. Actum Imole in capella S. Egidii, in *claustro* dictorum fratrum *etc.* (L. cit., c. 35v).

1407, 4 septembris. — Santus q. Francii de Puçolo diocesis Imolensis dedit Bartolo q. Micaelis Magnani de Ortodonico unam petiam terre in fundo dicto *lo Çacharia etc.* Actum in burgo porte Alonis civitatis Imole capelle S. Christine, sub porticu domus fratrum Minorum de Imola, habitationis Bartolomei q. Francisci de la Stangamine comitatus Florentie *etc.* (L. cit., c. 37v).

1407, 4 novembris. — Convocato capitulo fratrum Minorum de mandato fr. Baldi guardiani, in quo interfuerunt ipse fr. Baldus, fr. Franciscus de Maglorissis lector, fr. Bartolus de Ravenna, fr. Iohannes de Trento, fr. Iohannes de Imola, fr. Paxius de Bononia et fr. Iacobus de Flagnano et fr. Lodovicus de Faventia, in *claustro secundo,* fecerunt eorum sindicum et procuratorem ser Iohannem de Lentigratis. (L. cit., c. 51).

1408, 3 decembris. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Guidonis de Parma guardiani dicti conventus, in quo capitulo interfuerunt dictus d. guardianus, fr. Franciscus de Maiolica lector dicti conventus, fr. Iohannes de Aleis de Caxula, fr. Iohannes de Anglia, fr. Paulus de Florentia et fr. Iohannes de S. Iohanne, cum plures in dicto monasterio non sint, fecerunt Bonaventure q. Chole de Mezamicis de Imola heredi pro quarta parte d. Ysotte olim sue matris et f. q. Bandini Çavarisii de Imola absolutionem de legato lib. XV legatarum conventui, lib. x bon. pro laborerio ecclesie et lib. v pro missis et orationibus. (L. cit., c. 114v).

1409, 10 februarii. — Convocatis hominibus *societatis* de mandato ser Arardoli de Cavarsallis prioris dicte societatis, in qua congregatione interfuerunt ipse d. prior, Bitinus Nigri massarius, Iohannes Ni-

gri, mag. Dominicus de Ponte, Christoforus mariscalcus, Franciscbinus Blaxiondi, Gratia mastelarius, Iohannes Azolini, Dondis de Ortodonico, Pirondinus Garavellus, Deodatus Gucii, Guido de Caxis, Tonus fratris Cechi, Vianus de Pissibus, Paulus Zunte, mag. Bengus calçolarius, Iohannes eius filius, fr. Andreas Ghelli, Dominicus Taviani, Tonius Binie, Malgaritus de Fulono, Petrus Alberti, Guido morator, Ginesius morator, Iohannes Chelis, Tonius Bonfigloli, Franciscus de Faffis, Petrus de Leta, Iohannes Guidonis Gnani, Dominicus de Mentiis, Franciscus Cambioli, Tonius Machirelli, Dominicus Fredi, Lodovicus mag. Petri, Petrus Galutius, Iohannes de la Zanatella, Paulus de Buchis, Petrus de Leta, Perinus Salamonis, Pondus Leonardi, ser Franciscus de Mantila (?), Bettus et Nannes de Piro, Petrus Forlovesii, Iacobus Machirelli, Dominicus eius filius, Iohannes de Zaffis de Monte Oliveto, Appius (?) de Mordano, Toniolus de Sororibus, Gilius de Piliçariis, Franciscus mariscalcus, Iohannes Nigri, Petrus de Burgo, Benatus de Bononia, Bartolus frater Iacobi Benutii, qui fuerunt et sunt ultra quam due partes dicte societatis, vendiderunt Marsilio q. Francischini de Imola medietatem unius domus quam habent pro indiviso cum dicto Marsilio positam in civitate Imole in capella S. Donati in contrata Tiralphanghi, pro precio lib. xv bon. Actum in *claustro* dictorum fratrum, ubi congregatio predicta fieri solet *etc.* (L. cit., c. 132v).

1409, 10 februarii. — Tonius q. Bonfigloli de Imola confessus fuit habuisse ad laborandum a Bitino q. Nigri de Imola dante de pecunia *societatis* lib. xv bon. in moneta argentea pro tempore unius anni. Actum in *claustro* fratrum Minorum *etc.* (L. cit., c. 133).

1409, 18 maii. — Stephanus q. Zunte de Imola et Zunta eius filius confessi fuerunt se habuisse ex causa negotiandi in arte pannorum lane gentilis ad medietatem lucri sive dampni a Tonio q. Ture et Danielis de Clusuria districtus Imole lib. centum bon. Actum in *claustro* fratrum Minorum de Imola, pp. fr. Iohanne q. Benvenuti Salamonis de Caxula, fr. Lodovico q. Muzoli de Faventia et fr. Paulo q. Domini de Florentia ord. fratrum predictorum tt. (L. cit., c. 151).

1410, 27 ianuarii. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Georgii q. Iohannis de Imola guardiani dicti conventus, in quo capitulo interfuerunt ipse d. guardianus, fr. Nicolaus de Flandria alias de Parma lector in dicto conventu, fr. Iohannes q. Roberti de Tridento, fr. Iohannes q. Benvenuti Salamonis de Imola, fr. Iohannes q. Nicolai de Trieste, fr. Iohannes de S. Iohanne, fr. Andreas Iohannis de Faventia, fr. Paulus Lamberti de Imola, cum plures in dicto capitulo non existant, fecerunt eorum sindicum et procuratorem Favazolum f. ser Christofori q. Bulgari de Faventia habitatorem Venetiarum ad exigendum a suprastantibus seu offitialibus camere prestitorum Venetiarum omnem quantitatem [pecunie] eidem conventui debitam vigore testamenti comitis Marci de Comitibus de Cunio sive de Fusignano. (L. cit., c. 193v).

1410, 14 martii. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Georgii de Imola guardiani dicti conventus, in quo quidem capitulo interfuerunt ipse d. guardianus, fr. Nicolaus de Flandria alias de Parma, fr. Baldus de Imola, fr. Iohannes Salamon de Imola, fr. Iohannes de Tridento, fr. Andreas de Faventia, fr. Iohannes de Triesto et fr. Micael de Lugo, pro



infrascriptis agendis: Cum hoc sit quod Tonius q. ** de Carvassallis in eius testamento reliquerit ****, scientes dictum legatum fuisse satisfactum per d. Chichinam olim eius matrem, fecerunt Monaldo q. Santocii de Mongardino, stipulanti nomine dictorum heredum, renuntiationem de duabus domibus positis in capella S. Christine. (L. cit., c. 206v).

1411, 14 februarii. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Pauli de Florentia guardiani dicti conventus, in quo capitulo interfuerunt dictus guardianus, fr. Iohannes de Tredento, fr. Franciscus de Veletio, fr. Iohannes Salamon de Imola, fr. Bernabe de Parma et fr. Laurentius de Padua et fr. Micael de Lugo; fecerunt sindicum et procuratorem fr. Ludovicum de Tristis de Faventia ord. S. Mathei de Murano ad exigendum a camera prestitorum comunis Venetiarum legatum eidem conventui factum per Marcum de Fusignano comitem Cunii. (L. cit., c. 272).

1411, 20 aprilis. — Nobilis vir Raymundus f. q. nob. Bernardi de Oriolo diocesis Tolosane ligavit Stefano q. Aleocti de S. Alarca CCC lib. bon.; et si dictus Stefanus decederet in pupillari etate, voluit quod dicte CCC lib. bon. distribuantur pauperibus per suos comissarios et per priorem *societatis*. (*ANot.*, b. G, n. 44).

1411, 16 augusti. — D. Agnexia q. Bartolomei de Carvassallis de Imola uxor olim ser Antonii de la Botte comitatus Imole ellegit *sepulturam* suam apud ecclesiam fratrum Minorum de Imola. Reliquit *societati* unum duplerium. *Comissarios* ellegit priorem *societatis etc.*

Actum in capella S. Egidii in *sacristia* fratrum Minorum de Imola, pp. fr. Paulo q. Bartolomei de Florentia guardiano, fr. Iohanne de Tredento, fr. Petro q. Petri de Venetiis, fr. Bartolomeo q. Iohannis de Parma *etc.* tt. (*ANot.*, A Monte A., v. II, c. 312).

1411, 12 octobris. — Iohannes q. Nigri de la Brayta curie Galisterne comitatus Imole ellegit *sepulturam* suam [apud ecclesiam fratrum Minorum de Imola] (1). *Commissarios* ellegit priorem *societatis etc.* Nobilem eius uxorem sibi heredem universalem instituit et post mortem suam omnia bona voluit pervenire ad *societatem*, prohibens ipsam *societatem* et homines ipsius bona hereditatis predicte vendere; et si dicti homines ipsam hereditatem vel partem ipsius vendiderint, voluit ipsa bona vendita pervenire ad monasterium sororum S. Clarae de Imola.

Actum in *claustro* fratrum Minorum, pp. fr. Iohanne q. Benvenuti Salamonis de Imola, fr. Petro q. Petri de Venetiis, fr. Barnaba de Parma guardiano *etc.* (L. cit., c. 339, *cf.* v. III, c. 86v).

1411, 14 novembris. — Cum d. Donciana f. q. Pirondini de Captaneis de Laderclo comitatus Imole uxor olim Ugolini de Gigiis de Imola hedificari fecerit in ecclesia fratrum Minorum de Imola quamdam *capellam* sub nomine et vocabullo Epifanie sive Ss. Magum et volens ipsa d. Dontiana dictam capellam de bonis suis dotare, per se et suos heredes consignavit fr. Barnabe de Parma guardiano fratrum dicti conventus unam petiam terre aratorie decem torn. positam in suburgo Pioli cum hac conditione apposita, quod ipsi fratres non possint ipsam petiam terre alienare; quod si fecerint, dedit ser Arardolo q. Iacobi de Carvassallis de Imola vice et nomine *societatis*. Actum in *claustro* dictorum fratrum prope *capitulum* ipsorum *etc.* (L. cit., c. 359).

(1) Verba hic inter parentheses inclusa, deinde omittentur.

1411, 2 decembris. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Barnabe de Parma guardiani, in qua congregatione interfuerunt ipse d. guardianus, fr. Iohannes de Tredento, fr. Iohannes Salamon de Imola, fr. Lodovicus de Faventia, fr. Petrus de Schiavania et fr. Baldus de Tobaldis de Imola, qui sunt ultra quam due partes, vendiderunt ser Bernardino q. ser Francisci de Dutia vice et nomine Ludovici sui fratris quoddam sepulcrum constructum in *claustro* ipsorum fratrum prope hostium per quod itur de claustro predicto in *ecclesiam inferiorem* et quasi iuxta *sacristiam,* pro precio lib. XLII, quod confessi fuerunt habuisse in utilitatem dicte ecclesie. (L. cit., c. 366).

1411, 7 decembris. — D. Catalina q. Perucoli alias Calçabianca de Imola uxor olim Cichini Zocii de Caxula donavit fr. Barnabe de Parma guardiano fratrum Minorum de Imola vice et nomine fratrum ord. predicti petiam unam terre aratorie trium torn. positam in curte Caxule districtus Imole in fundo Çincarede; item unam petiam unius torn. positam in dicta curte in fundo Castelani. Actum in *claustro* dictorum fratrum *etc.* (L. cit., c. 397).

1414, 6 iulii. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Rodulfi de Forolivio guardiani, in qua congregatione interfuerunt dictus d. guardianus, fr. Nicolaus de Arimino (1) sacre theologie magister, fr. Iohannes de S. Iohanne, fr. Baldus de Tobaldis de Imola, fr. Iohannes de Tredento, fr. Iohannes Salamon de Imola, et fr. Franciscus q. Balducci de Imola, cum plures in dicto conventu fratres non existant; concesserunt mag. Dominico q. Iacobi de Ponte de Imola unum *altare* sive unam *capellam* in dicta ecclesia, constructam inter *capellam* S. Lodovici et *capellam* S. Blasii, consacrandam et ornandam sub vocabullo Sanctorum Omnium, in qua capella liceat dicto mag. Dominico fieri facere unum sepulcrum; promittentes ad dictam capellam missas et alia divina officia celebrare pro anima dicti Dominici. Et hoc quia mag. Dominicus promisit capellam *voltari* facere a latere superiori ac fenestras aptare reparare et manutenere, et ipsam capellam et altare ornare messalibus et palio, omnibus dicti Dominici sumptibus et expensis, et pro dote capelle consignare post mortem conventui tot bona immobillia que sint valoris lib. CL bon. (L. cit., v. I, c. 275v).

1418, 15 februarii. – [*Fr. Antonius de Cassia Min. Glis O. F. M. Ludovico Alidosio pro Romana Ecclesia Imolae Vicario concedit ut fratres Minores, qua ipsius Vicarii capellani in ecclesia B. Mariae Novae divina officia celebrare possint*]. * Magnifice et excellentissime et singularissime domine Ludovice de Alidosiis (2) miles Imolensis, civitatis Imole et eius districtus et comitatus pro sancta Romana Ecclesia et sanctissimo domino nostro domino papa Martino vicarie in temporalibus generalis, frater Anthonius de Cassia sacre theologie magister ordinis Minorum generalis minister et servus, humili et devota recommendatione premissa. Non latet in latebris sed est evidens toti mundo vestra ineffabilis devotio et dilectio spetialis quam

(1) De eo cf. Sbaralea, *Suppl.* 550.

(2) Imolae praefuit ab an. 1391 2 dec. usque ad 2 febr. 1424: deinde dominio expoliatus, Frater Minor factus, in conventu S. Spiritus Ferrariae incerto anno sanctissime obiit: cf. Sbaralea, *Suppl.* 424.

geritis ad eximium confessorem vestrumque devotum beatum Franciscum et ad fratres ipsius ordinis, consequenter ex quibus extollitur ordo Minorum spiritualiter et temporaliter non modicum et plurima incessanter suscipit incrementa. Nuper namque percepi magnificentiam et excellentiam vestram de novo quamdam ecclesiam in honorem homnipotentis Dei sanctorumque omnium et presertim sub vocabulo Beate Marie Nove genitricis Domini nostri Iesu Christi in civitate vestra Imolensi fecisse construi et in ea optare per fratres dicti ord. divina offitia celebrari; et propterea devote et humiliter supplicastis, ut vobis et ipsis velim licentiam impertiri. Attendens igitur vestre devotionis fervorem et cupiens vobis et omnibus ad salutem et placere pariter et prodesse, tenore presencium excelentie vestre concedo, quatenus de fratribus dicti ordinis cuiuscumque conditionis existant in dicta ecclesia sive loco ad manendum et Dei cultum persolvendum recipere possitis, tot quot ibidem pro tempore erunt necessarii, ipsosque et quenlibet ipsorum ad vestra licita et honesta obsequia deputo ac ipsos et quenlibet ipsorum in capellanos excelentie vestre applico et declaro; et nichilominus cum excelentie vestre visum fuerit dictos fratres vel aliquem vel aliquos ex ipsis de dicto loco amovere et alios loco ipsorum substituere et vocare possitis, comictens supradicte excelentie in predictis et circa predicta plenarie vices meas, mandans per obedientiam salutarem omnibus ministris, custodibus, vicariis ceterisque fratribus provintie Bononie, qui pro tempore fuerint, quatenus de fratribus huiusmodi vocandis seu iam vocatis per vestram excelentiam, in nullo quomodolibet se audeant intromittere, nisi quantum devotioni vestre videbitur expedire. Valete feliciter in Christo Iesu, et me et fratres dicti ordinis vestros continuos oratores recommendatos habete. Datum Constantie sub nostri impressione sigilli ministeriatus offitii anno Domini MCCCCXVIII, XI indictione, die XV februarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et d. nostri prefati d. Martini pape V, anno primo. Placet. Visa. (*ASBon., Studio Alidosi*, p. 343. *Exemplum saec. XVI*) (1).

1418, 13 aprilis. — * Fr. Petrus della Noxadella de Bononia sacre theologie magister, fratrum Minorum ord. S. Francisci provincie Bononie minister, considerans conventum fratrum Minorum de Imola esse multis debitis involutum et in ipso conventu non extare vinum pro substentatione vite tam fratrum dicti conventus quam forensium venientium et occurrentium ad civitatem Imole, ut moris est, audiens ad ipsum conventum nuperrime pervenisse quamdam petiam terre aratorie quinque torn. vel circa, positam in territorio Imole in fundo Clamghe seu Brayte Querçole, propter mortem d. Nine uxoris olim Tonii de Munsis de Imola; concessit fr. Bartolomeo de Carpo guardiano dicti conventus et aliis fratribus plenam licentiam et liberam potestatem, ipsam petiam terre vendendi Rigutio q. Benvenuti de Mordano, qui pro dicta petia terre obtullit lib. XLII bon. Actum Imole, in *claustro* fratrum Minorum *etc.* (*ANot.*, A Monte A., v. IV, c. 52v).

1418, 15 et 17 aprilis. — * Convocato capitulo fratrum Min. de Imola de mandato fr. Bartolomei de Carpo guardiani, in qua congre-

(1) Cf. *Archivum Vaticanum*, armar. XXXVI, v. 33, p. 433. Ibi orig. membr. asservatur, ad quod exempli textum passim correxi, sed non integre contuli. In margine superiori praebet: « A. G. »; in verso: « Frater Consabrius ». Sigillum aderat, nunc deperditum.

gatione interfuerunt ipse guardianus, fr. Lodovicus de Florentia lector in dicto conventu, fr. Iohannes de Tridento, fr. Baldus de Tobaldis de Imola, fr. Iohannes Salamon de Imola et fr. Lodovicus de Faventia, cum plures in dicto conventu fratres non existant; obstante maxima caritudine vini vigente in civitate Imole, consuluerunt bonum esse et utille pro dicto conventu procederę ad venditionem predictam (*cf. supra, 1418, 13 apr.*), et pretium solvere in emptione vini. (L. cit., c. 55, 55v).

1418, 18 aprilis. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Bartolomei de Carpo guardiani, in qua congregatione interfuerunt (*ut supra, 1418, 15 apr.*); vendiderunt unam petiam terre aratorie quinque torn. positam in fundo Clanghe sive Brayte Querçole pro pretio XLII lib. bon. (L. cit., c. 57).

1418, 19 aprilis. — Mag. Dominicus q. Iacobi de Ponte de Imola elegit *sepulturam* suam *etc.* Reliquit conventui lib. XII et sol. X bon.; ecclesie unum duplerium; *societati* unum duplerium. Item reliquit *societati* post mortem Bartolomee sue uxoris unam petiam terre quatuor torn. positam in terri. Imole in loco dicto *la via del Corso.*

Actum in *capitulo* fratrum Minorum de Imola, pp. fr. Bartolomeo de Carpo guardiano, fr. Lodovico Berti de Florentia lectore, fr. Baldo de Tobaldis de Imola, fr. Iohanne q. Benvenuti Salamonis de Imola, fr. Iacobo q. Sanctini de Flagnano, fr. Toma q. Pighini de Tavanellis de Bononia, dicti ord. (L. cit., c. 59; *cf. infra* p. 300).

1418, 8 maii. — Convocatis hominibus universitatis et *societatis* B. Virginis de mandato Francischi q. Menghi alias Cambioli de Imola prioris dicte societatis, in qua congregatione interfuerunt dictus Franciscus prior, Vivianus q. Menghi de Pissibus massarius, mag. Dominicus de Ponte, Rigutius de Mordano, Nannes de Piro, Petronius de Faventia, Bertus Bagnarinus, Iohannes Guidonis Gnani, Dominicus Fredi, Çuntinus et Nellus Pauli Capistrarii, Tonius Cichini Binie, Petrus Françoni, Malgaritus de Fulono, fr. Lodovicus Savini, Ginesius morattor, Bartolus fornarius, Iohannes de Çaffis, Masius Andrioli, Paulus Çunte, Petrus de Loca, Francischus Rossettus, Dominicus Cechi de Ponte, Benatus de Bononia, Paulus de Buchis, Tonius Bonfigloli, Simon eius filius, Iohannes Ugolini, Iohannes Benghi, Rolandinus ser Bonaventure, Nannes Montini et ego Antonius notarius infrascriptus, qui fuerunt ultra quam due partes hominum dicte societatis, ordinaverunt Lodovicum q. mag. Petri muratoris de Imola de dicta universitate, licet absentem, eorum sindicum ad consentiendum venditionem unius domus olim vendite per homines dicte *societatis* Iohanni de la Vacha pro pretio lib. LXXXXVIII bon., quod pretium solutum extitit in hedificatione *capituli* fratrum predictorum, positam in civitate Imole, in capella S. Christine iuxta iura dicte societatis *etc.* Actum in *capitulo* dictorum fratrum, pp. fr. Baldo de Tobaldis dicti ord. *etc.* tt. (L. cit., c. 69).

1418, 22 maii. — [*Fr. Antonius de Pereto Min. Glis O. F. M. Ludovico Alidosio Imolae pro Rom. Eccl. Vicario concedit ut s. Theologiae magistrum ex Ordine F. M. capellanum sibi sumat*]. — * Magnifico ac preclaro Lodovico de Alidosiis Imole etc. fr. Antonius de Pereto ord. Minorum generalis minister et servus salutem, pacem in Domino sempiternam, omnium incrementa virtutum. Sancta dilectio et devotionis affectus quos ad nostrum hordinem geritis conperti sunt



et sicut singularia beneficia nostro ordini exhibita manifestant, me et fratres eiusdem ordinis compellunt merito ut cunctis vestris beneplacitis anuamus. Quare magnificentie vestre presentium tenore concedo quod unum fratrem nostri ordinis sacre theologie magistrum cum socio sibi grato possitis assumere, vobiscum tenere et ad quascunque orbis partes pro negociis vestris transmittere, illoque deficiente, unum alium similem subrogare et mittere cuocunque et cuotiescunque vestra insignis prudentia iudicabit; fratribus vero ad quorum loca talis pro vobis vadens pervenerit, ipsum efficaciter recomendo, ut eundem caritative et benigne recipiant atque tractent. Valeat feliciter vestra preclara Dominatio in eternum. Datum Mantue XXII maii, tempore nostri generalis capituli ibidem celebrati, MCCCCXVIII. Visa. (*ASBon., Studio Alidosi,* p. 348 *Exemplum saec. XVI*).

1418, 1 decembris. — [*Fr. Antonius de Pereto Min. Glis O. F. M. Ludovico Alidosio concedit ut in territorio Imolensi domum pro Fratribus Minoribus aedificare possit*]. — * Magnifico ac potenti d. Ludovico de Alidosiis fr. Antonius de Pereto ord. Minorum generalis minister et servus, reverentiam debitam cum honore presentis vite prospera et felicia sempiterna. Devotionis vestre ac sincere dilectionis affectus, quem Deus ex alto prospitiens plurimis uberimis replevit gratiarum (!), ut vestre pie ac sancte intentioni anuere debeam plenarie me provocat et inducit quam prompto animo iubilanteque mente Dominationi vestre presentium tenore concedo quatenus unum locum nostro ordini deputandum sub vocabulis et titulis nostri prefati ordinis ad Dei cultum et reverentiam in vestro territorio facere hedificari possitis, obtenta tamen super hoc a Sede apostolica prius licentia speciali; addens et vobis gratiose concedens ut fratres de ordine nostro de quavis orbis parte ad dictum locum, postquam fuerit constructus, pro voto vestro advocare possitis et ibidem tenere eosdem, ut laudes Deo horasque canonicas diurnas pariter et nocturnas devotius persolvere debeant et missarum solempnia celebrare, ut sic per hoc Altissimus glorificetur et vos ceterique fideles spirituale recipiatis in presenti solamen et sempiternum gaudium in futuro. Que vobis concedere dignetur ille pro cuius amore facere intenditis, qui est omnium bonorum largitor optimus, et nostri patris seraphici Francisci (?), qui pro vestro felici statu vite presentis et glorie in futuro apud eum perpetuus intercessor existat, amen. Datum Mantue, die primo decembris, anno Domini MCCCCXVIII. Visa. (L. cit., p. 451. *Exemplum saec. XVI*).

1419, 13 iulii. — D. Çanna q. Dree de Bonaldunis de Imola uxor olim Menghi q. Pirotti Vayni de Imola reliquit Taviane et Cataline ff. Nicholay q. Christinii Vayni de Imola unam petiam terre vineate II torn. in fundo Laudum iuxta iura *societatis etc.* (*ANot.,* A Monte A., v. IV, c. 164).

1420, 15 ianuarii. — Dominicus q. mag. Antonii de Bagnaria civis et habitans Imole donavit egregio artium et medicine doctori mag. Lodovico q. mag. Pelegrini de Imola unam petiam terre aratorie XII pert. positam in villa Vidigloni. Actum in civitate Imole, in capella S. Egidii, sub *porticu* ecclesie (1) fratrum Minorum. (L. cit., c. 200).

(1) Aliud instrumentum absolutionis sub *1436, 23 novembris* actum est « Imole, sub *porticu* ecclesie fratrum Minorum iuxta *schalas* dicte ecclesie ». (*ANot.,* A Monte L., v. V, c. 55v). « In *claustro* conventus » simpliciter acta

1421, 18 februarii. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Bartolomei de Casaliclo Comitum guardiani dicti conventus, in qua congregatione interfuerunt ipse d. guardianus, fr. Iacobus de Imola, fr. Iohannes Salamon de Imola, fr. Petrus de Varignana, cum plures in dicto conventu fratres non existant, fecerunt ven. viro d. Luce de S. Victoria archipresbitero plebis S. Laurentii de Imola et Lippo de Bagnaria comissariis testamenti fr. Ugolini q. Iacobi de la Serra remissionem de legato facto per dictum fr. Ugolinum lib. xxv bon. solvendarum per Tonium q. Nannis sartoris de Imola, et hoc quia dicti fratres confessi fuerunt habuisse a dicto Tonio dictas lib. xxv. (L. cit., v. V, c. 40v).

1421, 19 februarii. — Tonius q. Nannis sartoris de Imola, Bartolomeus eius filius et Blasia q. Gandulfi de Imola vendiderunt fr. Bartolomeo de Casaliclo Comitum guardiano conventus fratrum Minorum de Imola et fr. Iacobo de Imola dicti ord. petiam unam terre vineate IIII torn. in terri. Imole in fundo Laudum sive Rioli iuxta viam Rioli et viam Selustre pro pretio lib. xxxv bon. (L. cit., c. 41v).

1422, 8 februarii. — D. Clara q. Ugonis de Medicina et uxor olim Tonii Captoli, reliquit fr. Georgio q. Vanni de Roncho Foerb (?) ord. fratrum Minorum pro missis unam culcidram, duo cervicalia et duo linteamina. In suis bonis conventum fratrum Minorum instituit heredem. Actum Imole, in *ecclesia* fratrum Minorum *etc.* (*ANot.,* A Monte L., v. I, c. 61).

1422, 8 martii. — Convocatis hominibus *societatis* Virginis Marie de mandato Nannis q. Cecholi de Piro prioris dicte societatis, in qua congregatione interfuerunt ipse Nannes prior, Bettus de Piro, mag. Dominicus de Ponte, Çuntinus et Nellus q. Pauli de Florentia habitatores Imole, Amaxinus q. Petri Iacobi Maxii, Nannes Francisci Montini, Tonius Binie, Mengus Bertoni, Lectus Bagnamii, Iacobus eius filius, Paulus Çunte, Petrus de Loca, Bartolus fornarius, Tavianus Santi, Andriolus Masii Bilaque, Iacobus Ghicoli, Benedictus Pondi, Franciscus Menghi alias Cambioli, Petrus Cambioli, Simon Tonii Bonfigloli, Iohannes Benghi, Malgaritus de Fulono, Petrus Galuccius, Pirottus Donadini, Dominicus Cechi de Ponte, Iohannes Amaxini, Dominicus Fredi, Paulus de Cursis et Paulus de Buchis, qui fuerunt ultra quam due partes hominum dicte universitatis, amore Dei dederunt Tonio filio Iohannis Finucci de Imola pro dote seu augmento dotis D. Madalene q. Petri olim Bartolomei de Medicina uxoris dicti Tonii petiam unam terre vineate XVIII pert. in terri. Imole in fundo Laudum. Actum in *capitulo* fratrum Minorum. (*ANot.,* A Monte A., v. V, c. 306v).

1423, 11 aprilis. — Convocatis hominibus *societatis* Virginis Marie de mandato prudentis viri Petri q. Cambioli de Imola prioris dicte societatis, in qua congregatione interfuerunt dictus Petrus prior, Beneditus q. mag. Pondi massarius dicte societatis, Iacobus de Toranello, Çuntinus Pauli, Iohannes fornarius, Georgius Azolini, Iob Lodovici, Dominicus Cechi de Ponte, Iacobus Ghicholi, Nannes Montini, Francischus Rossetti, fr. Lodovicus Savini, Iohannes Benghi, Guido de Caxis,

---

sunt extranea instrumenta sub *1435, 6 ian.; 1447, 26 iunii* et *5 nov.* (*ANot.,* A Monte L., IV, c. 260; v. VIII, c. 18, 60); aliudque item sub *1447, 5 nov.* « extra ecclesiam fratrum Min. apud dictam ecclesiam ». (L. cit., c. 59).



Tonius Cichini Binie, Malgaritus de Fulono, Bartolus fornarius, Mengus Viani, Bernardus Leonardi, Tavianus Sancti, Petrus Galucius, Iohannes Azolini, Petrus de Locha, Petrus Bagnarinus, Masius Andrioli, Benatus de Bononia et Paulus de Buchis, qui fuerunt ultra quam due partes hominum dicte societatis, scientes Nellum q. Pauli de Florentia habitatorem Imole ut sindicum dicte universitatis recepisse a Gratiano Dree de Imola et successive solvisse in utilitatem dicte societatis et pro hedifitio *capituli* fratrum predictorum Forlovesio de Mezamicis pro lapidibus emptis x^{m} et pro L corb. calcis pro dicto hedifitio lib. XLIII bon.; item pro conducendo dictos lapides et calcem lib. II, sol. III bon.; item solvisse Micaeli de Brocardi pro cereis sol. XII et den. IIII; residuum vero quod est lib. VIIII, sol. XVI dedit dicto Benedicto massario, prout patet in libro dicte societatis; fecerunt dicto Nello liberationem de ulterius non petendo. Et successive scientes Nannem q. Cecholi de Piro pro utilitate dicte societatis vendidisse Menerio q. Iohannis de Loxeto domum hereditatis olim Benedicti Nanni Solatii et recepisse lib. XXVI, sol. XIIII et den. IIII, et etiam recepisse a Francisco Cambioli lib. XIIII bon. et solvisse Benedito predicto massario lib. XXIIII bon., et d. episcopo Imolensi lib. XVI, sol. XIII et den. VIII bon. ex causa conventionis inite per homines societatis cum d. episcopo; confessi fuerunt predicta omnia esse vera et absolverunt dictum Nannem *etc.* Actum Imole, in *capitulo* dictorum fratrum. (L. cit., v. VI, c. 95v).

1423, 14 maii. — Albertus et Luxia adulti fratres et ff. Francisci q. Bernardi de Carvassallis de Imola fecerunt Petro q. Cambioli de Imola priori *societatis* absolutionem de debito lib. XXXIII, sol. VI, den. VIII pro duabus partibus debiti lib. LII eisdem Alberto et Luxie debitarum in bonis hereditatis Benediti q. Nanni Solacii vigore compositionis facte inter homines dicte societatis ex una parte et d. Bartolomeam uxorem olim Lodovici Solacii ex altera. (L. cit., c. 128v).

1424, 13 septembris. — Iacobus q. ser Arardoli de Carvassallis de Imola elegit *sepulturam etc.* Reliquit unum duplerium.

Actum in capella S. Christine in domo dicti Iacobi, pp. fr. Iacobo q. Pauli de Barlecio, fr. Andrea q. Pauli de Mignano ord. Min., fr. Lodovico q. Savini de Linario *etc.* (L. cit., c. 311).

1425, 11 martii. — Fr. Iacobus de Bononia guardianus conventus fratrum Minorum de Imola nomine et vice dicti conventus locavit ad laborandum ad medietatem fructuum percipiendorum Iohanni q. Chetoli de Bononia habitatori civitatis Imole petiam unam terre vineate quatuor torn. positam in terri. Imole in fundo Rioli. Et hoc quia dictus conductor promixit dicto locatori dictam vineam debitis temporibus putare, arumpere et remenare et uvas colligere omnibus ipsius conductoris sumptibus et expensis et dimidiam uvarum eidem locatori vel suis successoribus consignare super area dicte vinee; et in subsidium laborandi fuit contentus dictus conductor se ex causa mutui habuisse et recepisse a dicto locatori lib. V bon. et unum corbem vini puri, quas quantitates vini et pecunie promixit dictus debitor dicto d. guardiano restituere in fine dicte locationis. Actum in *capitulo* dictorum fratrum *etc.* (L. cit., v. VII, c. 55v).

1426, 26 martii. — Mag. Dominicus q. Iacobi de Ponte de Imola ellegit *sepulturam* suam *etc.* Reliquit pro mille missis dicendis lib. XII et sol. X bon. Item unum duplerium. *Societati* duo dupleria. Reliquit d.

Bartolomee eius uxori uxumfructum unius petie terre aratorie quinque torn. posite in terri. Imole in loco dicto *la via del Corso,* et post mortem dicte Bartolomee voluit totam dictam petiam terre pervenire ad *societatem*. Reliquit conventui et ecclesie pro dote *capelle* construende in dicta ecclesia sub vocabullo Omnium Sanctorum id quod eisdem fratribus promixit, prout patet publico instrumento rogato manu mei Antonii (*cf. 1414, 6 iulii*). *Comissarios* ellegit d. Bartolomeam eius uxorem et priorem *societatis.* (L. cit., c. 216v; *cf. 1418, 19 apr.*).

1426, 13 decembris. — Honestina q. ser Iacobi de Cortesiis de Cutignola et uxor olim egregii legum doctoris d. Petri de Mezominis de Imola *sepulturam* suam elegit *etc.,* in archa ubi fuit sepultus dictus d. Petrus. Reliquit unum duplerium. *Societati* lib. quatuordecim bon. *Comissarios* elegit priorem *societatis etc.*

Actum in domibus ecclesie fratrum Minorum de Imola, pp. fr. Paolo Lelli d. Pauli de Pantaleis de Roma dicti ord., fr. Paulo q. Lamberti de Guastatoribus de Imola et fr. Martino d. Tristani de Alamania dicti ord. (*ANot.,* P. Marconi, v. II, c. 190).

1427, 11 martii. — Cum mag. Iohannes q. Magni de Imola ut tutor Ysabette, Iohanne et Dorotee sororum, ff. et heredum mag. Georgii de Caputiis de Imola, vendiderit fr. Paulo de Guastatoribus de Imola guardiano fratrum Minorum de Imola et Nanni q. Cecholi de Piro de Imola priori *societatis* comissario testamenti mag. Dominici q. Iacobi de Ponte de Imola recipienti nomine dicte ecclesie vigore legati facti per dictum mag. Dominicum ecclesie predicte, unam petiam terre aratorie octo torn. positam in terri. Imole in fundo Poglani pro pretio lib. XXIII bon. pro qualibet torn.; propterea dictus guardianus et Nannes tradiderunt dicto mag. Iohanni lib. C in florenis boni auri et iusti ponderis, videlicet de bonis hereditatis dicti mag. Dominici lib. LXXXII et lib. XVIII bon. ex elemoxinis factis dicto conventui; et promixit mag. Iohannes facere d. guardiano et eius conventui instrumentum, facta integra solutione dicti pretii. (*ANot.,* A Monte A., v. VIII, c. 71). — [*Integra solutio facta est die 6 iunii 1427.* (L. cit., c. 113v)].

1427, 11 iulii. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Pauli de Guastatoribus guardiani, in qua congregatione interfuerunt dictus d. guardianus, fr. Iacobus Petri de Imola et fr. Antonius de Florentia, cum plures in dicto conventu fratres residentiam facientes non existant, fecerunt d. Bartolomee q. Maxuccii de Blancanigho uxoris olim Dominici q. Iacobi de Ponte de Imola absolutionem ab obligationibus factis per ipsum mag. Dominicum pro dote capelle Omnium Sanctorum (*cf. 1414, 6 iulii*). (A Monte A., v. VIII, c. 129v).

1428, 28 ianuarii. — * Nobilis vir Bertonus f. q. Simonis de Cavina habitator civitatis Imole reliquit ecclesie fratrum Minorum de Imola pro reparatione *parietum orti* dicti conventus lib. V bon. Actum Imole, in capella S. Donati, pp. fr. Iacobo de Imola guardiano fratrum Minorum de Imola *etc.* (L. cit., c. 175).

1428, 3 iunii. — * Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de licentia et consensu fr. Nicolai de Cremona, sacre theologie professoris, ministri fratrum Minorum in tota provintia Bononie, nec non de mandato fr. Iacobi de Imola guardiani conventus dictorum fratrum, in qua congregatione interfuerunt d. rev. pater minister, dictus



d. guardianus, fr. Nicolaus Teotonicus de Parma lector, fr. Marianus de Civitate Castelli et fr. Lodovicus de Arimino, cum plures in dicto conventu fratres non existant; coram eis comparuit fr. Iohannes de la Ganga de Faventia prior conventus fratrum Predicatorum de Imola dicens quod Carvasallus q. Dominici de Carvasallis de Imola de anno Domini MCCCXVIII, die XI mensis augusti reliquit sacristie conventus fratrum Predicatorum de Imola unam petiam terre laboratorie XV torn. positam in territorio Imole in fundo Lecharoli iuxta d. Coradum de Gigiis, rivum Sanguinarium et viam publicam; et quod dicta petia terre non possit per dictos fratres vendi, et si vellent vendere, eos dicto legato privavit et voluit pervenire ad conventum fratrum Minorum de Imola. Et quod ecclesia fratrum Predicatorum est in pericullo ruynandi, et quod ipsi fratres dictam petiam terre deliberaverunt vendere pro reparatione dicte sue ecclesie ad evitationem ruyne. Et quia ad venditionem procedere non possunt sine licentia dictorum fratrum Minorum, humiliter supplicaverunt dicto rev. patri et fratribus dicti conventus fratrum Minorum ut de venditione fienda assentiant et sibi licentiam concedant. Qui, nemine discrepante, dederunt et concesserunt dicto d. priori fratrum Predicatorum plenam licentiam *etc.* (L. cit., c. 234v).

1428, 7 augusti. — * Cum egregius legum doctor d. Petrus q. mag. Iacobi de Mezominis de Imola de anno D. MCCCCVI, de mense iulii locavit ad affictum Iohanni q. Dominici de Zubettis de Imola unam petiam terre aratorie septem torn. super qua fuerat una fornax cum domibus, area, puteo positam in terri. Imole in fundo Flumixelli sive Cunii; cumque dictus d. Petrus de anno D. MCCCCXIII, die ultima mensis decembris suum ultimum condiderit testamentum, in quo d. Honestinam eius uxorem, f. ser Iacobi de Cortexiis de Codognola, sibi heredem universalem instituit, post vero mortem ipsius d. Honestine voluit certa bona et maxime dictam petiam terre *etc.* pervenire ad *altare* S. Marie de la Nive, constructum in ecclesia fratrum Minorum de Imola, in *trima inferiori,* pro dote dicte capelle; cumque dictam fornacem et petiam terre ipsa d. Honestina ex causa donationis dederit Nanni q. Cecholi de Piro de Imola tunc priori *societatis* et hominibus ipsius, prout patet publico instrumento manu ser Pauli de Marconibus de Imola (*cf. 1426, 13 dec.*); post quam cessionem dictus ser Paulus ut sindicus ipsius universitatis ceperit agere contra dictum Iohannem ad recuperationem dicte petie terre et dicta questio reducta fuerit ad concordiam, cuius vigore dictus Nannes promixit dare dicto Iohanni lib. centumquinquaginta bon. ac etiam pro expensis litis lib. sexaginta bon.; et habitis considerationibus per infrascriptos fratres quod quecumque dictus Nannes olim prior predictus et homines *societatis* fecerunt ob utilitatem conventus et ecclesie predicte et quia etiam omnibus necessitatibus dicti conventus et maxime in reparatione ecclesie predicte et domorum eiusdem ecclesie subvenerunt et subvenire soliti sunt. Eapropter convocato, capitulo fratrum Minorum predictorum de licentia fr. Iohannis de Faventia (1) ministri provintialis provincie Bo-

(1) Corrigenda apud Picconi, *Serie,* p. 102 ss. series Ministrorum Provinciae Bononiae. Ibi enim fr. Nicolao de Cremona successisse dicitur, et quidem hoc anno 1428 « in capitulo Bertinorii », fr. Hieronymus a Capistris de Faventia; qui revera huic fr. Ioanni Faventino tantum suffectus dicendus est, cum ille a Martino V Ecclesiae Faventinae est praefectus die 5 nov. eiusdem anni; cf. *Bull. Franc.* VII, p. 713; Eubel, *Hierarch.* I, 256.

nonie ord. predictorum fratrum Minorum et de mandato fr. Christofori de Paganis de Bagnacavallo guardiani dicti conventus Imolensis, in *capitulo* dictorum fratrum, in qua congregatione interfuerunt dictus rev. pater d. minister, d. fr. Filippus de Bagnacavallo custos custodie Ravenne fratrum predictorum, dictus d. guardianus, fr. Iacobus de Imola socius d. ministri antedicti, fr. Iohannes de la Porta de Placentia lector in dicto conventu, fr. Iacobus de Abello guardianus conventus Montis Regis fratrum predictorum et fr. Gerardus de Faventia dicti conventus Imolensis, cum plures in dicto conventu fratres non existant, totum capitulum dictorum fratrum reprehesentant, asserentes et confitentes pro parte hominum *societatis* fuisse exhibitam quandam suplicationem in capitulo provintiali dictorum fratrum celebrato Bretenorii pro parte dictorum hominum, dictam petiam terre *etc.* concedendas esse hominibus *societatis,* et in dicto capitulo fuisse obtentum et firmatum de ipsis fiendum esse iuxta voluntatem rev. patris ministri; dictus pater minister et dicti fratres asseruerunt omnia predicta vera esse, et ob utillitatem ecclesie et comodum fratrum dictas petiam terre *etc.* demiserunt Iacobo q. Gilii de Pilipariis de Imola priori *societatis,* ut ante omnia homines dicte universitatis ex dictis petia terre *etc.* detrahant et percipiant de fructibus expensas per dictum Nannem factas. (L. cit., c. 255).

1429, 13 februarii. — Convocatis hominibus *societatis* de mandato providi viri Simonis q. Tonii Bonfigloli de Imola prioris hominum dicte societatis, in qua congregatione interfuerunt dictus d. prior, fr. Andreas q. Dominici Ghelli de Imola massarius, Nannes de Piro, Petrus Cambioli, Iacobus Gilii, Petronius Francischini, Iacobus de Toranello, Iob et Iohannes Rigo q. Raguccii, Nannes Francisci Montini, Tomas Ugolini Vedri, Georgius et Iohannes Cechi Azolini, Iacobus Ghicholi, Iacobus Berti Bagnarini, Matheus Novoli, Iohannes de Piro, Petrus de Locha, Dreas Albertatii, Bartolus fornarius, Iohannes Arvaxini, Peracinus Iacobi de Sassuni, Dominicus Sancti de Pidiano, Dominicus Machirelli, Tavianus Sancti, Ugolinus de Bagnaria, Mengus Bertoni, Bertus Bagnarini, Chele mastellarius, Guido de Caxis, Tonius Cichini Binie, Franciscus Ghini, Çuntinus et Nellus Capistrarii, Iohannes Guidignani, Nicolaus molendinarius, Tonius de Mongardino, Paulus de Cursiis, Petrus Françoni, Franciscus Maccii et Iacobus Maxii Brancaleonis et ego Antonius infrascriptus, qui fuerunt ultra quam due partes hominum dicte societatis, pro evidenti utillitate et necessitate dicte societatis pro solvendis expensis litis et cause hactenus verse inter homines societatis ex una parte et Iohannem de Zubittis ex altera, vendiderunt Matheo q. Maxii de Ubertalibus de S. Prospero districtus Imole petiam unam terre aratorie XVIII pert. in terri. Imole in fundo Caxalini pro pretio lib. X bon. *etc.* Actum in *capitulo* fratrum Minorum de Imola, ubi congregationes hominum predictorum fieri solent *etc.* (L. cit., c. 294).

1430, 31 ianuarii. — Fr. Bartolomeus de Caxlichio Comitum guardianus fratrum Minorum de Imola locavit ad affictum Christoforo q. Iohannis Tabayni de Imola unam petiam terre vineate quatuor torn. positam in terri. Imole in fundo Laudum sive Rioli pro termino sex annorum; et hoc quia dictus conductor promixit dictam vignam putare *etc.* et singulis annis ponere in ipsa petia terre quatuor operas propaginarum ad minus et fossatu (*sic*) reparare, et pro affictu dare singulis annis in festo S. Cassiani lib. tres bon. (L. cit., v. IX, c. 26v).



1430, 17 martii. — D. Miglore q. Iohannis Alberti de la Scarparia, uxor olim Petri de Florenzola habitans Imole, solvit Beltrando q. Filippi Pighini de Imola xxv florenos et ducatos boni auri valoris ad monetam lib. LII et sol. XV bon. ex causa mercandi in arte spetiarie *etc.* Actum Imole in capella S. Egidii in statione Iohannis q. Ugolini de Imola, pp. fr. Bartolomeo de Caxaliclo guardiano fratrum Minorum de Imola *etc.* tt. (L. cit., c. 52).

1430, 13 augusti. — Convocatis hominibus *societatis* de mandato Iohannis q. Ugolini de Oradinis de Imola prioris dicte societatis in capitulo dictorum fratrum, in qua congregatione interfuerunt ultra quam due partes dicte societatis, videlicet Iohannes Ugolini predictus prior, Iacobus Gilii massarius, Simon Bonfigloli, Iohannes Azolini, Nannes de Piro, fr. Andreas Ghelli, fr. Iohannes de la Cruce, Micael ser Paulini, Petrus Cambioli, Iacobus de Toranello, Paulus de Cursiis, Franciscus Çambaya, Petrus de Locha, fr. Petrus Galuccius, Dominicus Machirellus, Petrus de Sassuni, Andreas Albertacci, Iohannes fornarius, Iohannes mag. Benghi, Iohannes Arvaxini, Lodovicus de Meçamicis, Bertonus ser Pagnini, Dominicus Santi de Pidiano, Tonius de Mongardino, Bartolus fornarius, Francischus de Faffis, Bertus Bagnarinus, Çuntinus et Nellus Capistrarii, Tonius Binie, Chele mastellarius et Franciscus Maccii; scientes quod mag. Dominicus q. Iacobi de Ponte de Imola reliquit d. Bartolomeam eius uxorem usufructuariam unius petie terre (cf. *1426, 26 martii*), vendiderunt dicte d. Bartolomee suprascriptam petiam terre pro pretio lib. septuaginta bon. (L. cit., c. 88).

1431, 14 ianuarii. — Congregatis hominibus *societatis* de mandato mag. Nannis q. Francisci Montini prioris et Benedicti mag. Pondi Leonardi massarii dicte societatis, in qua congregatione interfuerunt dicti prior et massarius, fr. Andreas q. Dominici Ghelli, fr. Iohannes q. mag. Petri de la Cruce, ser Antonius fr. Francisci, Tavianus Sancti, Nannes q. Cecholi de Piro, Simon q. mag. Antonii Bonfigloli, Michael q. ser Iacobi ser Polini, Petrus de Locha, Bertus Bagnarini, Ugolinus de Bagnaria, Bertonus ser Pagnini, Alexander Iohannis Carantis, Iohannes q. Petri Arvasini, Dominicus q. Iacobi alias Machirelli, Dominicus Menghini, Iohannes Ugolini, Iacobus Gilii, Petronius Francischini, Petrus Cambioli et Iob q. mag. Rigucii de Mordano, qui fuerunt ultra quam due partes hominum dicte societatis, vendiderunt Filippo q. Cichini de Macincollo et Gracie q. Tonii de dicto loco unam domum in capella S. Christine pro precio lib. LX bon. Actum in *capitulo* conventus fratrum Minorum, ubi congregantur homines de dicta societate *etc.* (*ANot.*, A Monte L., v. III, c. 142).

1431, 8 aprilis. — Convocatis hominibus *societatis* de mandato honesti viri Nannis q. Francisci Montini de Imola prioris in loco infrascripto et voce nuntii prout ipsorum moris est congregari secunda dominica cuiuslibet mensis, in qua congregatione interfuerunt dictus Nannes prior, Benedictus mag. Pondi massarius, mag. Antonius de Forolivio, Micael ser Paulini, fr. Andreas Ghelli, fr. Iohannes de la Cruce, Iohannes Ugolini, Petrus Cambioli, Nannes de Piro, Iacobus Cilii, Petronius Francischini, Iacobus de Toranello, Francischus Rossetti, Petrus de Locha, Tonius Binie, Bartolus fornarius, Çuntinus et Nellus Capistrarii, Simon Bonfigloli, Tavianus Sancti, Dominicus Machirellus, Francischus Maccii, Bartolomeus Benuccii, Tonius Feretti, Bertus Ba-

gnarinus, Chele mastellarius, Lucas Ghiandarini, Franciscus Çambagla, Paulus de Cursiis, Mateus de Zubittis, Alexander de Bagnaria, fr. Petrus Galuccius, Iacobus Menghini, Tonius de Mongardino, Peracinus Lavorentis et ego Antonius notarius, qui fuerunt ultra quam due partes hominum dicte societatis, vendiderunt Christoforo q. Iohannini de Zulinçaga civi et habitanti Imole unam domum positam in capella S. Iacobi pro pretio lib. xxxv bon. (*ANot.*, A Monte A., v. IX, c. 116v).

1431, 10 aprilis. — Fr. Iohannes de Pauluciis de Imola abbas monasterii Ss. Donati et Pauli de Imola fecit mag. Benedicto q. mag. Pondi Leonardi de Imola vice et nomine universitatis et hominum *societatis* absolutionem a censu debito dicto d. abbati pro uno brevi banche sive pro una bancha e becharia existente in becharia communis Imole conducto per homines dicte universitatis in emphiteosim a dicto monasterio pro tempore tregintatrium annorum proxime preteritorum; et hoc fecit pro den. tregintatribus bon. quos fuit confessus recepisse dicta de causa a dicto mag. Benedicto. (*ANot.*, A Monte L., v. III, c. 165v).

1432, 31 martii. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Lodovici de Veruclo guardiani dicti conventus, in qua congregatione interfuerunt ipse d. guardianus, fr. Franciscus de Arimino sacre theologie professor, fr. Iohannes de Veruclo, fr. Georgius de Imola, fr. Nicolaus de Parma, fr. Raynaldus de Arimino et fr. Iohannes de Alamania, qui fuerunt ultra quam due partes fratrum dicti conventus, fecerunt Bartolomeo q. Tonii Asenarii olim de Bononia civi et habitanti Imole pro se et vice et nomine Iohannis et Iacobi eius fratrum absolutionem de medietate cuiusdam legati facti dicte ecclesie de lib. xxv bon. per Iohannem q. Gimignani de Imola. (*ANot.*, A Monte A., v. IX, c. 366v).

1432, 10 aprilis. — D. Çanna q. Iacobi de Mezominis de Imola uxor Çohanelli q. Villani de Imola ex causa donationis dedit fr. Lodovicho de Veruclo guardiano conventus fratrum Minorum de Imola triginta torn. terre de quadam petia terre aratorie centum torn., posite in terri. Imole in fundo Cavriane, relicte per egregium legis doctorem d. Petrum de Mezominis de Imola dicte d. Çanne. Actum in *capitulo* dictorum fratrum *etc.* (L. cit., c. 371v).

1432, 10 aprilis. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola (*ut supra, 31 mart.*); scientes egregium legum doctorem d. Petrum de Mezominis de Imola reliquisse d. Çanne (*quae supra*) unam domunculam in capella S. Christine, unam petiam terre vigre XIIII torn. in curte Selustre iuxta iura d. Lodovici de Alidoxiis, treginta torn. terre renatii centum torn. in terri. Imole in loco dicto *la Cavriana*, unam petiam terre salde II torn. in terri. Imole in fundo Vigorosolli; ac scientes donationem factam per suprascriptam d. Çannam conventui de dictis XXX torn. terre, ac quod propter paupertatem ipsi Çohanellus et Çanna vendiderunt dictam petiam XIIII torn. et dictam petiam duarum torn. contra voluntatem testatoris, compatientes, ipsam venditionem ratificaverunt; et quia heredes Petri Forlovexii vigore cuiusdam titulli sibi concessi per d. Honestinam uxorem olim dicti d. Petri ac usufructuariam bonorum dicti d. Petri, teneant et possideant totam dictam petiam C torn. et ad ipsarum XXX torn. acquisitionem necesse est ipsos litigare cum dictis heredibus, facta ipsarum XXX torn. acquisitione, promiserunt restituere d. Çanne sex torn. ex dictis XXX torn. terre *etc.* (L. cit., c. 372).



1432, 10 aprilis. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola (*ut supra, 31 mart.*); cum fratres ipsi quamplures fecerunt expensas maxime pro laborerio *dormitorii* noviter selegati et in quo ab una parte repleverunt *cellis,* pro solvendis expensis vendiderunt Nanni q. Cecholi de Piro de Imola ementi, vice et nomine Sancti Vestri et Coredorii fratrum et ff. q. Petri Sanctelli de Linario, unam domuncullam in capella S. Christine pro pretio lib. XVI bon. (L. cit., c. 373).

1432, 10 aprilis. — * Cum fratres infrascripti pro reparatione dormitorii et maxime pro seligando dictum dormitorium et dividendo cellas et ipsas cellas cohoperiendas multa fecerint expensas et pro ipsis expensis multa contraxerint debita tam pro lapidibus et calce quam pro magistris, manoalibus, feramento et gisso, et cum ipsis creditoribus ipsi fratres satisfacere non potuerunt nixi alienent de bonis dicti conventus; convocati (*ut supra*) vendiderunt Nanni q. Cecholi de Piro de Imola petiam unam terre prathive et aratorie quatuor torn. in terri. Imole in loco dicto *le Dellatte* pro pretio lib. XII bon. (L. cit., c. 374).

1432, 29 aprilis. — D. Iacobus Filippi q. ser Berti de la Vulpe de Imola canonicus ecclesie S. Cassiani, sindicus dicte ecclesie, fecit Ghismondo q. Antonii de Sellis tanquam priori *societatis* absolutionem a quodam legato facto per d. ** uxorem olim Tonii Grutignani de Imola lib. decem bon. in subsidium hedificandi novum campanile ad dictam ecclesiam. (*ANot.,* A Monte L., v. IV, c. 39).

1432, 29 aprilis. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato ven. viri fr. Lodovici de Veruclo guardiani dicti conventus, in qua congregatione interfuerunt ipse d. guardianus, fr. Franciscus de Arimino (1) s. theologie magister, fr. Georgius de Imola, fr. Iohannes de Veruclo, fr. Nicolaus de Parma, fr. Guilielmus de Arimino, cum plures in dicto conventu fratres non existant, considerantes quantas expensas ipse d. guardianus passus est pro refectione *dormitorii* dictorum fratrum et debita contracta ex dicta causa, pro satisfactione ipsorum vendiderunt Nanni q. Cecholi de Piro de Imola unam petiam terre arative XVIII torn. positam in terri. Imole in fundo Centi; item unam petiam terre arative in fundo Roncaglis pro pretio lib. XXXVIII bon. (*ANot.,* A Monte A., v. IX, c. 383).

1432, 29 aprilis. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola (*ut supra*); vendiderunt Nanni q. Cecholi de Piro de Imola ibidem presenti vice et nomine Gimignani q. Berti de Linario domum unam in in capella S. Christine pro pretio XL lib. bon. (L. cit., c. 384).

1432, 19 iunii. — Convocatis fratribus conventus S. Francisci de Imola de mandato fr. Lodovici q. Iohannis de Arimino guardiani, in qua congregatione interfuerunt ipse d. guardianus, fr. Iacobus q. Petri de Imola inquisitor provintie Romandiole, fr. Georgius de Imola, fr. Nicolaus de Parma, fr. Iohannes q. alterius Iohannis de Arimino et fr. Christoforus q. Rigonis de Alamania, cum plures fratres in dicto conventu non existant, vendiderunt Gismondo q. mag. Antonii de Sellis de Imola unam sepulturam sive arcam ad sepelliendum corpora positam in *claustro* dicti conventus in quodam angulo iuxta *sacristiam* et murum *ecclesie inferioris* pro precio lib. sex bon. (*ANot.,* A Monte L., v. IV, c. 59).

(1) De eo cf. AFH II, 164s.; infra, *1432, 29 apr.; 1435, 17 sept.*

1432, 19 iunii. — Convocatis fratribus conventus S. Francisci (*ut supra*), vendiderunt Gismondo q. mag. Antonii de Sellis de Imola vice et nomine monasterii S. Stefani de Imola unam domum positam in burgo porte Alonis civitatis Imole iuxta stratam Regalem, foveam burghi a latere posteriori, pro precio sexaginta bon., quod precium fuerunt contenti esse conversum in utilitatem predicti eorum conventus, videlicet in emendo unam possessionem seu petiam terre laboratorie positam in terri. Imole in loco vocato Poglano. (L. cit., c. 59v).

1432, 1 decembris. — Petrus q. Iacobi de Sassuni habitator et civis civitatis Imole *sepulturam* suam ellegit *etc.* Reliquit unum duplerium. Item *societati. Comissarium* ellegit fr. Guidonem de Imola ord. Minorum. In omnibus suis bonis d. Margaritam eius uxorem heredem universalem instituit; post vero mortem dicte Margarite substituit eidem Ghirardum q. Iacobi fratrem dicte testatricis et fr. Franciscum ord. Minorum f. dicti Ghirardi, toto tempore eorum vite; quibus mortuis voluit omnia bona sua destribui amore Dei per dictum commissarium si supervixerit; si autem non vixerit, per priorem et massarium *societatis* hoc modo, videlicet quod detur et consignetur pro dote et perpetua firmitate *capelle* constructe in ecclesia fratrum Minorum de subtus sub vocabulo S. Marie de Nive una petia terre vineate trium torn. et una petia terre laboratorie sex torn. posite in terri. Imole in fundo seu loco vocato *el Trebbo Caxolese.* (L. cit., c. 106v).

1434, 10 februarii. — D. Iuliana q. Petri de Guastatoribus de Imola *sepulturam* suam ellegit *etc.* Reliquit unum duplerium. Item monialibus S. Stefani de Imola. Item monialibus predictis lib. xx bon., quas eisdem mutuavit iam pluribus elapsis annis. *Commissarios* ellegit fr. Paulum de Guastatoribus ord. Minorum *etc.* In omnibus aliis suis bonis dictum fr. Paulum heredem universalem instituit. (L. cit., c. 228v).

1434, 13 februarii. — Mag. Nannes q. Cecholi de Piro de Imola recepit a d. Costancia q. Bartolomei de Sarzana uxore q. ser Doxii de Capuciis de Imola lib. centum bon. in ducatis venetis boni auri reductis ad monetam, ad mercandum in arte frabarie *etc.* Actum Imole in *capitulo* conventus fratrum Minorum, pp. sacre theologie mag. Martino q. Ugolini de Bononia, fr. Iohanne de Placencia guardiano dicti conventus et fr. Iohanne q. Iacobi de Vicencia habitatore Imole in dicto conventu tt. (L. cit., c. 229).

1435, 8 martii. — Cicholinus q. Turle de Linario testamentum facere procuravit. Actum Imole in conventu fratrum Minorum, pp. fr. Paulo de Guastatoribus de Imola guardiano, fr. Iohanne de Urbino lectore, fr. Andrea q. Dominici Ghelli de Imola tt. (L. cit., c. 27v).

1435, 1 iunii. — [*Ex petitione fr. Joannis q. fr. Petri de la Cruce de Imola facta coram arbitris in quadam causa*]. MºCCCCXI a di XXIII de novembre, sepeli madonna Ysotta, donna che fo de maestro Berto da Ghiandolino madre de Margarida. Queste sonno le spexe le quale ho pagade per la ditta: Pagai per la campana e per la sacrestia de' frati Minuri e per la parochia de San Cassano sol. IIII, den. VIII: confessi. Pagai per fare dire l'oficio a li frati Minuri a dì XXVIII de novembre; fo al tempo de fra Barnabe: lib. una: confessi. Pagai a Galuzo per la fossa da soterare la ditta, sol. V: confessi. Pagai a Zangio de Pierogatto per uno paro de guanti sol. II: confessi. Pagai Aldrovando per otto braza de panno verde scuro che i lassò la madre a bocha, a sol. XXX, den. VI el brazo, lib. XIIII, sol. VIII: negavit se te-

neri. Pagai a Forlovexe de Cola per lo panno da vestire el corpo de la ditta madonna Ysotta lib. II, sol. XV: confessi. Pagai a Benedetto de Guidotti per la cira lib. I, sol. XII: confessi. Pagai a fra Zuhanni inglese per le messe de San Gregorio per l'anima de la ditta lib. I, sol. X: confessi *etc.* (L. cit., c. 289).

1435, 17 septembris. — D. Benvenuta q. ser Iohannis Cassani de Imola uxor Francisci q. Maccii de Mazolano habitans Imole ellegit *sepulturam* suam apud *etc.* Reliquit duo dupleria. Reliquit Francisco eius marito uxum et habitationem unius domus in capella S. Donati; post mortem dicti Francisci voluit quod dicta domus vendatur et pretium ipsius solvatur in reparatione et hedificatione ecclesie dictorum fratrum. *Comissarios* ellegit priorem *societatis etc.*

Actum Imole in capella S. Donati, pp. fr. Francisco de Arimino sacre theologie professore ord. fratrum Minorum, fr. Lodovico de Veruclo ord. predicti *etc.* tt. (*ANot.,* A Monte A., v. X, c. 181).

1435, 14 novembris. — Convocatis fratribus ordinis S. Francisci de Imola de mandato fr. Pauli de Guastatoribus guardiani dicti conventus, in qua congregatione interfuerunt ipse fr. Paulus, fr. Guido de Imola, fr. Servadio de Lugo et fr. Barnabe f. Iohannis de Argenta, cum plures fratres non existant, fecerunt Iacobo q. Gilii de Piliparíis de Imola heredi pro medietate d. Vighilie de Delicatis vice et nomine Baldasarris alias Tartagla q. ** heredis pro alia medietate dicte Vighilie absolutionem a quodam legato facto dictis fratribus unius cotte, panni qui erat ad uxum dicte d. Vighilie pro faciendo unum palium ad *altare* S. Lodovici, duarum tovalearum et unius duplerii, in eius ultimo testamento. (*ANot.,* A Monte L., v. IV, c. 320v).

1435, 20 novembris. — Fr. Paulus q. Lamberti de Guastatoribus de Imola suo proprio et principali nomine et tamquam procurator Dominici de Guastatoribus predictis, ut constare dixit publico instrumento manu publici notarii, vendidit Matheo q. Tonii olim Salamonis de Aleys de Caxula districtus Imole ibidem presenti pro se et vice et nomine Iacobi et Francisci suorum fratrum et Salamonis eius neptis f. q. Nicolai olim dicti Tonii unam petiam terre aratorie quinque torn. positam in curte Caxule in fundo Viegrandis pro pretio lib. XXV bon.

Actum Imole in capella S. Egidii in conventu fratrum Minorum, in *camera* dicti fr. Pauli *etc.* (*ANot.,* A Monte A., v. X, c. 283).

1436, 27 augusti. — D. Constancia q. ser Antonii de Primartinis de Imola et uxor Marchi q. ser Bonifacii de Pidianis de Imola reliquit pro missis S. Gregorii dicendis per lectorem fratrum Minorum de Imola, qui pro tempore fuerit, sol. XXX bon.; fr. Matheo de Florencia lectori ad presens in dicto conventu unam cappam ad uxum ipsius, precii II ducatorum. Reliquit unum duplerium. (*ANot.,* A Monte L., v. V, c. 44v).

1436, 26 novembris. — Mag. Benedictus q. mag. Pondi de Leonardi de Imola massarius *societatis,* mag. Nannes q. Cecholi de Piro, Iohannes Ugolini speciarius, fr. Petrus q. Guidonis de Imola alias Galuco, Ghismondus q. mag. Antonii de Sellis, Mengus q. Sorani de Pissibus, Iacobus q. Berti Bagnarini, Antonius q. Feretti, Bartolomeus q. Benedicti Francucci, omnes homines dicte societatis, constituti coram ven. viro d. Iacobo q. Ghimondi de Imola decretorum doctore preposito ecclesie S. Cassiani nec non rev. d. d. Petri de Hondedeis de Pensauro decretorum doctoris episcopi Imolensis pro tribunali sedentis, locaverunt mag. Ambroxio q. Petri de Mediolano habitanti Imole fornacem

dicte societatis positam in terri. Imole in fundo seu loco vocato le Fornaxe pro tempore viginti annorum; quia dictus conductor promixit dictam fornacem ruynatam et penitus devastatam et inutilem bene aptare et pro affictu solvere singulo anno lib. x bon. Actum in capella S. Donati in episcopali palatio *etc.* (L. cit., c. 99).

1437, 26 iulii. — Iacobus q. Berti Bagnarini de Imola ellegit *sepulturam* suam *etc.* Reliquit unum duplerium. Actum Imole in capella S. Egidii sub porticu stationis, habitationis dicti testatoris, pp. fr. Barnabe f. Iohannis de Argenta ord. Minorum *etc.* tt. (L. cit., c. 202v; *cf. ANot.*, A Monte A., v. XIV, c. 142v).

1437, 30 octobris. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Iohannis de Placentia guardiani dicti conventus in capitulo dictorum fratrum, in qua congregatione interfuerunt dictus d. guardianus, fr. Andreas de Imeldulla lector dicti conventus, fr. Paulus de Guastatoribus de Imola et fr. Iacobus de Feraria, cum plures fratres in dicto conventu non existant; pro supplendo necessitatibus dicti conventus et fratrum et maxime pro habendis cultris a lectis, et pro fatiendo refici campanam dicti conventus que pulsari non potest nixi cum maximo labore et nixi cum maximis sumptis cordarum necessariarum pro pulsando ipsam campanam, et pro reparatione domorum dicti conventus, habito colloquio cum rev. patre d. fr. Ieronimo de Faventia sacre theologie professore, ministro provintie Bononie dicti ordinis et obtenta licentia procedendi ad huiusmodi venditionem, vendiderunt Nanni q. Cecoli de Piro de Imola vice et nomine d. Marsemillie q. Batiste de Captaneis de Mazolano uxoris Iacobi q. Lodovici de Podestis de Bononia petiam unam terre aratorie duarum torn. positam in curte Mazolani comitatus Imole in fundo Fontane pro pretio lib. viginti duarum bon.; pp. fr. Andrea q. Dominici Ghelli *etc.* tt. (*ANot.*, A Monte A., v. XI, c. 97).

1437, 2 decembris. — Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola (*ut supra, 1437, 30 oct.*), ordinaverunt fr. Iacobum q. Petri de Imola ord. fratrum Minorum, licet absentem, sindicum et procuratorem ad se presentandum coram quibuscumque offitialibus in sisteriis S. Marci de Venetiis ad solvendam quantitatem pecuniarum vigore testamenti facti per nobillem virum Marchum de comittibus Cunii seu Fusignani; pp. fr. Petro q. Guidonis de Imola *etc.* tt. (L. cit., c. 128).

1438, 3 februarii. — Iohannes q. Albini Curacie de Castro Guelfo habitator et civis Imole reliquit conventui et ecclesie fratrum Minorum de Imola unum duplerium; *societati* unum duplerium; lib. decem bon. pro fabrica dicte ecclesie seu domorum ipsius ecclesie et conventus; *societati* lib. vigintiquinque bon. *Comissarios* ellegit guardianum conventus fratrum Minorum de Imola et priorem *societatis.*

Actum Imole in *sacristia* ecclesie fratrum Minorum, pp. fr. Iohanne q. Bartolomei de Placencia guardiano, fr. Filippo q. Pauli de Fabrica de Bagnacavallo, fr. Andrea q. Bertoldi de Imeldula, fr. Bartolomeo q. Iacobi de Casalichio Comittum, fr. Iacobo Santini de Abello, fr. Michaele q. Iohannis Mazantis de Lugo, et fr. Bernardo q. mag. Iacobi de Lixucio ducatus Mediolani, omnibus fratribus ord. Minorum tt. (*ANot.*, A Monte L., v. VI, c. 23v).

1438, 26 aprilis. — Iohannes q. Iacobi Ravoni de Consilice habitans Imole ellegit *sepulturam* suam *etc.* Reliquit sol. xx bon. Item pro missis S. Gregorii dicendis sol. xxx bon. per lectorem conventus fra-



trum Minorum. Actum Imole in capella S. Iacobi in domo dicti testatoris, pp. fr. Andrea q. Bertoldi de Imeldula ord. Minorum *etc.* tt. (L. cit., c. 67v).

1438, 25 novembris. — Iohannes q. Cechi Azolini de Imola *sepulturam* suam ellegit *etc.* Reliquit ecclesie, item *societati* unum duplerium. Pro missis S. Gregorii celebrandis per guardianum fratrum Minorum sol. XXX bon. Actum Imole in capella S. Iacobi in domo dicti testatoris, pp. fr. Andrea q. Bertoldi de Imeldula guardiano conventus Imolensis ord. Minorum *etc.* tt. (L. cit. c. 144v).

1439, 16 septembris. — D. Zanna Mengoli Bertoni de Imola et uxor olim Tomasii q. Ugolini de Vedris de Imola, reliquit conventui et ecclesie fratrum Minorum de Imola cum celebrabitur capitulum in dicta ecclesia, lib. XV bon. pro mille missis. (L. cit., c. 216).

1439, 19 novembris. — Toniolus q. Mathioli Blondi de Linario comitatus Imole habitator ville Torani episcopatus Imole sepulturam suam elegit apud ecclesiam S. Marie de Torano; quod si contigerit in civitate Imole mori, *sepulturam* suam elegit in ecclesia S. Francisci ord. Minorum, in dicta ecclesia seu alio loco, dum tamen sit locus ille copertus, iubens et mandans idem testator suum corpus coperiri seu indui et vestiri una capa de linteamine albo more batuti et prout induuntur corpora aliorum batutorum, qui sunt de societate beate Marie Virginis et se reducunt in ecclesia S. Francisci de Imola predicta ad exequendum eorum devotiones. Item reliquit dicte ecclesie S. Francisci unum duplerium. *Societati* comoranti in dicta ecclesia ad orandum et fatiendum suas et usitatas devotiones unum duplerium. (*ANot.,* De Gentilibus F., v. II, c. 26v).

1440, 6 martii. — Franciscus q. mag. Lodovici aurificis de Imola *sepulturam* suam *etc.* Reliquit unum duplerium. Mandavit quod expensis sue hereditatis mictatur unus ad visitandum limina beati Antonii Viannensis et ad visitandam ecclesiam S. Marie de Loredo. Actum in *capitulo* fratrum Minorum de Imola, pp. fr. Andrea q. Bertoldi de Imeldula, fr. Andrea q. Cabrini de Placencia, fr. Iacobo q. Nicolai de Fratislavia de Alamania, ord. Minorum tt. (*ANot.,* A Monte L., v. VI, c. 257v).

1440, 3 maii. — Fr. Paulus q. Lamberti de Guastatoribus de Imola ord. Minorum procurator et procuratorio nomine Petri sui fratris vendidit Cichino q. Bartocii de Bartociis de Ortodonico districtus Imole et Matheo Gherbexii de dicto loco unum peciolum tereni discopertum in capella S. Iacobi pro precio lib. XIII bon. (L. cit., c. 270v).

1440, 7 maii. — Cum Iohannes q. Petri Arvasini de Imola de anno proxime preterito pro amore Dei dederit fr. Guidoni q. ** de Imola ord. Minorum unam petiam terre vineate duarum torn. positam in terri. Imole in fundo Rioli, volens facere instrumentum eidem fr. Guidoni de dicta vinea, dedit dictam petiam, ad tenendum *etc.* Actum in *ecclesia* fratrum Minorum de Imola. (L. cit., v. VI, c. 272v).

1441, 28 februarii. — * Convocato capitulo fratrum Minorum de Imola de mandato fr. Iacobi de Crespelano guardiani dicti conventus, in qua congregatione interfuerunt dictus d. guardianus, d. fr. Iacobus q. Petri de Imola inquisitor, fr. Iohannes Rugerii de Ancona lector, fr. Iacobus q. Sanctini de Abello et fr. Iohannes de Alamania, cum plures in dicto conventu fratres non existant, totum capitulum representantes, constituerunt Iacobum pre-

dictum sindicum et procuratorem ad se presentandum coram officialibus in sisterio S. Marci de Venetiis deputatis ad solvendum quantitates pecuniarum secundum modum civitatis Venetiarum pro prestitis in dicta civitate factis, et ab eis petendam omnem quantitatem dicto conventui debitam tam de presenti quam de futuro, vigore testamenti facti per nobillem virum Marchum de comitibus Cunii seu Fuxiniani; pp. fr. Andrea q. Dominici Ghelli de Imola, d. Iohanne f. dicti fr. Andree *etc.* (A Monte L., v. XII, c. 363v).

1442, 9 novembris. — * Iohannes q. Ugolini de Oradinis speciarius de Imola, cum firmus sit ornare et laudabiliter decorare *capellam* et *altare* constructum et hedificatum in eclesia fratrum Minorum de Imola sub vocabulo S. Blaxii, suplicavit fr. Batiste de Faventia sacre theologie magistro custodi ord. Minorum in provincia Romandiole ac fr. Iohanni q. Rafaelis de Bononia guardiano conventus Imolensis, ut sibi dictam capellam et altare per ipsum ornandum et eius patronatum assignare dignarentur; itaque congregatis fratribus dicti conventus, in qua congregatione interfuerunt ipse d. custos, fr. Iohannes q. Rafaelis de Bononia guardianus dicti conventus, fr. Iacobus f. Mathei de Placencia vicarius, fr. Iacominus de Imola, fr. Paulus Nicodemi de Bagnacavallo, fr. Barnabe f. Iohannis de Argenta, fr. Antonius Iohannis de Mediolano, omnes fratres conventuales in dicto conventu, pluribus non existentibus in dicto conventu fratribus, dictam capellam et altare et eius patronatum dicto Iohanni pro se et suis heredibus assignaverunt et concesserunt. (*ANot.,* A Monte L., v. VII, c. 239; *cf. 1449, 3 aug.*).

1443, 17 ianuarii. — * Cum *altare* constructum et hedificatum in eclesia fratrum Minorum de Imola sub vocabulo S. Lodovici totaliter videatur et sit inornatum, indigeatque, ut convenit, omnibus opportunis et necessariis, quibus fratres conventus Imolensis ipseque conventus propter paupertatem ipsius subvenire nequiverit nec adimplere; cumque ad ipsa omnia liberaliter facienda et adimplenda, circumspectus vir Iacobus q. Gilii de Pilipariis de Imola se obtulerit; constitutus ante presentiam fr. Batiste de Faventia sacre theologie magistri, custodis provincie Romandiole dicti ordinis, fr. Iacomini de Imola guardiani Imolensis conventus, fr. Iacobi de Placentia vicarii, fr. Pauli de Bagnacavallo, fr. Lodovici de Tauxignano, fr. Iacobi de Monte Regis, fr. Stefani de Francia et fr. Antonii de Mediolano in dicto conventu conventualium congregatorum, supplicavit ut velint et dignentur dictum altare et capellam desuper construendam, ornandum et ornandam sibi suisque heredibus assignare. Ad hec, pp. fr. Andrea de Ghelli, fr. Blaxio q. Lippi de la Verona et fr. Matheo de Medexina, fratribus tertii ordinis S. Francisci de Imola, et consencientibus omnibus, in presenti instrumento contentis, et nichilominus pro se reservantibus, quod im perpetuum ipsi et sui successores possint ad dictum altare singulo primo dominico die singuli mensis celebrari facere suam missam, ut consuetum est fieri a tanto tempore et citra, cuius memoria in contrarium non extat. (L. cit., c. 262).

1443, 7 ianuarii. — Noverint universi, qualiter rev. pater d. fr. Batista de Faventia sacre theologie magister custos provincie Romandiole ord. Minorum ac ven. et religiosi viri (*ut supra*) concesserunt Iacobo q. Marchi Floridoli de Imola locum in ecclesia Imolensi dicti ord. ubi de consuetudine fit festum Inocentorum; quia dictus



Iacobus promixit construere in dicto loco unum *altare* et desuper unam *capellam* et ipsum et ipsam ornare. (L. cit., c. 262v).

1443, 21 decembris. — Honesta et discreta d. d. Bartolomea q. Masucii de Blancanigho et uxor olim mag. Dominici de Ponte de Imola *sepulturam* suam *etc.* Reliquit ecclesie unum duplerium; *societati* lib. quinque bon.; *capelle* sue constructe in dicta ecclesia sub vocabulo Omnium Sanctorum et S. Crucis lib. vigintiquinque bon. expendendas in uno calice argenteo pro dicta capella; monasterio S. Stefani de Imola lib. tres bon. expendendas in reparatione domorum dicti monasterii; ecclesie S. Cassiani pro reparatione dicte ecclesie lib. quinque bon. et unum duplerium, quas lib. quinque bon. voluit dispensari in quarta si qua deberetur virtute legati facti dicte ecclesie fratrum Minorum; *societati* unum duplerium. Voluit quod singulo anno de mense decembris sui heredes teneantur celebrari facere unum officium XII missarum per tempus XII annorum. (L. cit., c. 379).

1446, 10 octobris. — * Bernabobus q. Donati de Aretio habitator Imole ellegit *sepulturam* suam *etc.* Reliquit unum duplerium. Reliquit quod heres suus teneatur facere pingi in ecclesia S. Petri in Lacuna de Imola unum crucifixum ligatum ad columnam ad similitudinem Domini nostri Iesu Christi, sub quo etiam sit depicta ymago dicti testatoris cum manibus levatis in sursum, versus dictum crucifixum; circa quam figuram expendi voluit id quod videbitur heredi suo. In omnibus aliis suis bonis mobilibus d. Imiglam uxorem heredem instituit; post mortem d. Imiglie substituit d. Matheam eius sororem et uxorem Mathei q. Petri Mergoni de Tauxignano; post mortem d. Mathee substituit conventum fratrum Minorum de Imola, ita tamen quod fratres dicti conventus, qui tunc extabunt, teneantur facere dipingi supra sepulturam testatoris Iesum Christum positum in monumento cum gloriosa Virgine Maria eius matre et alia Maria matre S. Iacobi. (*ANot.,* De Captaneis I. Baptista, v. I, c. 121v).

1447, 20 iulii. — Iacobus q. Maynetti olim Mathioli alias Badde de Calegariis de Laderchio comitatus Imole Benedictum et Lodovicum eius filios heredes universales instituit; et si ambo decesserint sine filiis substituit Nobilem eius uxorem, Iohannam eius sororem et Pieram f. q. Antonii olim Mathei Magnani de Imola. Et post mortem dictarum trium mulierum substituit eisdem d. Filippam testatoris filiam; et si dicta Filippa decesserit sine filiis, voluit dictam suam hereditatem pervenire debere *societati,* expendendam in reparatione et hedificatione ecclesie fratrum Minorum et domorum eius. (*ANot.,* A Monte L., v. VIII, c. 23v).

1448, 1 martii. — D. Benvenuta q. Iohannis Tigoli de Fontana uxor Petri q. Iacobi Diotaydi de Casali habitans Imole, reliquit ecclesie fratrum Minorum de Imola unum duplerium.

Actum in *capitulo* ecclesie fratrum Minorum de Imola, pp. fr. Iacobo q. Petri de Imola, fr. Iacobo q. Mathei de Placencia guardiano, fr. Ambroxio q. Antonii de Serenis de Mutina, fr. Iacobo q. Nicolai de Placencia, fr. Ambroxio f. Francisci de Cremona et fr. Paulo q. Lambertini de Guastatoribus de Imola, omnibus fratribus conventualibus conventus Imolensis ord. Minorum. (L. cit., c. 119).

1448, 1 martii. — Petrus q. Iacobi olim Diotaydi de Casali comitatus Imole civis et habitans Imole reliquit ecclesie fratrum Minorum de Imola unum duplerium. Actum (*ut supra*). (L. cit., c. 119v).

1448, 17 iulii. — D. Beneditta q. Beltrandi de Feraria uxor fr. Iohannis de la Cruce de Imola, sana mente et corpore, volens indul-



gencias de Asixio visitare, testamentum facere procuravit. Reliquit ecclesie fratrum Minorum de Imola unum duplerium. (L. cit., c. 129v).

1448, 6 novembris. — Fr. Andreas q. Dominici Ghelli de Imola *sepulturam* suam ellegit apud *etc.* Reliquit dicte ecclesie, item *societati* unum duplerium. Conventui sororum S. Stefani de Imola lib. tres bon. expendendas in una campanella retinenda in ecclesia dictarum sororum, ut, dum contigerit missam celebrari, dicta campanella possit pulsari ad audienciam vicinorum. Reliquit fr. Paulo fratri ipsius testatoris pilizonum; dicte ecclesie fratrum Minorum ducentos lapides cottos, quos dari voluit cum contingerit *ecclesiam* dictorum fratrum desuttus aselegari in totum vel pro parte, et alibi non. (L. cit., c. 172).

1449, 26 maii. — Iohannes q. mag. Lippi de Faventia civis et habitans Imole reliquit ecclesie S. Cassiani de Imola IV torn. terre aratorie de una petia terre posita in subburgo S. Christine civitatis Imole iuxta vias publicas a duobus lateribus, iura *societatis,* iura fratrum Penitentie de Imola et Micaelem q. Iohannis Arvasini de Imola, videlicet a latere iuxta viam publicam per quam itur versus fornaces dicte *societatis.* Ecclesie fratrum Minorum unum duplerium. *Comissarios* ellegit priorem *societatis etc.* (*ANot.,* A Monte A., v. XIV, c. 118).

1449, 17 iunii. — Fr. Paulus de Guastatoribus de Imola ord. Minorum nomine mag. Petri sui fratris et ff. q. Lamberti de dictis Guastatoribus civis et habitantis civitatis Fani, vendidit mag. Albertino q. Tonii Zacho de Imola unam domum positam in capella S. Christine pro precio lib. CIV bon. (*ANot.,* A Monte L., v. VIII, c. 267).

1449, 15 iulii. — Bertonus q. ser Pagunii de Lidice habitans civitatis Imole donavit Petro q. Tonii Bartoli de Imola et Marchioni q. Petri Dondi de Ortodonico recipientibus vice et nomine *societatis* unam petiam terre aratorie trium torn. positam in terri. Imole in fundo Ortignole sive de Salisellis. (*ANot.,* A Monte A., v. XIV, c. 144v).

1449, 3 augusti. — Iohannes q. Ugolini de Oradinis de Imola donavit Petro f. Iohannis de Varignana civi et habitanti Imole recipienti nomine conventus fratrum Minorum de Imola unam petiam terre aratorie V torn. in terri. Imole in fundo de Fontanellis. (L. cit. c. 174v).

1449, 12 octobris. — Iohannes q. Albini Curacie de Medicina habitans Imole prior *societatis* et Christoforus q. Iohanini Tiralaççо de Imola massarius nomine et vice dicte societatis dederunt et locaverunt ad pensionem Martino f. Petri Maccii de Imola unum breve dicte societatis becarie positum in becaria veteri civitatis Imole pro tempore V annorum pro pensione singulo anno lib. XI bon. (L. cit., c. 149).

1449, 12 octobris. — Iohannes q. Albini Curacie de Medicina civis et habitans Imole, prior *societatis,* donavit Christoforo q. Iohannini Tiralaçço massario dicte societatis et Petro q. Tonii Bartoli muratoris de Imola vice et nomine societatis omnia iura que dictus Iohannes habebat contra Laurentinum q. Petri de Boniohannis de Imola ratione debiti L florenorum, quam pecunie quantitatem homines dicte societatis solvere et expendere debeant pro anima dicti Iohannis hoc modo, videlicet lib. C in emendo lapides et calcem pro aptatione et ellevatione ecclesie fratrum Minorum; residuum vero solvere debeant, videlicet cuilibet societati Batutorum civitatis Imole *etc.* (L. cit., c. 148v).

1450, 16 februarii. — D. Melina q. ser Bertocii de Tauxignano et uxor olim Iohannis q. Ugolini [de Oradinis] de Imola *sepulturam* suam *etc.*



Reliquit unum duplerium; pro fabrica ecclesie unum ducatum venetum auri; *altari* S. Blaxii unum mantile schieltum novum.

Actum Imole in conventu sive domibus conventus ecclesie S. Francisci de Imola, pp. fr. Iohanne q. Iacobi de la Cura de Bononia, fr. Lodovico q. Cechi de Tauxignano guardiano dicti conventus, fr. Paulo de Guastatoribus de Imola, fr. Vincencio q. Laurencii Spate de Lucha, fr. Francischo Petri de Bononia et fr. Bartolomeo f. Michaelis de Regno provincie Alamanie, omnibus fratribus conventualibus in dicto conventu. (*ANot.,* A Monte L., v. VIII, c. 323); *cf.* A Monte A., v. XIV, c. 180v).

1450, 14 martii. — Iohannes q. Tonii alias Tonardus de Dutia donavit Petro q. Tonii olim Bartoli de Imola priori *societatis* et Baldassarri q. Blaxii de Baffadi massario dicte societatis unam petiam terre aratorie septem torn. positam in terri. Imole in fundo Roncaglis, vendendam et alienandam pro fabricha S. Francisci sive fratrum Minorum de Imola. (*ANot.,* A Monte A., v. XIV, c. 332).

1450, 27 augusti. — D. Iohanna q. Lodovici de Morandis olim de Crovaria uxor Masii q. mag. Dominici Schibane de Imola ellegit *sepulturam* suam *etc.* Reliquit ecclesie unum scrineum existens in camera sue habitationis. *Commissarios* ellegit priorem *societatis etc.* Masium eius maritum heredem universalem instituit, et post eius mortem reliquit conventui et ecclesie fratrum Predicatorum de Imola lib. xxv bon., ita tamen quod fratres dicti conventus nichil petere possint contra ecclesiam fratrum Minorum occasione quarte quam petere possent contra ipsos fratres pro legato et substitutione infrascriptis. Item post mortem dicti Masii reliquit d. Albaxine uxori Scucxi lib. xx bon.; residuum suorum bonorum voluit integre pervenire ad ecclesiam fratrum Minorum pro reparatione et hedificatione ecclesie. (L. cit., c. 403v).

1450, 2 decembris. — Mag. Petrus q. Tonii Bartoli de Imola, *sepulturam* suam *etc.* Reliquit *societati* unum duplerium. Ecclesie lib. x bon. expendendas in fabrica dicte ecclesie aut domorum ipsius. Iacobum eius filium heredem universalem instituit; et si aliqua filia testatoris non extaret decedente dicto Iacobo, voluit omnia sua bona pervenire ad *societatem* distribuenda in fabrica et ornamentis ecclesie S. Francisci de Imola. (*ANot.,* A Monte L., v. VIII, c. 401).

Elegerunt sepulturam suam
apud ecclesiam fratrum Minorum de Imola.

1401, 4 augusti. — Dominichus f. q. fr. Paulini de Cursiis de Imola. Reliquit unum duplerium; *societati* x sol. bon. Mandavit quod expensis hereditatis sue mittatur unus homo ad visitandum limina B. Francisci de Asisio. (*ANot.,* A Vulpe B., v. I, c. 160v).

1402, 9 februarii. — Lucas filius q. Iohannis de Laderclo comitatus Imole habitator Imole. (L. cit., c. 161v).

1406, 29 martii. — Martinus q. Peruçoli de Linario. (*ANot.,* A Monte A., v. I, c. 135v).

1406, 21 septembris. — Maxima q. Menghi de Bononia uxor mag. Ugolini de Ianua habitatrix Imole. Reliquit lib. decem bon., quas dicto conventui reliquid Bartolomeus canevarius olim maritus dicte d. Maxie post mortem ipsius domine. (L. cit., c. 148v).

1407, 23 octobris (?). — D. Cichina q. Beghetti de Varignana uxor Bitini q. Nigri de la Brayta civis Imole. Reliquit d. Belde unam petiam terre in fundo Tavernule iuxta iura monasterii sororum S. Ste-

phani de Imola. Voluit quod Ghinoccius frater testatricis habeat unam domum dicte testatricis in capella S. Iacobi et post mortem Ghinocii ipsam domum reliquit *societati* fratrum Predicatorum et fratrum Minorum. Reliquit *societati* unum duplerium. Dictis *societatibus* unam petiam terre IIII torn. in fundo strate Montanarie. *Comissarios* ellegit priores *societatum* predictarum. Dream eius filium et f. q. Nannis de Ortodonico heredem universalem instituit, vetans ipsum Dream relinquere de bonis hereditatis sue d. Cataline f. Maxii d. Brunette uxori dicti Dree; et si dictus Dreas aliquid reliquerit dicte sue uxori, voluit illud pervenire ad dictas *societates*. (L. cit., v. II, c. 49v; *cf. infra, 1419, 16 ian.*).

1408, 21 ianuarii. — D. Bona q. Maxii Bilaque de Imola uxor olim Menghi de Piscibus de Imola. Reliquit unum duplerium. (L. cit., c. 64).

1408, 28 septembris. — Iohannes alias Ginardus q. Çangii de Selustra districtus Imole ellegit sepulturam suam apud ecclesiam S. Petri de Casula si decederet in dicta villa; si autem decederet Imole, apud ecclesiam fratrum Minorum. (L. cit., c. 101v).

1409, 2 decembris. — Mag. Petrus q. Rustighini de Bagnaria civis Imole. (L. cit., c. 184).

1410, 26 iunii. — D. Rosa q. Rodulfi de Padua uxor Cechini q. Nerii de Linario. Reliquit unum palium panni rubei ad *altare* S. Iacobi. (L. cit., c. 221v).

1410, 13 augusti. — Petrus alias Galutius de Imola. Reliquit fr. Iohanni Salamonis pro missis S. Gregorii sol. xxx bon.; *societati* unum duplerium; item conventui. (L. cit., c. 224v; *cf. infra, 1432, 11 mart.*).

1411, 30 iulii. — D. Margarita q. Sassonerii de Sassionibus de Forolivio uxor olim Çohachini de Pellicatis de Imola. Reliquit unum duplerium; item *societati*. *Comissarios* ellegit guardianum fratrum Minorum de Imola et priorem *societatis*. (L. cit., v. I, c. 219).

1411, 2 augusti. — D. Masina q. Guidonis de Auçano comitatus Bononie uxor olim fr. Çunte de Imola. Reliquit fr. Baldo de Tobaldis de Imola sol. viginti bon., in quibus eidem tenetur vigore testamenti dicti q. fr. Çunte. (L. cit., c. 219; v. II, c. 310).

1411, 13 octobris. — D. Ysabetta q. Marchi de Gagio uxor olim Francischini q. Bombologni de Roxegatis de Imola. Reliquit *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 342).

1413, 2 februarii. — D. Malgarita q. Iohannis Aspetati de Imola uxor Dominici q. Matioli de Linario habitabrix Imole. Reliquit unum duplerium; item *societati*. (L. cit., v. III, c. 88).

1413, 19 februarii. — D. Lixia q. Mascharini de la Botte habitans Imole. (L. cit., c. 95v).

1413, 30 martii. — Mag. Bengus q. Dominici de Montemaiore comitatus Imole. Reliquit *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 114).

1414, 13 septembris. — D. Malgarita q. Cole de Meçamicis de Imola. (L. cit., c. 143).

1415, 9 maii. — D. Lucia q. Nannis de domibus Selvaticis districtus Imole, uxor olim Iohannis q. Malgariti. Reliquit pro reparatione ecclesie lib. II, sol. x bon. (L. cit., c. 150v).

1416, 25 maii. — D. Gnesia q. fr. Pilani de Videllis de Montecatone civis et habitans Imole et uxor olim Francischini de Bentrovatis de Faventia olim civis et habitantis Imole. Reliquit *societati* unum duplerium. (*ANot.*, P. Marconi, v. I, c. 272).

1418, 12 martii. — Matheus q. Pasini de Pasinis de Caxulla districtus Imole. Reliquit unum duplerium; item *societati*. (*ANot.*, A Monte A., v. IV, c. 43).



1419, 16 ianuarii. — D. Cechina q. Beghetti de Varignana uxor Bitini q. Nigri de la Brayta civis Imole. Reliquit ecclesie et *societati* unum duplerium; *societati* x torn. terre arative positas in curte Ortodonici in fundo Tavernole. (L. cit., c. 132).

1419, 15 martii. — D. Honestina q. Pirondini de Cataneis de Laderclo comitatus Imole uxor olim ser Arardoli q. Iacobi de Carvassallis de Imola. Reliquit *societati* unum duplerium. Conventui sororum S. Stephani de Imola lib. decem bon. Conventui fratrum Minorum pro uno annuali, fiendo et celebrando usque ad decem annos a die obitus testatricis, sol. xv bon. quolibet anno. *Comissarios* ellegit lectorem conventus fratrum Minorum de Imola *etc.* (L. cit., c. 151).

1419, 24 septembris. — D. Cichina q. Nannis Cechi de Imola uxor olim Cuccini Cassani de Imola. Reliquit conventui, item *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 177).

1419, 20 novembris. — Fr. Guido q. Petri de Castro S. Petri habitans Imole. (L. cit., c. 188).

1420, 1 ianuarii. — Riguccius q. Benvenuti de Mordano civis et habitans Imole. Reliquit unum duplerium; item *societati* (L. cit., c. 198).

1421, 20 martii. — Vianus q. Menghi de Pissibus de Imola. Reliquit ecclesie, item *societati* unum duplerium. (L. cit., v. V, c. 69).

1421, 6 iulii. — D. Agnexina q. Benuccii masaroli de Imola uxor ser Petri de Carraria. Reliquit pro fabrica ecclesie sive domorum lib. x bon.; ecclesie et *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 138v).

1421, 2 septembris. — D. Iohanna q. Dominici de Carvassallis de Imola uxor fr. Rugerii q. Nannis de Imola. (L. cit., c. 171v).

1422, 7 ianuarii. — Catalina Franciscini Guidicelli de Imola uxor mag. Antonii parolarii de Imola. Reliquit duo dupleria. (L. cit., c. 263v).

1422, 27 februarii. — Iacobus q. Pauli de Captaneis de Toranello habitans Imole. Reliquit *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 299).

1422, 13 septembris. — Paulus q. Zunte de Imola capelle S. Christine vocatus Polo de donna Blaxia. Reliquit *societati* unum duplerium. (*ANot.*, Brocardi R., v. I, c. 176v).

1423, 12 septembris. — D. Andrea q. mag. Antonii aurificis de Imola uxor Dominici q. Cechi de Ponte de Imola. Reliquit unum duplerium. (*ANot.*, A Monte A., v. VI, c. 186v).

1424, 19 iunii. — D. Catalina q. Valentis de Baffadi uxor olim Bitini q. Sini de Baffadi, habitatris Imole. Reliquit lib. x bon.; conventui fratrum Minorum de Faventia lib. xii bon. (L. cit., c. 275).

1424, 1 septembris. — D. Clara q. Agnelli de Peruxio uxor Cechi q. Petri alias Martinucci de Imola. Reliquit duplerium. (L. cit., c. 303v).

1424, 19 septembris. — Rolandus q. Iohannis Pasini de Caxula districtus Imole. Reliquit unum duplerium. (L. cit., c. 314).

1425, 8 iunii. — D. Iacoba q. Iohannis Calanchi de Imola. Reliquit unum duplerium. (*ANot.*, A Monte L., v. I, c. 139).

1425, 19 augusti. — D. Polonia q. Georgii olim mag. Pirondi de Imola uxor Iob q. Lodovici olim mag. Petri de Imola. Reliquit unum duplerium. (*ANot.*, A Monte A., v. VII, c. 103v).

1425, 16 decembris. — Dominicus q. Cechi de Ponte de Imola. Reliquit ecclesie, item *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 163).

1426, 2 maii. — Bernabas q. Donati de Aretio habitator Imole. Reliquit *societati* unum duplerium. *Comissarios* ellegit priorem *societatis etc.* D. Vermigliam eius uxorem heredem universalem instituit; post mortem d. Vermiglie substituit d. Matheam eius sororem, et post mor-

tem d. Mathee reliquit omnia sua bona pervenire ad *societatem*. (L. cit., c. 241v; *sed cf. supra, 1446, 10 oct.*).

1427, 23 iunii. — Benatus q. Tomaxii de Bononia habitator civitatis Imole. Reliquit unum duplerium. (L. cit., v. VIII, c. 123v).

1427, 26 iunii. — D. Iohanna q. mag. Petri de Bambayolis de Imola uxor Petri q. Iohannis de Pixis. Reliquit unum duplerium. (L. cit., c. 124).

1427, 15 iulii. — Tonius q. Cassanini de Imola. (L. cit., c. 131).

1428, 28 martii. — D. Antonia q. Maxii de Imola et uxor olim Iacobi Berti de Imola alias Scanapini. Reliquit *societati* unum duplerium. (*ANot.*, A Monte L., v. II, c. 211v; *cf.* A Monte A., v. V, c. 218v).

1428, 26 septembris. — D. Catalina q. Maxii olim fr. Iacobi de Imola uxor Simonis q. Tonii Bonfigloli de Imola. Reliquit unum duplerium; *societati* duos ciriolos tenendos ad laudes, precii sol. x bon.; sorori Malgarite conventus S. Stephani de Imola sol. xx bon.; in subsidium reparationis ecclesie aut domorum fratrum Minorum de Imola lib. II bon. (*ANot.*, A Monte A., v. VIII, c. 261; *cf.* v. XII, c. 4).

1430, 2 maii. — D. Iohanna q. ser Christofori de Lucha uxor Antonii q. Ramondini de Imola. Reliquit unum duplerium. (*ANot.*, A Monte L., v. III, c. 73v).

1430, 15 novembris. — D. Mathea q. Donati de Arecio et uxor olim Dominici de Lazavatella de Imola, pregnans. Reliquit *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 116).

1431, 7 iunii. — Iacobus q. Tonii Bonfigloli de Imola. Reliquit pro mille missis dicendis pro anima Tarsie olim sue uxoris lib. XII et sol. x bon.; unum duplerium. (*ANot.*, A Monte A., v. IX, c. 237).

1432, 11 martii. — Fr. Petrus Galucius q. Guidonis de Imola. Reliquit unum duplerium; item *societati*. (*ANot.*, A Monte L., v. IV, c. 30, *cf.* 290, 295; v. V, c. 90v [Actum in *claustro* conventus fratrum Min. de Imola]).

1432, 11 martii. — Laxia q. Benvenuti olim Iacobi de Castro S. Petri et uxor fr. Petri Galucii de Imola. Reliquit unum duplerium, item *societati*; pp. fr. Doxio q. Santelli *etc.* tt. (L. cit., v. IV, c. 30; *cf.* c. 294v).

1433, 7 decembris. — Vianus q. Iohannis olim Petri Dini de Ducia comitatus Imole. Reliquit *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 220).

1434, 16 novembris. — Fr. Franciscus q. Severii de Forlivio civis et habitans Imole ord. fratrum Humiliatorum S. Bernardi de Imola. Voluit quod tempore eius sepulture cadaver eius non associetur nixi cum uno duplerio tantum. (L. cit., c. 248; *cf.* v. VI, c. 210v).

1435, 23 februarii. — Bertus q. Iacobi Bagnarini de Imola. Reliquit ecclesie, item *societati* unum duplerium; pp. fr. Dosio q. Santelli *etc.* tt. (L. cit., v. IV, c. 272).

1435, 8 novembris. — Çangius q. Petri de Salustra. (*ANot.*, A Monte A., v. X, c. 277).

1435, 10 decembris. — Sanctus q. Bartolomei de la Scarparia civis et habitator civitatis Imole. Reliquit duo dupleria. (L. cit., c. 304v).

1436, 1 ianuarii. — D. Catarina q. Iacobi olim Pagni de Aretio uxor Iohannis q. Petri Arvasini de Imola. Reliquit unum duplerium. (L. cit., v. XI, c. 5v).

1436, 11 decembris. — Tonius q. Maghinardi de Varignana habitans Imole. Reliquit unum duplerium. (*ANot.*, A Monte L., v. V, c. 108v).

1437, 27 martii. — D. Constancia uxor olim ser Doxii de Capuciis de Imola. Reliquit unum duplerium. *Comissarios* ellegit priorem *societatis* et massarium societatis S. Bernardi. In omnibus suis bonis dictas societates equaliter heredes universales instituit. (L. cit., c. 167v).

1437, 14 augusti. — D. Zanevera q. Dardini de Pidiano uxor Guidonis q. mag. Antonii parolarii de Imola. Reliquit unum duplerium. (L. cit., c. 207).

1437, 30 decembris. — D. Luxia q. Iohannis Schancini de Toranello et uxor olim Cecholi q. Ginardi de Selustria. Reliquit lib. quinque bon. et unum duplerium. (L. cit., v. VI, c. 1).

1440, 21 maii. — Ferrus q. Iacobi de Macincollo habitator Imole. Reliquit unum duplerium. (*ANot.,* A Monte A., v. XII, c. 230).

1441, 17 ianuarii. — * Mag. Benedictus olim Guidonis de Rociis de Montecatone comitatus Imole. Reliquit in subsidium laborandi et fabricandi ad *porticos claustrales* ruynatos dicte ecclesie, vel ad alium opus necessarium sive comodum pro dicta ecclesia lib. v bon. Item unum duplerium. (*ANot.,* A Monte L., v. VII, c. 11v).

1441, 8 martii. — Ser Francischus q. Bornioli de Cataneis de Balcone de Dutia habitator civitatis Imole. Reliquit unum duplerium. (*ANot.,* A Monte A., v. XII c. 367).

1441, 16 martii. — Matheus q. Iohannis de Arecio civis et habitator Imole. Reliquit unum duplerium; item *societati* (*ANot.,* A Monte L., v. VII, c. 31v).

1441, 22 martii. — D. Catarina q. Tani de Carvassallis de Imola uxor olim ser Antonii de Primartinis de Imola. Reliquit unum duplerium. (*ANot.,* A Monte A., v. XII, c. 372v).

1441, 9 augusti. — D. Bernardina q. Dededi de Limixano comitatus Faventie et uxor olim Chechi de Canali. Reliquit unum duplerium. (*ANot.,* A Monte L., v. VII, c. 55v).

1441, 14 augusti. — D. Caterina q. Ugolini de Tauxignano et uxor olim Sanctolini q. Truxe de Macincollo habitans ad presens Imole. Reliquit unum duplerium. (L. cit., v. VII, c. 57v).

1441, 20 octobris. — D. Vermigla q. Francisci Peracini de Imola uxor Bernabovis q. Donati de Aretio civis Imole. Reliquit duo dupleria. (*ANot.,* A Monte A., v. XII, c. 476).

1442, 24 februarii. — Francischinus q. Guidocelli de Imola. Reliquit unum duplerium. *Comissarios* ellegit p r i o r e m *societatis etc.* (*ANot.,* A Monte L., v. VII, c. 158v; *cf.* c. 149v *et* v. V, c. 122v).

1443, 4 aprilis. — D. Piera q. Dominici de Valsalva. Reliquit pro mille missis lib. XII et sol. X bon. Item unum duplerium. (*ANot.,* A Monte A., v. XIII, c. 314).

1443, 29 aprilis. — Guido q. mag. Antonii parolarii de Imola. Reliquit duo dupleria. Item quod heredes pingi facere debeant imaginem glorioxe V. Marie et S. Iuliani. (*ANot.,* A Monte L., v. VII, c. 312v).

1444, 18 iulii. — D. Bartolomea f. q. Iohannis Bruni de Massa Allidosiorum et uxor olim Fatii Galassi de Macincollo comitatus Imole. Reliquit unum duplerium; item *societati* (*ANot.,* I. Caputeus, v. I, c. 42).

1448, 30 augusti. — D. Mengha q. Ugolini de la Stuva de Imola. Reliquit unum duplerium. (L. cit., v. VIII, c. 140).

1448, 8 septembris. — D. Agnesina q. Donati de Arecio uxor olim Batiste de Calvis, sepulturam ellegit apud ecclesiam fratrum Heremitarum de Imola in sepultura illorum de Calvis si de ipsorum processerit voluntate; sin autem, in ecclesia fratrum Minorum de Imola in sepultura suorum premortuorum. Reliquit unum duplerium. (L. cit., c. 142v).

1448, 2 decembris. — Francischus q. Bernardi de Carvasallis de Imola. (L. cit., c. 183).

1449, 7 martii. — D. Iacoba q. Andrioli de Bagnaria et uxor olim Iohannis q. Cechi Azolini de Imola. Reliquit ecclesie, item *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 241v).



1449, 1 maii. — D. Cichina q. Pauli de Cursiis de Imola uxor olim mag. Ludovici de Barbiano. Reliquit unum duplerium. (*ANot.*, A Monte A., v. XIV, c. 98v).

1449, 21 iunii. — D. Margarita q. Antonii de la Verona uxor Antonii q. Benvenuti Ramondini de Imola. Reliquit unum duplerium. (*ANot.*, A Monte L., v. VIII, c. 270).

1449, 12 iulii. — Antonius q. Ramondini de Ramondinis de Imola. (*ANot.*, A Monte A., v. XIV, c. 150v).

1449, 23 iulii. — D. Catalina. q. Ture de Gambagrossis de Imola uxor olim Iacobi Blondelli de Imola. Reliquit unum lectum, videlicet unam culcidram, unum cervical, unum linteamen et unam cultram. (L. cit., c. 161).

1449, 8 augusti. — D. Lutia q. Çohachini de Dellicatis de Imola uxor olim ser Iohannis de Alamania. Reliquit unam culcidram, unum cervical, unam cultram panni lini colorum azurri et rubei et duo linteamina; *societati* unum duplerium. (L. cit., c. 181v).

1449, 17 augusti. — Lazarus q. Iacobi olim Tonii Bonfigloli de Imola. Reliquit unum duplerium. (L. cit., c. 194).

1449, 10 septembris. — Petrus Ravennas q. Pauli de Cursiis de Imola. (L. cit., c. 124v).

1449, 23 septembris. — Micael q. ser Iacobi ser Paulini de Imola. Reliquit unum duplerium; item *societati.* (L. cit., c. 230v).

1450, 10 maii. — D. Caterina q. Michelini de Imola et uxor Petri q. Tonii Bartoli de Imola. (*ANot.*, A Monte L., v. VIII, c. 364v).

1450, 25 iulii. — Iohannes q. mag. Benghi de Imola. (*ANot.*, A Monte A., v. XIV, c. 388v).

Reliquerunt conventui fratrum Minorum de Imola (1).

1419, 19 iulii. — Dominicus q. Fredi de Vedris de Imola, pro reparatione ecclesie sol. L bon. *Societati* unum duplerium. (*ANot.*, A Monte A., v. IV, c. 165).

1422, 2 octobris — D. Francischina q. Iohannis olim Mini de Imola, uxor olim ser Iohannis q. Casciani de Baffadi comitatus Imole, unum duplerium. Voluit quod heredes debeant pingi facere duas ymagines B. Antonii Vianensis in ecclesia S. Casciani. (*ANot.*, Brocardi R., v. I, c. 182).

1427, 24 ianuarii. — Pirondus q. Malgariti de Toranello habitator Linarii, decem corbes vini puri tradendos fratribus singulis annis unum barile usque ad XX annos. (*ANot.*, A Monte A., v. VIII, c. 17).

1427, 30 septembris. — Iohannes q. Mathei fornarius de Forolivio civis et habitator Imole, unum duplerium; item *societati.* Si omnes sui filii decesserint in pupillari etate vel ab intestato, substituit d. Zaninam eius uxorem si vitam vidualem servaverit; alias voluit omnia bona pervenire ad *societates* Minorum et Carmilitarum. (*ANot.*, A Monte L., v. II, c. 160).

1429, 12 ianuarii. — Tripaldus de Imola becharius, lib. duodecim et sol. decem pro mille missis. (L. cit., v. III, c. 6).

---

(1) Unum tantum duplerium ecclesie relictum est in testamentis, quorum auctorum nomina longum et pro re nostra inane est referre: ea, inter annos 1400-50 acta, indicasse sufficiat: *ANot.*, A Vulpe B., v. I, c. 162, 163v; — A Monte A., v. I, c. 219, 222v; v. II, c. 186; v. V, c. 77v, 319v; v. VIII, c. 381v; v. IX, c. 93v; v. X, 143; v. XII, c. 201; v. XIII, c. 99v, 418v; v. XIV, c. 126, 161v, 236v, 238, 240, 245v, 450; — A Monte L., v. IV, c. 69v, 89v, 220; v. V, c. 204v; v. VI, c. 25, 88, 166v, 167v, 221v, 222, 285v, 301, 335v; v. VII, c. 12; v. VIII, c. 156v, 288v, 366v, 404v. — De Captaneis I. B., v. I, c. 87; — De Bisis B., v. I, c. 18, 137.

1429, 22 augusti. — Iacobus q. Nannis de Piro de Imola, unum duplerium. Reliquit capitulo S. Cassiani pro fabrica campanilis novi lib. decem bon. in casu quo ecclesia nova pro faciendo dictum campanile non destruatur; si autem dicta ecclesia destrueretur, voluit dictas lib. x per comissarios distribui in auxilium nubendi quandam domicellam pauperem. Actum in capella S. Pauli in capitulo hospitalis S. Bernardi, pp. fr. Andrea q. Dominici Ghelli *etc.* tt. (L. cit., c. 41).

1429, 16 octobris. — Tavianus q. Sancti Taviani de Imola, unum duplerium. Item reliquit d. Marie eius uxori lib. L bon., in quibus eidem tenebatur Nannes q. Cecholi de Piro de Imola ex causa mutui in et pro necessitatibus *societatis*. (*ANot.*, A Monte A., v. VIII, c. 398).

1431, 24 septembris. — D. Venturina q. Iohannis de Tauxignano et uxor olim Gulielmi de Strata habitans Imole, unum duplerium. *Societati* duplerium precii sol. v bon. (*ANot.*, A Monte L., v. III, c. 202v).

1433, 9 aprilis. — * D. Antonia q. Petri de Guidottis de Imola uxor olim Bernardi q. Dominici Bernardi de Avexanis de Imola, unam domum cum caxamento orto et terreno contiguis positam in burgo Pioli civitatis Imole, quam domum vendi voluit et pretium ipsius solvi in hedifitio ecclesie dictorum fratrum, scilicet quando dicta ecclesia ellevabitur in totum vel in parte, et voluit ipsam domum possideri usque ad tempus predictum per Iacobum q. Benedetti de Guidottis eius heredem. (*ANot.*, A Monte A., v. X, c. 10v).

1433, 7 octobris. — D. Ymigla q. Dominici Besii de Imola uxor olim Bartoli q. Iacobi Ghandarini de Imola, unum duplerium. *Societati* sol. x bon. (L. cit., c. 85v).

1434, 27 maii. — D. Catalina q. Michaelis de la Mastella habitans Imole, unum duplerium. Reliquit capelle S. Christine in ecclesiam unam tabullam pro ornatu dicte capelle lib. duodecim bon. *Comissarios* ellegit rectorem capelle S. Christine predicte et priorem *societatis*. (L. cit., c. 138).

1435, 26 novembris et 1441, 5 maii. — Dominicus q. mag. Martini Calanchi de Imola, unum duplerium. Ecclesie S. Cassiani lib. III bon. expendendas in hedificatione campanilis novi inchoati apud dictam ecclesiam. Pro missis in ecclesiis fratrum Predicatorum, Minorum et Heremitarum de Imola lib. XII, sol. x bon. (L. cit., c. 289; v. XII, c. 397).

1439, 3 maii. — D. Çanna q. Guasparini de Flagnano uxor d. Bartolomei de Cataneis de Toranello, duo dupleria. Reliquit Contesse eius nepte lib. L bon. cum nupserit vel religionem intraverit; et si dicta Contessa quandocumque decesserit sine liberis, reliquid dictas lib. L bon. integre pervenire ad ecclesiam S. Cassiani pro dimidia et pro alia dimidia ad ecclesiam fratrum Minorum. (L. cit., v. XII, c. 59).

1440, 29 ianuarii. — Dominicus q. Iacobi Machirelli de Imola, unum duplerium. *Societati* unum duplerium; fructus et redditus unius annoalis sive unius recolectus unius petie terre laboratorie XXII pert. positam in terri. Imole in fundo Scorzarine. *Comissarios* ellegit priorem *societatis etc.* (*ANot.*, A Monte L., v. VI, c. 242).

1440, 20 iulii. — D. Laxia q. Iacobi olim Petri Blanchetti de Gratiolis de Imola uxor olim mag. Guglelmini q. fr. Philippi de Imola, lib. L bon. (*ANot.*, A Monte A., v. XII, c. 282v).

1440, 12 decembris. — Cichina q. Bartolini de Fuschis de Montecorbone uxor mag. Antonii de Gambagrossis de Imola, duplerium. D. Cillie ord. S. Clare seu S. Stefani de Imola sol. XL bon. (L. cit., c. 325v).

1441, 27 augusti. — Iohannes q. Petri Arvasini de Imola, unum corbem vini puri singulo anno tradendum dictis fratribus usque ad terminum XII annorum. *Societati* unum duplerium. (L. cit., c. 438v).



1443, 15 decembris. — Antonia q. Sancti Barbiroli de Ducia uxor Gurerii Meletti de Imola, unum duplerium; unam tovaleam et unum vax a vino capacitatis sex corbium. (*ANot.*, A Monte L., v. VII, c. 377v).

1449, 8 iunii. — D. Zelisia q. d. Francisci de Gratiolis de Imola uxor Iohannis Andree q. d. Bertucini de Campalmonte, habitans Imole, unum duplerium. *Comissarios* ellegit guardianum fratrum Minorum de Imola *etc.* (*ANot.*, A Monte A., v. XIV, c. 127v).

1449, 25 iulii. — Tonius alias Rubeus q. Pauli de Montecatone civis Imole, unum duplerium; decem corbes vini puri dandos et tradendos fratribus dicti conventus infra decem annorum a die obitus testatoris numerandorum, videlicet singulo anno ratam. (L. cit., c. 163).

Reliquerunt societati beate Marie Virginis
que congregatur in ecclesia fratrum Minorum de Imola (1).

1419, 15 decembris. — D. Iohanna q. ser Lippi de Pidianis de Imola uxor olim ser Michaelis Porcelli de Imola, unum duplerium. *Comissarios* ellegit priorem *societatis.* (*ANot.*, A Monte A., v. IV, c. 196).

1423, 1 augusti. — D. Antonia q. Çannis de Montecatone comitatus Imole uxor Maxi q. Cichini de Linario, lib. III bon. (L. cit., v. VI, c. 160).

1423, 22 februarii. — Arnaxinus q. Petri Arnaxini de Imola, treginta dupleria danda dicte *societati* in triginta annos, videlicet singulo anno unum. (L. cit., v. VII, c. 41).

1426, 1 februarii. — Tonius q. Cichini Binie de Imola *comissarios* ellegit priorem *societatis etc.* (L. cit., c. 190v).

1429, 31 mai. — D. Cichina q. Tottoli de Caxulla uxor Nassinbenis q. Ugolini Ferariensis de Caxulla districtus Imole, sol. XL bon. (L. cit., v. VIII, c. 331).

1430, 9 februarii. — Luchas q. fr. Petri olim de Liglano civis et habitator Imole, unum duplerium. Ecclesie S. Cassiani pro subsidio hedificationis campanilis novi fiendi in dicta ecclesia sive apud ipsam lib. X bon., cum fuerit ellevatus supra terram X pedes. (L. cit., v. IX, c. 29v).

1430, 9 februarii. — D. Pelegrina q. Mignelli de Imola uxor olim Iohannis Marini de Toranello habitans Imole, unum duplerium. Ecclesie fratrum S. Marie de Monte Carmelo in subsidium refitiendi campanam dicte ecclesie sol. XL bon. (L. cit., c. 30).

1449, 17 iulii. — Iacobus q. Marchi de Cataneis de Dutia civis et habitans Imole, sol. XX bon. (L. cit., v. XIV, c. 156v).

1449, 19 augusti. — D. Violante q. Iacomini de Çappis de S. Prospero uxor olim Andree q. Marchi Montini de Imola, *societati* S. Francisci (*i. e. M. V.*) lib. V [bon.]. (L. cit., c. 198).

P. SERAPHINUS GADDONI, O. F. M.

(1) Unum tantum duplerium *societati* reliquerunt actores testamentorum, quae indicamus: *ANot.*, b. G, n. 36; — A Vulpe B., v. I, c. 162; — A Monte A., v. II, c. 300; v. III, c. 153v, 155, 158; v. IV, c. 149v, 264; v. V, c. 210v; v. VIII; c. 186, 376, 401, 406v; v. IX, c. 111v; v. XII, c. 361v; v. XIV, c. 129, 141v, 164v, 169, 181v, 196, 201v, 240; — A Monte L., v. II, c. 238; v. III, c. 7. 19v; v. IV, c. 89v; v. V, c. 107v; v. VI, c. 25. 132, 335v; v. VII, c. 89; v. VIII, c. 362.

CODICOGRAPHIA

DESCRIPTIO NOVI CODICIS

DICTA IV ANCILLARUM S. ELISABETH THURINGIAE ET LEGENDAM S. CLARAE

AUCTORE FR. THOMA DE CELANO

CONTINENTIS

(*Florentiae, Bibl. Nat. Conv. S. Crucis 5. C. 5*)

Nuperrime in Bibliotheca Nationali Florentiae in codicem *Legendae Aureae* Fr. Iacobi de Voragine O. P. (1) offendi, in cuius fine additae sunt *Legenda S. Clarae* Fr. Thomae de Celano (2), necnon *Dicta IV Ancillarum* de S. Elisabeth Thuringiae lantgravia, iuxta Recensionem longiorem (3). Qui codex, cum hucusque ignotus fuerit, ob additiones istas hic breviter describitur. Longius vero immoramur in *Dictis IV Ancillarum*, quia de his plurimum adhuc disputatur (4). Cum quaestiones subtilissimae de duabus recencensionibus, altera maiore, altera minore horum *Dictorum* discutiantur, utile visum est variantes lectiones codicis florentini colligere, quae Appendicem quamdam codicis Friburgensis, ultimo in AFH fasciculi accurate descripti (5), constituunt. Longe enim rariores

(1) De ea disceptavit Ephrem Baumgartner in hoc AFH II, 11-31, et V, 210-36.

(2) Eam edidit Franc. Pennacchi, *Legenda S. Clarae Virginis*, Assisi 1910; cf. AFH III, 753-5. Cf. quoque quae de ea subnotavit Benv. Bughetti, AFH V, 237 sqq., 459 sqq., 621 sqq.

(3) De ea disputavit Diod. Henniges, AFH II, 248 sqq. III, 464 sqq.

(4) Cf. l. c. 466 sqq.; Wenck, K., *Quellenuntersuchungen... zur Gesch. der hl. Elisabeth* ap. *Neues Archiv d. G. f. ält d. GK.*, XXXIV, 1909, 483 sqq., et demum Huyskens, Alb., in Praefatione editionis suae duplicis Recensionis (p. V-LXXIV) horum *Dictorum: Der sog. Libellus de Dictis quatuor Ancillarum S. Elisabeth confectus*, Kempten und München 1911. Cf. AFH V, 608; VI, 61 sqq.

(5) A P. Pasch. Anglade, AFH VI, 61-75.

hae lectiones variantes in codice Florentino inveniuntur, qui insuper nullos locos novos, vel notabiliter immutatos praebet. Ceterum codex noster mutilus est in fine (1).

Codex novus adest Florentiae in Bibliotheca Nationali, in fundo « Conventuum suppressorum » quem dicunt, sign. « *S. Croce 5. C. 5* ». Provenit e celeberrima et codicibus olim instructissima bibliotheca Conventus ad S. Crucem, O. M. Conv., Florentiae, e quo in Bibliothecam Nat. inlatus est circa annum 1810. Ceterum in Conventum S. Crucis devenerat e parvo conventu O. M. Conv. Puppiensi. In asseruli anterioris parte interiore, attestatur enim (in parva membrana ibi adglutinata) manus saeculi XIV: « *Istum librum legendam Sanctorum fecit scribi Comas Symon et concessit eum loco fratrum Minorum de Certomundo, tempore Guardianie fr. Alberti de Mignano, ut fratres dicti loci haberent eum ad perpetuum usum* ».

Est codex membraneus in-fol. minori, 390×280 mm. constans adhuc ff. 268; scriptus ab uno librario, charactere gothico grandiore ad modum librorum choralium, sed in forma iam paulum in rotundum tendenti, saeculo XIV. Tituli Sanctorum rubricati sunt. Plures initiales simplicibus coloribus et lineis minio depictae sunt. Scriptus est binis columnis. Ligatus est asserulis ligneis qui in dorso pelle continentur. In fol. 1r. pro custodia (non numer.), index adest Sanctorum charactere quem cursivum dicunt, saeculi XV; et in eodem f. 1v. alius index item alphabeticus Sanctorum saeculi XVI-XVII. — In fine codex mutilus est, quaterno saltem uno deperdito.

Continentur in codice:

I. — Legenda aurea Fr. Iacobi de Voragine, O. Praed.

Fol. 1r. Rubrica. *Sancti spiritus adsit nobis gratia. Incipit liber legendarum plurimorum sanctorum.* Incipit Prologus. *Universum tempus presentis vite in quattuor dividitur, scilicet in tempus deviationis* etc.; uti in *Leg. aurea*, ed. Th. Graesse, Lipsiae 1850, p. 1. — Fol. 1ra. incip. Legenda. Rubrica. *Incipit Legenda de adventu Domini Nostri Iesu Christi.* Tunc incip. *Adventus Domini per quattuor septimanas agitur.* Cf. ed. cit. p. 3. — F. 4va. De S. Andrea Ap.; uti ed. p. 12.

In corpore *Legendae aureae* nullus Sanctus Ordinum S. P. Francisci (neque hic ipse) occurrit; cf. AFH V, 215 sqq. — Legenda autem S. Petri Martyris habetur f. 83ra-86va; incip. *Petrus interpretatur agnoscens;* uti ed. cit. 277 sqq.; et Legenda S. Dominici legitur f. 141r-146r: *Dominicus dicitur quasi Domini custos, vel a Domino custoditus;* cf. ed. cit. 465-83.

En paucis ordo ultimarum Legendarum: SS. Bricii, Cecilie, Clementis, Crisogoni, Catherine, Saturnini, Iacobi intercisi, Pastoris, Iohannis abb., Moysi, Arsenii, Agathonis abb., « Ystoria de Barlaam heremita », Pelagii pape. — Huic legendae insertum quoque est f. 242ra-245rb. *Chronicon Longobardicum* (tamen absque titulo), uti in ed. cit. 824-44. Cf. de hoc AFH V, 213. In *Chronico* f. 245rb. legitur etiam *locus de S. Elisabeth Thuringiae:* « Eo tempore fuit sancta Elisabeth, filia regis Ungarie, que fuit uxor langravii, que inter alia innumera miracula plures mortuos suscitavit et cecum natum illuminavit. De cuius corpore usque hodie oleum fluere perhibetur. — Octone deposito » etc., uti in ed. cit. 844; cf. AFH V, 211.

Explicit *Legenda aurea* cum *Legenda in dedicatione ecclesie.* f. 245rb-248vb. Inc. *Dedicatio ecclesie inter alias festivitates sollempniter celebratur.* Explicit *in secula benedictus.* Ed. cit. 845-57.

(1) Cf. p. 327.



Postea hi versus:

Qui legis hec dicta sanctorum sanguine picta,
Fac, ut sis ita; nec fallax hec tua vita
Alliciat vanis mendacibus et male sanis.
Plorans exora, patiens sic esse labora.

Postea statim sine auctoris nomine sequitur:

II. — Legenda S. Clarae auctore Fr. Thoma de Celano, O.F.M.

F. 249ra. Rubrica. *Proemialis epistola summo pontifici destinata super legenda S. Clare.* Tunc inc. *Quasi veterani mundi senecta vergente* (sic) *fidei caligabat.* Postea f. 249rb. Rubrica. *Incipit legenda sancte Clare virginis et primo de ipsius ortu.* Incip. *Venerabilis femina Clara vocabulo et virtute de civitate Assisii.* F. 253va *Secundum opusculum de miraculis s. Clare postquam de mundo transivit.* F. 259vb. *Canonizatio S. Clare... Acta... pontificatus domini Alexandri anno primo. Ad laudem nostri Iesu Christi qui* [uti plura MSS.] *cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* — Cf. edit. Pennachi, 1-95.

Capita, eorumque series et ordo cum editione cit. concordant. Ubi in aliquibus capitibus plura miracula enarrantur, codex iste, non secus ac alii plures, rubro toties notat: *Miraculum.*

In genere cum variantibus maioris numeri codicum codex Florentinus convenit, uti cursim adnotavimus. Nobis autem modo expedire non videtur has variantes lectiones recensere. En paucae tantum speciminis causa. P. 1, l. 5 male habet *mutabat* pro *nutabat.* — P. 1, 1 item male *gurgitate* pro *gurgite.* — P. 3, 6 item *transituri* pro *transcurri.* — P. 5, 14 post *ipsum lumen* add. *mundum;* et quidem recte cum CDER. Sigla haec explicantur AFH V, 240 s. — P. 7, 3 pro *cum,* uti et CDE, habet *quoniam.* — P. 11, 3 pro *quid,* uti et alii, habet *quando;* etc., etc.
Postea immediate sequuntur:

III. — Dicta IV Ancillarum S. Elisabeth, mutila, iuxta Recensionem longiorem, sed praemisso *Prologo* Recensionis brevioris.

Prologus Recensionis longioris editus est AFH III, 480-6, et deinde a Huyskens, l. c. 1-9. — Prologus autem Recensionis brevioris habetur ap. Huyskens, l. c. XXXI, ex Montalembert-Staedler, *Leben der hl. Elisabeth von Ungarn,* 2. Ausg., Aachen 1845, p. CLII. Ideo *Prologum* denuo hic edimus.

surtout à la subsistance de filles chassées de leurs couvents par ses guerres en Flandre, en Picardie et dans le Hainaut. Voir sur ces couvents H. Lemaitre: AFH IV, 713 ss. La lettre royale ne fut enrégistrée au parlement que le 7 sept. 1482 (20). Cependant les Conventuels liguèrent dans une même coalition les Clarisses de Longchamp et de Saint Marcel, les Quatre Ordres Mendiants à Paris, le curé de Saint-Pol, etc., l'Université, et par-dessus tout, Anne de Beaujeu, fille Louis XI. Le roi autorisa celle-ci à fonder, dans le couvent même des Béguines un couvent de Clarisses Colettines, mars 1481 (22). L'on sait que les Colétans et les Colettines restaient sous l'obédience des Ministres provinciaux Conventuels. Les deux dernières Béguines entraînées d'abord dans la même opposition, se désistèrent bientôt et passèrent chez les Tertiaires. Celles-ci s'opposèrent donc, et il en résulta un long procès (1481-82), dont le R. P. Gr. publie plusieurs pièces, plaidoyers des avocats qui y firent briller leur art tout spécial. Relevons quelques assertions. Les religieuses installées à l'Hôtel des Béguines ne seraient pas du Tiers-Ordre, puisque « *St. François fonda ung tiers ordre, et y sont mariées et se appellent les pénitens* » (25). Et l'avocat des Tertiaires de répondre que « *soub le Tiers-Ordre il y en a qui vivent in Observancia regulari, et il y en a plus de XL convents en ce royaume. Or sont venues de Tournay, de la Bassée et autres... qu'elles sont bien renommées et non possunt advolare ad nuptias* » etc. (27). Les Conventuels voulaient à tout prix empêcher les Observants, qui devaient être chapelains de l'*Ave Maria*, de s'établir dans Paris. Les Tertiaires eussent-elles reconnu l'autorité du Ministre et non celle des Vicaires, les Conventuels ne se seraient pas opposés aux Soeurs, soit comme Tertiaires, soit comme Clarisses (28 ss.). La reine Charlotte de Savoie entra alors dans l'affaire en faveur des Observants (31-4). Enfin l'arrêt fut prononcé le 2 sept. 1482 et publié le 9. Les Tertiaires y sont maintenues en possession de l'*Ave Maria*, mais à condition que les Observants en soient à jamais exclus (35-9). Les Ordres mendiants avaient allégué contre l'admission des Observants, entre autres choses, que « *grande periculum eo quod extranei, eciam Flandrie et alibi in domo predicta venirent et hospitarentur, immineret* » (37); que les Observants étaient toujours en brouille avec les autres religieux etc.; « *propter que Doctor Bonaventura suo tempore* [!] *conventum suum de Observancia facere noluerat... Illi de observancia non predicant verbum Dei* [!] *neque student in theologia sicut ceteri religiosi Ordinis S. Francisci qui multum proficiunt* », etc. — Or Sixte IV, par sa bulle *Eximiae devotionis* (18 juin 1478) avait octroyé à Charlotte de Savoie la permission de fonder plusieurs couvents de Clarisses, et par son bref *Concessimus pridem* (8 févr. 1482; texte 40-1) il statua que ces couvents dépendraient des Observants. En sus, les Observants avaient obtenu pour toutes les Clarisses la faculté de suivre les Statuts des Colettines de 1434 (AFH II, 484; AFH V, 386). Cependant les Conventuels obtinrent la bulle *Hodie dilectis* (29 juin 1482), mettant à néant toutes ces concessions et interdisant aux Observants de s'ingérer dans le gouvernement des Colettines et de toutes les Clarisses de France, (*Firmament.* p. II, f. 69). « La Cour romaine... (dit l'A. 41) était coutumière de ces contradictions; elle détruisait le lendemain ce qu'elle avait édifié la veille ». Par sa bulle *Inter Universae* (4 oct. 1483) Sixte IV permit à Marguerite d'York de fonder des couvents de Clarisses sous la dépendance des Observants (41 s.), et alors Charlotte, profitant des privilèges reçus antérieurement, érigea l'*Ave Maria* en



monastère de Clarisses sous l'obédience des Observants. Sa charte est datée d'Amboise le 10 oct. 1483, et le jeune roi Charles VIII la confirma (41 s.). La nouvelle coalition des Ordres mendiants fut inutile. Deux bulles d'Innocent VIII: *Ut inter aeternae* (Wadding, XIV, 593 s.) et *Hodie siquidem* (texte 43s.) confirmèrent tout, et de nouvelles lettres royales du 4 mai 1485 terminèrent définitivement la longue controverse (45). Le 10 juin 1485 Fr. Nicole Gilbert, O. M. Obs., prit possession du couvent de l'*Ave Maria* (texte du doc. 46-9). Six Observants prêtres étaient attachés au service des nouvelles Clarisses, qui furent formées à la vie religieuse par des Soeurs venues de Metz (50).

P. Michel Bihl, O. F. M.

⁂ *Le Protectorat catholique en Orient au XVIe siècle. — Une lettre du Père Gardien de Jérusalem en 1542,* publiée par LUDOVIC DE CONTENSON dans la *Revue d'Histoire diplomatique,* Paris, Plon-Nourrit et Cie, 1912, p. 280-288. — Cette lettre, datée du 24 Octobre 1542, est conservée dans les archives du château de Sully-sur-Loire. Elle est adressée au roi de France, François I, par le Père Dionisio Sarcognano, élu custode de Terre Sainte et gardien du Mont Sion au chapitre général de Mantoue en 1541. (Cf. P. GIROLAMO GULUBOVICH, O. F. M., *Serie cronologica dei Reverendissimi superiori di Terra Sancta.* Gerusalemme 1898, 470). Les Franciscains prisonniers des Turcs pendant 3 ans et demi, avaient été délivrés grâce à l'intervention du roi de France, mais durant leur captivité les Lieux Saints avaient été profanés; le Mont-Sion et Bethléem surtout menaçaient ruine. Le Custode demande au roi de France d'écrire à son envoyé à Constantinople, afin qu'il obtienne du sultan (dal grande imperatore de' Turchi) l'autorisation pour les religieux de remettre en état les Lieux Saints. M. Lud. de Contenson accompagne le texte de cette lettre, « mélange bizarre de latin et d'italien » de quelques notes sur les tribulations des Franciscains de Terre Sainte dans le courant du XVIe siècle et sur l'établissement du protectorat de la France en Orient qui prit naissance avec l'alliance conclue entre François Ier et Soliman contre l'empereur Charles-Quint.

P. Pascal Marie Anglade, O. F. M.

⁂ Le livre émouvant, écrit d'après de nombreuses sources manuscrites, venant du héros lui-même, de plusieurs religieux et d'autres personnes qui ont connu dans l'intimité le P. *Jean-Baptiste,* est bien digne d'éloges. Il nous reporte aux temps héroïques de la Province de Saint-Louis en France, fondée par le très zélé et austère P. Joseph Aréso. Le R. P. Jean-Baptiste était un des disciples du P. Aréso, en compagnie duquel il prêcha ses premières missions, autant et plus même par l'exemple que par la parole. Il n'y avait pas à raconter d'actions d'éclat, si l'on fait abstraction, peut-être, des pénitences excessivement rudes du P. J.-B. Il fut, un Frère Mineur humble et caché, portant la parole évangélique de préférence dans les bourgs et les villages, mais héroïque dans l'abnégation et la pénitence, dans l'oubli de soi et l'amour de Dieu. — [Titre extérieur]: P. CÉLESTIN-MARIE SANT, O. F. M., *Du Presbytère au Couvent.* [Titre intérieur]: *Le Révérend Père Jean-Baptiste de Beauvais, Missionnaire Franciscain. Notices biographiques,* Paris, Vict. Lecoffre, J. Gabalda, [1912] in-8°, X, 262 pp. — Louis-Jean-Baptiste Caron naquit à Blancfossé, au diocèse de Beauvais, le 30 avril 1811. Son père était tonnelier. Il entra au collège mixte de Beauvais le 8 oct. 1825 (4). Ses études terminées au grand séminaire de Beauvais, il fut ordonné prêtre le 10 sept. 1836 (14). Après avoir desservi la pe-



tite paroisse de Verderel de 230 habitants, l'abbé Caron fut nommé « vers 1839 » à la succursale de Brombos (19), et en 1849 curé d'Halloy (21). Il y fut un prêtre zélé, très retiré et mortifié. Le 2 févr. 1853 il revêtit la bure franciscaine au couvent des Observants d'Amiens (73); il y fit sa profession le 3 févr. 1854. Les austérités faisaient les délices du P. Jean-Baptiste. Au mois de mars suivant il partit, pour sa première mission à Ménaucourt, à 14 lieues d'Amiens (97). L'A. nous donne parfois beaucoup de détails sur ces missions (93-155), sans dire cependant quel système on y suivait. Il a toutefois soin de nous renvoyer au *Manuel des Missionnaires Franciscains*, publié par le P. Aréso, en 1864 (121). Le 23 nov. 1860 le P. Jean-Baptiste fut nommé gardien du couvent d'Amiens (141). Il y mourut le 8 juillet 1866, emporté par le choléra (233). Les obsèques du « *Saint* » furent grandioses. — Une grande partie du livre (157-230) nous décrit (non sans quelques généralités et d'après un plan bien connu) les vertus du P. J.-B. — Celui-ci publia une petite *Notice sur les fondations franciscaines en France*, Bolbec 1859, in-8°, 100 pp. Il a laissé plusieurs MSS. de *Notes* et *Souvenirs* très intimes.

*** Voici une autre biographie, qui nous rapelle, elle, des souvenirs d'hier. P. MARIE LUCIEN DANÉ, O. F. M., *Victime pour Dieu, pour la France. Vie du P. Michel Fabre, Franciscain, aumônier militaire au Maroc († 1912). Préface par M. le Comte* A. DE MUN, *de l'Académie française*. Vanves, Imprimerie Franciscaine Missionnaire, 16 Route de Clamart [1912] in-8°, XL, 298 pp. Nombreuses illustrations. — Cyprien-Marius Fabre, né à Montclarat, dans le Rouergue, le 25 nov. 1880 (3), entra au Collège Séraphique de Bordeaux, au mois de mai 1893 (20), et de là il passa au Noviciat de Pau, où il prit l'habit le 12 août 1898 en échangeant son nom de baptême contre celui de Michel. Vers la fin de 1901, il fut incorporé, à Lyon, au 158e d'infanterie alpine (70), où il resta ses trois ans réglementaires (68-84). Pour reprendre l'habit religieux, il dut alors se rendre chez ses Confrères exilés, à Fribourg (Suisse). Il y fit sa profession religieuse le 4 août 1905 (100) et, le 11 août 1907, il y fut promu au sacerdoce (133). Les aspirations du jeune religieux allaient aux Missions étrangères. Mais bien que ce désir n'eût jamais subi de déclins en lui, et qu'il ne se fût pas montré trop enclin à l'étude, le P. Michel fut nommé (juillet 1908) professeur au Collège Séraphique, transporté à Fribourg (148 ss.). En mai 1911 il fut destiné au Maroc comme aumônier militaire, avec trois de ses Confrères (162 ss.). Arrivés à Rabat, le P. Michel voulut se prodiguer pour le bien spirituel, et même moral et temporel, des soldats français (190 ss.). Mais le zèle des Aumôniers militaires *libres* eut à subir bien des déceptions et des entraves, jusqu'à ce que le Ministère de la Guerre et le Géneral en chef les eussent reconnus officiellement (240 ss.). De Rabat le P. Michel alla à Meknès et puis à Fez (183 ss.). On se souvient encore, comment, le 17 avril 1912, les troupes chérifiennes, après avoir massacré leurs officiers, se ruèrent, avec la populace, à l'assaut des maisons où se trouvaient des Français. Le P. Michel crut pouvoir, en sa qualité de *marabout*, calmer les révoltés,... il tomba, la gorge coupée et percé de plusieurs coups de poignards (266 ss.). Moins de hors-d'œuvre et de longueurs fatiguantes auraient, sans doute, augmenté l'intérêt de ce livre, dont la première partie, toute paisible, est suivie de chapitres palpitants des surprises et des horreurs de la guerre et du massacre final. — Le livre est richement illustré. Les vignettes, dont une grande partie est bien réussie, sont du R. P. Bernardin-Marie Fernique, O. F. M.



⁂ On vient de publier une « nouvelle édition » du célèbre ouvrage du: P. AMBROISE DE LOMBEZ, [O. M. Cap.], *Traité de la Paix intérieure.* Paris, Librairie S. François; Couvin, Maison St.-Roch, 1912, in-12° XVI, 339 pp. (2 fr.). (*Nouvelle bibliothèque franciscaine,* Ire Série, XXVe vol.). La Préface biographique sur l'auteur est tirée de J. Bénac, *Le P. Ambr. de Lombez,* Paris 1908. Voir AFH V, 402.

⁂ Le R. P. UBALD D'ALENÇON, O. M. Cap., publiera sous peu: *Les Noces mystiques de S. François et de Madame la Pauvreté,* première traduction française. **P. Michel Bihl**, O. F. M.

RUSSIE. — KONRADI, V. *Un livre sur St. François.* (Kniga o Sviatom Francisckié), St. Pétersbourg, 1912. — Ce livre n'est pas une étude savante sur Saint François, mais seulement une traduction de quelques chapitres de ses biographies les plus anciennes. Dans une courte préface l'auteur esquisse très sommairement l'état moral et religieux d'Italie au XIIIme siècle et donne ensuite une caractéristique du rôle de St. François et de son idéal — la vie d'après les conseils de l'évangile et l'exemple du Christ et de ses apôtres. Avant lui le monde aurait été plongé dans un désespoir profond, et n'attendait que l'arrivée du jugement dernier et de la vengeance divine pour les péchés: St. François à délivré la nature et la beauté du pouvoir du diable et les a restituées a Dieu; la joie est devenue chez lui une vertu canonique. L'Auteur ajoute aussi une esquisse du développement de l'Ordre depuis sa naissance jusqu'à la fin du XIIIme siècle, et trouve l'influence du Saint et de ses idées dans toute la vie religieuse et intellectuelle de l'Italie.

Les chapitres traduits sont puisés dans les Légendes de Thomas de Celano, le Speculum Perfectionis (éd. Sabatier) et les *Fioretti* (les premiers 26 chapitres, excepté le chap. 19me), et ils sont censés présenter une caractéristique presque complète du Saint. Voici les chapitres choisis par le traducteur (j'en retiens aussi la disposition: 1°) *I Cel. I,* ch. IX, X, XII, XV, XXII, XVI, XIX; 2°) *Spec. Perf.* ch. 62, 64, 68, 50. Viennent ensuite 3°) *I Cel. II,* XXIX; *Spec. Perf.* 7, 10, 83, *II. Cel.* XXXVII; *Spec. Perf.* 4, 67, 20, 23; *II. Cel. II.* XLV; *Spec. Perf.* 75, 57; *II. Cel. II.* LXXXII; *I. Cel.* XXX; *II. Cel.* LXI; *Spec. Perf.* 95; *II. Cel.* XCI, LXXXIX, XC, LIII, LXIII; *Spec. Perf.* 27, 28, 58; *I. Cel.* XXVIII; *Spec. Perf.* 114; *II. Cel.* CXXV; *Spec. Perf.* 119 118; *I. Cel.* XXIX; *Spec. Perf.* 100, 101, 71; *I. Cel. II,* ch. VI, IV; *II. Cel.* CLX; *Spec. Perf.* 121, .121, 112; *I. Cel. II,* VIII (une partie), enfin le testament du Saint, la lettre au Frère N. La traduction est assez exacte et conserve, tant qu'il est possible, la beauté et la grâce de l'original. Il y a beaucoup d'illustrations, reproduisant des tableaux et des miniatures qui se rapportent à la vie du Saint. **Claudia Florovsky.**

SUISSE. — A l'occasion du deuxième centenaire de la reconstruction du couvent des Cordeliers de Fribourg, le R. P. BERNARD FLEURY, O. Min. Conv., donne dans les *Nouvelles Etrennes Fribourgeoises,* Fribourg, Fragnière frères, 1913, 49-54, une intéressante notice sur *l'Ancien couvent des Cordeliers et le Couvent actuel (1256-1712),* accompagnée de deux gravures représentant le couvent en 1584 et en 1606. — Le couvent des Frères Mineurs de Fribourg fut fondé en 1256 par Jacques de Riggisberg, bourgeois de la ville; la construction en était achevée en 1281, époque à laquelle s'y tint le Chapitre de la Province de Strasbourg, dont Fribourg et les couvents de la Suisse allemande dépendaient (cf. Glassberger, AF II, 94). Au commencement du XVIIIe siècle les anciens bâtiments menaçant ruine, on décida la recon-



struction du couvent; la première pierre en fut posée le 18 mai 1713 par Mgr. Jacques Duding évêque de Lausanne; et grâce à la générosité de l'Etat et des fidèles, les travaux étaient terminés en 1725. De tous le couvents que la Province de Haute Allemagne possédait en Suisse, celui de Fribourg seul a subsisté jusqu'à nos jours; les autres ont été supprimés, soit à la Réforme, soit dans le courant du siècle dernier.

⁂ Les couvents franciscains de le Suisse romande: Lausanne, Genève, Grandson, Nyon (*Nividunum* que le P. Eubel, *Bull. Franc.*, V, 358, identifie à tort avec Yverdon, v. Pisanus, AF IV, 541; V, 505) et Morges appartenaient à la Province de Bourgogne.

⁂ MAXIME REYMOND, *L'Eglise Saint-François de Lausanne,* dans la *Feuille d'Avis de Lausanne,* 1er et 2 août 1906. Fondé en 1256-1258, le couvent de Lausanne exista jusqu'à la Réforme. C'est dans l'église de Saint-François que Pierre Viret commença ses prédications en mars 1536. Depuis elle sert de temple protestant, fréquenté par la bourgeoisie de Lausanne.

⁂ P. BERNARD FLEURY, O. M. Conv., *Fondation et suppression du Couvent des Cordeliers de Grandson,* communication faite à la Société d'Histoire du Canton de Fribourg dans la séance du 23 novembre 1905 et publiée dans la *Revue d'Hist. ecclés. Suisse,* t. I, Stans 1907, p. 133-137. Le bulle de fondation de Nicolas IV est datée du 12 décembre 1289. Les Frères se fixèrent d'abord à Liserne, près de Grandson; on les trouve établis à Grandson dès 1308. Le couvent disparut en 1554; ses religieux se retirèrent au couvent de Fribourg, où ils introduisirent la langue française.

⁂ M. FR. DUBOIS publie dans la même revue (t. III, 1909, p. 47-50) *Quelques notes sur les Cordeliers de Grandson* extraites de différentes archives. On y trouve la liste des religieux en 1471 et l'inventaire de reliquaires et vêtements du couvent dressé le 26 novembre 1554 en présence des ambassadeurs de Berne et de Fribourg.

⁂ A signaler dans les *Mitteilungen des Historischen Vereins des Kantons Solothurn* (Heft 5, Solothurn, C. Gassmann, 1910) l'étude de M. JEAN MÖSCH: *Die Solothurnische Volksschule vor 1830,* où l'on trouve (p. 21) quelques indications sur les écoles que tenaient à Soleure les Cordeliers avant leur suppression.

⁂ Dans la *Statistique des Saints Patrons des églises du diocèse de Lausanne au Moyen-âge* dressée par M. MICHEL BENZERATH, *Revue d'Hist. eccl. Suisse,* VI, 1912, p. 81-115 et 187-228, nous relevons les titulaires des églises franciscaines du diocèse: *Frères Mineurs:* Lausanne, S. François d'Assise (p. 93). — Morges: B. V. Marie (p. 100). — Grandson, S. François (p. 104). — Soleure, B. V. Marie, Ste Croix et S. François (p. 111). — Fribourg, Ste Croix (p. 208). — Berne, T. SS. Trinité (p. 214). — *Clarisses:* Orbe, Ste Claire (p. 105). — Vevey, Ste Claire (p. 138). **P. Pascal Marie Anglade,** O. F. M.

⁂ M. THEODOR VON LIEBENAU, directeur des Archives de l'Etat à Lucerne, vient de publier la monographie promise sur le célèbre Fr. Mineur Conventuel Thomas Murner. Les deux articles publiés ici-même: V, 727-6; VI, 118-28, ont un rapport direct avec son livre, auquel ils servent de pièces justificatives. Nous aurons à revenir sur cet ouvrage très érudit. *Der Franziskaner Dr. Thomas Murner* VON DR. THEOD. VON LIEBENAU, Freiburg i. Br., Herder, 1913, in-8°, VIII, 266 pp. (M. 7,00). Cette monographie forme le fasc. 4e et 5e du vol. IX des *Erläuterungen und Ergänzungen zu Janssens Geschichte des deutschen Volkes,* publiées sous la direction de M. L. von Pastor. **P. Michel Bihl,** O. F. M.



III. — Chronica Minoritica.

A). — *Acta Ordinis FF. Minorum.*

Novi Episcopi. — Decreto Apostolico d. 29 aprilis 1912 Cathedrali Ecclesiae Monasteriensi praefectus est R. P. Aloisius Nisić, O. F. M., Provinciae Bosnae Argentinae Minister Provincialis; qui d. 18 iunii in ecclesia S. Antonii de Urbe episcopalem consecrationem accepit.

⁂ Sacrae Congregationis Consistorialis decreto diei 14 decembris 1912 ad Cathedralem ecclesiam Banialucensem evectus est R. P. Iosephus Garić, Provinciae Bosnae Argentinae filius; qui die 20 februarii 1913 in ecclesia S. Antonii de Urbe consecrationem episcopalem accepit.

In Curia Generalitia. — In congressu Definitoriali d. 4 nov. 1911 in Secretarium Generalem assumitur P. Marcus Della Pietra in Collegio S. Antonii de Urbe Sacrorum Canonum Lector; qui muneris sui onus definitive suscepit die 29 dec. eiusdem anni.

⁂ In Congressu Rmi Definitorii Glis habito d. 23 iunii 1912 R. P. Franciscus M. Paolini, Prov. Corsicae, ad aliud sexennium confirmatus est in munere Postulatoris Glis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei.

Acta scientifica. — In *Concursu Generali* a d. 27 iunii ad 4 iulii 1912 in S. Antonii Collegio de Urbe peracto, 18 alumni Lectoratum Generalem obtinuerunt; inter quos ad Historiae Ecclesiasticae cathedram evecti sunt: P. Alexander Amaro, Prov. Boeticae; P. Gherardus Polidori, Prov. Romanae S. Mariae in Aracoeli; P. Ioseph Sendagorta, Prov. Carthaginensis; P. Marcellus Scartabelli, Prov. S. Bonaventurae Tusciae; et P. Bruno Katterbach, Prov. Thuringiae.

⁂ Die 6 februarii 1913 Summus Pontifex Pius X Collegii S. Antonii de Urbe alumnos cum ipsorum Praeside et Lectoribus in audientia benignissime recipere dignatus est, paternoque sermone respondit allocutioni, quam Rmus Pater Generalis omnium nomine ad Sanctitatem Suam direxerat. Cf. *Acta Ord. FF. Minorum,* XXXII, 1913, fasc. III, p. 60-70.

⁂ Pontificiae Commissioni, quae ad normam Apostolicae Constitutionis *Divino afflatu* d. 1 nov. 1911 Psalterio reformando, ut iam in officio ecclesiastico receptum est, incubuit, adnumeratus erat P. Paschalis Brugnani, O. F. M., Provinciae Assisiensis S. Francisci alumnus et SS. Congregg. S. Officii et S. Rituum consultor.

⁂ P. Bartholomaeus Filippone, O. F. M., Prov. Aprutiorum alumnus et physicae scientiae studiosissimus cultor, machinam anno 1912 invenit, publico iure ipsi iam recognitam, cui titulum indidit: *Parascontri di treni. Autoavvisatore elettrico che suona, parla, frena e telefona.* Hoc instrumento vaporitrahae uno eodemque tramite alia in aliam currentes ex seipsis sistunt, ductores periculo admonentur, atque inter se dissiti loqui possunt. (*La Voce di S. Antonio,* XVIII, 1912, p. 21-23).

⁂ Apud Pisauriense Musicale Lyceum, quod a *Ioachimo Rossini* nomen accepit, mense iulio ann. 1911 P. Marcus Ugolini, O. F. M., Prov. Bononiensis SS. Redemptoris, titulum in Musica Sacra Magistri honorifice consecutus est.

⁂ Eadem laurea in Musice Magistri summis laudibus insignitus est in Taurinensi musicali Lyceo *Giuseppe Verdi,* mense iunio 1912, P. Robertus Rosso, O. F. M., Pedemontanae Prov. alumnus, qui iam anno 1910 in eodem Lyceo organorum Modulatoris licentiam obtinuerat.

⁂ In urbe Ljubljana (Laibach) Carniolae, diebus 13, 14, 17 et 22 martii 1912 publicae auditioni maximo omnium plausu datum est mu-



sicum oratorium slavorum lingua conscriptum, cui titulus: *Vnebovzetje Blažene Device Marije* [Assumptio B. V. Marie]. Ljubljani, Zaloz. Katol. Bukvarna, 1912, gr. in-8°, 106, IV pp. Eius auctor est R. P. HUGOLINUS SATTNER, O. F. M., Prov. S. Crucis Carnioliae filius et in ea civitate Parochus, qui antea iam alterum Oratorium composuerat: *Jeftejeva prisega* [*Votum Jephte*], ibidem, 1911, in-4°, 29 pp.

⁂ R. P. ANDREAS CORNA, O. F. M., Prov. Bononiensis S. Catharinae, huius Periodici Collaborator, d. 12 novembris 1911 in rerum scriptorum Academia, cui titulus *Regia Deputazione di Storia Patria per le Provincie Parmensi,* qua *Socio corrispondente* connumeratus est. Eius scripta de re historica vide memorata apud AFH II, 355-6; III, 787; IV, 186-7, 618; V, 394; quibus nuperrime accessit opus plurimis tabulis illustratum: *Castelli e Rocche del Piacentino,* Piacenza, Unione tip. Piacentina, 1913; in-8°, pp. VIII, 281.

⁂ In eiusdem generis Academia, quam vocant *R. Deputazione di Storia Patria per le Provincie della Romagna,* Socius adscitus est d. 18 ianuarii 1913 P. SERAPHINUS GADDONI, O. F. M., eiusdem Provinciae alumnus, itemque nostri Periodici Collaborator. Opera historica ab eo edita item vide recensita apud AFH II, 149-51; IV, 774-8; V, 155, 397 (cui adde vol. II iam typis proditum: *Chartularium Imolense. Archiva Minora (1033-1200).* Ib. 1912; pp. XXII, 533). Edidit quoque: *L'estimo di Bubano del secolo XIV* (Extr. ex *Atti e Memorie della R. Deput. di S. P. per la Romagna,* IV Serie, vol. II), Bologna, Stab. Poligrafico Emiliano, 1912; in-8°, pp. 32.

⁂ Decreto S. Maiestatis Imp. et Apostolicae, Francisci Iosephi Austriae Imperatoris, R. P. ADIUTUS TROGER, O. F. M., in Gymnasio publico Fratrum Minorum Hallae in Tyroli Septent. Historiae Professor, inter Consiliarios S. M. I. Scholasticos adlectus est, martio anni 1913, cum semestrem LXXXum publici magisterii ageret.

⁂ Die 19 novembris 1912 in universitate Rhenana Bonnensi, R. P. ELZEARIUS SCHULTE, O. F. M., Provinciae Saxoniae, postquam studia theologiae iuxta ordinem praescriptum tentaminaque absolvit superavitque, ad Doctoratus in S. Theologiae gradum « summa cum laude » admissus fuit.

⁂ Die 18 ianuarii 1913, R. P. DAGOBERTUS STOECKERL, O. F. M., Provinciae Bavariae alumnus, post rite emensum studiorum curriculum, examinaque feliciter evicta, ad summos in Theologia honores academicos in universitate Monacensi, nota quidem « prorsus insignis », assumptus est. In Quaestione sua Inaugurali egit: « *De S. Francisco in Chronicis saeculi XIII* ». Dissertatio vero item inauguralis tractabit « *De Fr. Davide ab Augusta, mystico, Ordinis FF. Minorum* ». Inter LXX theses dicto die in disceptatione publica defendendas hae nobis notandae: IX: « *Stigmatizatio S. Francisci est factum historicum* », X: « *Indulgentiam Portiunculae a S. Francisco non esse impetratam adhuc non demonstratum est* »; XI: « *In oppugnandis Waldensibus David de Augusta non omni modo excusari potest* »; XII: « *Concionator Bertholdus de Ratisbona discipulus erat Davidis de Augusta* ».

⁂ Mense novembri 1912 ineunte, R. P. LAMBERTO SCHULTE, O. F. M., Provinciae Silesiae, Facultas S. Theologiae Universitatis Vratislaviensis Doctoratus S. Theologiae gradum honoris causa, ob plura opera historicae disciplinae ad regiones illas spectantia, unanimi plausu dandum decrevit. Promotio ergo sollemni ritu peracta est die 18 decembris in ecclesia S. Aegidii Vratislaviae, Adm. Rev. Decano Ordinis Theologorum



congratulante illustri candidato. (Septuaginta enim annos natus est, et Ordinis S. P. Francisci habitum induit anno 1909, postquam Directoris Gymnasii munus sponte resignavit; cf. AFH III, 374).

B). — *Acta Ord. Min. Cappuccinorum.*

Novus Episcopus. — Litteris apostolicis d. 21 aug. 1912 ad Sedem tit. Tanagraeae evectus est B. P. SALVATOREM WALLESER, Prov. Rhenanae alumnus, necnon Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Marianensis et Carolinensis designatus.

Examinator Apostolicus Cleri Romani. — Rescripto Cardinalis Vicarii d. 4 februarii 1912 inter Cleri Examinatores ad normam Constitutionis Apostolicae *Etsi Nos* d. 1 ian. 1902, confirmatus est Rmus P. PAULINUS A PALMA, Prov. Romanae, Definitor Glis.

Nova domus et nova Ecclesia Collegii Internationalis de Urbe. — Die 1 novembris 1911 ab Emo Cardinali Vives y Tuto benedictae sunt aedes novi Collegii Seraphici Internationalis de Urbe, cuius alumni et Rectores iam die 28 octobris ad peculiarem audientiam Summi Pontificis admissi erant. — Die vero 28 ianuarii 1912 Rmus D. D. Paulus Marcus Tei, O. M. Cap., Episcopus Pisauriensis, novam Ecclesiam S. Laurentii Brundusini, Collegio contiguam, sollemni pompa consecravit. Ecclesiae constructioni praefuit Ioannes Baptista Milani architectus; eamque picturis decoravit Georgius Soldatić. *Anal. Capucc.* XXVII, 1911, 372s.; XXVIII, 447. **Directio Periodici.**

LIBRI RECENTER AD NOS MISSI

Quorum praecipui in *Bibliographia* huius Periodici accurate discutientur.

Historia Franciscana.

[Anonyme]. — *Les Soliloques du Bx. Père Paul de Ste Madeleine... adapté du latin en français.* Montréal, 1912. In-24°, XIV, 200 pp. Cf. 412.

Célestin-MARIE SANT, O. F. M. — *(Du Presbytère au couvent). Le R. P. Jean-Baptiste de Beauvais, Missionnaire Franciscain. Notice Biographique.* Paris, Lecoffre-Gabalda, [1912]. In-8°, X, 262 pp. (3 fr.) — Cf. 424.

Dreiling, RAYMUNDUS, O. F. M., Dr. — *Der Konzeptualismus in der Universalienlehre des Franziskanererzbischofs Petrus Aureoli nebst biographisch-bibliograpischer Einleitung (Teildruck). M. Inaugural-Dissertation.* Münster i. W., Aschendorff, 1913. In-8°, 70 pp. — Cf. 409 s.

Edouard D'ALENÇON, O. M. Cap. — *Les premiers couvents des Frères-Mineurs Capucins. Documents et souvenirs de Voyage. Extrait des « Etudes Franciscaines ».* Paris et Couvin, 1912. In-8°, 27 pp. Illustré.

Frédéric DE GHYVELDE, O. F. M. — *Saint François d'Assise. Nouvelle édition; XIIe mille.* Montréal, 1913. In-12°, XII, 492 pp. — Cf. 412.

Gratien, O. M. Cap. — *Un épisode de Réforme catholique avant Luther. La fondation des Clarisses de l'Ave-Maria et l'établissement des Frères Mineurs de l'Observance à Paris (1478-1485).* Couvin et Paris 1913. In-8°, 52 pp. — (2 fr.). — Cf. 422.

Landini, GIUSEPPE, C. R. S. — *Il codice Aretino 180. Laudi Antiche di Cortona* (Manoscritto della Biblioteca della Fraternità dei Laici d'Arezzo), Roma, Tip. Editrice Nazionale, 1912. In-8°, 107 pp.

Lanzoni, FRANCESCO. — *La Sorella di S. Francesco d'Assisi.* Conferenza letta nel teatrino dei Salesiani di Faenza alle donne cattoliche faentine il 19 dicembre 1912. Quaracchi, Tip. del Coll. di S. Bonav., 1913. In-8°, 16 pp. — Cf. p. 401.

Liebenau, THEODOR VON, Dr. — *Der Franziskaner Dr. Thomas Murner.* Freiburg im Br., Herder, 1913. In-8°, VIII, 266. — (M. 7,00). — Cf. 428.



Louis de Gonzague, O. M. C. — *Une page de l'Histoire du Brésil. Monseigneur Vital (Antoine Goncalvès de Oliveira) Frère Mineur Capucin, évêque d'Olinda. (Archives Franciscaines N° 6).* Paris, Librairie S. François; Couvin, Saint-Roch, 1912. In-8°, X, 398 pp. — (5 fr.).

Lucien, DANÉ, O. F. M. — *Victime pour Dieu, pour la France. Vie du R. P. Michel Fabre, Franciscain aumônier militaire au Maroc († 1912).* Vanves, Imprimerie Franciscaine Missionnaire, [1912]. In-8°, XL, 298 pp. Illustré. — (3 fr. 50). Cf. 425.

Mariotti, CANDIDO, O. F. M. — *S. Francesco, i Francescani e Dante Alighieri.* Quaracchi, Tip. del Coll. di S. Bonaventura, 1913. In-8°, VIII, 123 pp. — L. 1,50.

Matrod, H. — *Notes sur le voyage de Fr. Jean de Plan-Carpin 1245-1247.* Couvin et Paris, 1912. In-8°, 80 pp. — (2 fr.). — Cf. 421.

Ricci, GIOVANNI, O. F. M. — *Il Fratello di una Martire. Memorie del P. Barnaba da Cologna, O. F. M. Missionario Apostolico in Cina.* Torino, Stab. Cromotipico P. Celanza e C., [1913]. In-8°, 222 pp. (Illustrato). — Cf. p. 350-4.

Schmidt, ULRICH, O. F. M., Dr. — *Mittelalterliche Deutsche Predigten des Franziskaners P. Stephan Fridolin, herausgegeben.* München, J. J. Lentner (E. Stahl) 1913. In-8°, VIII, 164 pp. — (M. 3,60). — Cf. 410.

Somigli, TEODOSIO, da S. Detole, O. F. M. — *Il P. Fortunato Vignozzi da Seano O. F. M. Missionario Apostolico nell'Alto Egitto (1857-1912).* Quaracchi, Tip. del Coll. di S. Bonaventura, 1913. In-8°, XX, 128 pp. (Illustrato). — Cf. p. 350-5.

Ubald D'ALENÇON, [O. M. Cap.]. — *Notice et extraits d'un Manuscrit du Musée Britannique: Add. 19994, relatif aux Cordelières de Noyen.* (Extrait de Annales Fléchoises 1912). La Flèche, Eug. Besnier, 1913, 13 pp.

Wörmann, ELIS. — *Fünfzig Jahre unter den Indianern Mexikos. Nach dem Vlämischen des P. Bartholomäus Verelst, O. F. M.* Trier, Paulinus-Douckerei, 1912. In-12°, 158 pp. — (M. 0,50 lig. tela, 0,80). — (*Aus allen Zonen,* vol. XIV).

— — *P. Giampietro Ferrari da Bergamo dei Frati Minori Apostolo dell' Epiro e del Montenero. Elogio funebre.* Milano, Tip. Ambrosiana, 1913. In-8°, 38 pp. con ritratto. — Cf. p. 408.

— — *Numero Unico in onore di S. Bernardino da Siena.* Carpi, Tip. Ravagli, 1912. In-4°, VI, 29 pp. — Cf. p. 406 s.

AB UNIVERSITATE UPSALIENSI NOBIS MISSI SUNT:

Curman, SIGURD. — *Bidrag till Kännedomen om Cistercienserordens Byggnadskonst. I: Kyrkoplanen. Akademisk Afhandling... af Filosofiska Fakulteten vid Uppsala Universitet för Filosofie Doktorsgradens... 20 maj 1912.* Stockholm, Centraltryckeriet, 1912. gr. In-8°, 214. pp. Illustr.

Lindstam, SIEGFRID. — *Georgii Lacapeni Epistulae X priores cum Epimerismis editae. Commentatio Academica quam scripsit et in publico latine defensurus est... in auditorio I, die XIII m. dec.* Upsaliae, Edv. Berling, 1910. In-8°, LX, 104 pp.

Lizell, GUSTAF. — *Svenska Högmessorttualet 1614-1811. I: 1614-1693. (Uppsala. Universitets Arsskrift 11. Teologi. 2).* Uppsala, Edv. Berling, 1911. In-8°, XII, 217 pp.

Nyström, TEODOR. — *Studier över Johannes Chrysostomi Etik. Akademisk Avhandling... vid Lunds Universitet... 22 nov. 1911.* Lund, Berling, 1911. In-8°, VI. 141 pp.

Oehlander, C. J. J. — *Canones Hippolyti och besläktade Skrifter. Studier i den äldsta Kyrkoordningslitteraturen. Akademisk Afhandling... af Teologiska Fakulteten i Lund... 27 maj 1911...* Lund, Hakon Ohlssons, 1911. In-8°, XIV, 391.

Westman, KNUT, B. — *Birgitta-Studier. I. Akademisk Avhandling... av Teologiska Fakulteten i Uppsala... 29 april 1911.* Uppsala, Edv. Berling, 1911. In-8°, XVI, 304 pp.

Varia.

Antoine DE SÉRENT, O. F. M. — *La méthode d'oraison du moyen-âge et ses chances de succès au XX siècle. Conférence faite à l'Institut catholique de Paris le 28 février 1912.* Lille, Librairie René Giard, 1912. In-16°, 62 pp.



Baldassarrii, Francisci, Episcopi Forocorneliensium. — *Carmina selecta*. Imolae, e praelo Unganiae et Sociorum, 1912. In-8°, 162 pp. — Cf. AFH VI, 198.

Battilana, Paolino, da Cornero, O. F. M. — *La Vergine nel concetto di Dante. Dissertazione.* (Estratto da *La Scuola Cattolica*, XL, ser. IV, vol. 22, p. 21-37). Monza, Scuola Tip. Artigianelli, 1912. In-8°, 28 pp.

Boskarolli, Emil. — *Zehn Kinderpredigten.* Brixen, Verlagsanstalt Tyrolia, 1913. In-12°, 69 pp. — (M. 0,80).

Böhm, Karl, Dr. — *Anleitung zur Ordnung von Pfarrarchiven.* II. Auflage, Brixen, Verlagsanstalt Tyrolia, 1912. In-4°, 20 pp. — (M. 1).

Denis, [Cano] O. F. M. — *Le Chemin de Croix du Tempérant.* (Extrait de « *La Tempérance* »). Montréal, 1912. In-8°, 21 pp.

Eubel, Conradus, O. M. Conv., Dr. — *Hierarchia Catholica Medii aevi, sive Summorum Pontificum S. R. E. Cardinalium, Ecclesiarum Antistitum Series ab anno 1198 usque ad annum 1431 perducta, e documentis Tabularii praesertim Vaticani collecta, digesta, edita.* Editio altera. In-4°, VII, 559 pp. — (M. 28,00).

Gaddoni, Serafino, O. F. M. — *L'Estimo di Bubano del secolo XIV.* (Estr. dagli *Atti e Memorie della R. Deputazione di S. P. per la Romagna*, Quarta Serie, Vol. II). Bologna, Stabilimento Poligrafico Emiliano, 1912. In-8°, 32 pp.

Garcia Villada, Zacarias, S. J., *Cómo se aprende a trabajar cientificamente. Lecciones de Metodologia y crítica histórica.* Barcelona, Tipogr. Católica, Calle del Pino n° 5, 1912. In-12°, 242 pp. — (2,50 ptas).

Gemelli, Augustinus, O. F. M. — *De Scrupulis. Psychopatologiae specimen in usum confessariorum.* Editio Prima, quam ex italico [in] latinum sermonem vertit Dr. Caesar Badii in seminario Faesulano professor. (*Quaestiones Theologiae medico-pastoralis.* Vol. II). Florentiae, « Libreria Editrice Fiorentina », MCMXIII. In-8°, [4], 360 pp. — L. 5.

Herbermann, Ch., G. etc. — *The Catholic Encyclopedia. An International Work of reference on the Constitution, Doctrine, Discipline and History of the Catholic Church.* vol. XV: *Turn. — Zwirner, Errata.* New York, Rob. Appleton Co. [1912]. In-40°, XVI, 800 pp. — 27,00 Fr.)

Holzapfel, Heribert, O. F. M., Dr. & **Schmoll**, Polykarp, O. F. M., Dr. — *Können wir noch Christen sein? Religionswissenschaftliche Vorträge.* München, J. J. Lentner, 1913. — In-8°, IV, 82 pp. — (M. 0,90).

Hugolin, O. F. M. — *L'Invincible Obstacle.* Montréal, 1912. In-12°, 48 pp. — (5 Cents). — [Roman anti-alcoolique].

» » *La Lutte anti-alcoolique dans la Province de Québec depuis 1906.* (*L'Ecole Sociale populaire. Publication mensuelle*, n° 8). Montréal, Secrétariat de l'Ecole sociale populaire, 1912. In-12°, 32 pp. — (4 Cents).

Ioannis (B.) Duns Scoti, Doctoris Subtilis et Mariani O. F. M., — *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum, Novis curis edidit* P. Marianus Fernandez Garcia O. F. M. Tom. I. *In lib. Sententiarum.* Ad Claras Aquas ex Typ. Coll. S. Bonaventura, 1912. I-8°, XXXVI, 1351 pp. — L. 12; dimidia pelle lig. L 15.

Maas, Otto, P., O. F. M. — *Der Buddhismus in alten und neuen Tagen. Ergebnisse der wissenschaftlichen Forschung weiteren Kreisen dargeboten.* Mit 4 Einschaltbildern. 1-2 Tausend. Hamm, (Westf.), Breer & Thiemann. In-12°, [II], 162 pp.

Rosati, N(azario), O. F. M. — *Nuovo Pellegrin d'Amore. I canti d'Oriente.* Gerusalemme, Tip. dei PP. Francescani, 1913. In-16°, 164 pp.

Settimio da Firenze, O. F. M. — *Il Mese di Giugno consacrato a S. Antonio di Padova.* III Edizione. Quaracchi, Tip. del Coll. di S. Bonaventura, 1913, In-24°, VIII, 303 pp. — L. 0,50; lig. 0,75.

Thalhofer, Val., Dr. — *Handbuch der Katholischen Liturgik. II. völlig umgearbeitete vervollständigte Auflage von* Dr. Ludw. Eisenhofer. Freiburg im Br., Herder, 1912, 2° voll. In-8°, XII, 716; X, 676 pp. — (M. 20,00; lig. tela 23,00).

Zambarelli, Luigi, C. R. S. — *Frate Francesco.* (Poemetto Lirico), Roma, Tip. Editrice Nazionale, 1912. In-8°, 102 pp.

— — *XXII settembre MCMXII. Il Monumento di Santa Chiara in San Damiano di Assisi.* Roma, Desclée, 1913. In-8°, 15 pp. (Illustr.). — Cf. p. 401.

De licentia Ecclesiastica et Superiorum Ordinis.

DISCUSSIONES

ADDITAMENTUM AD ARTICULUM

DE RELATIONE

INTER PROOEMIUM SUMMAE ALEXANDRI HALENSIS

ET PROOEMIUM SUMMAE GUIDONIS ABBATIS

Apud hoc AFH fascic. I anni currentis pp. 13-22 in dissertatione « *De relatione inter prooemium Summae Alexandri Halensis et prooemium Summae Guidonis abbatis* » scripsimus (p. 22):

> Item satis elucescit, dictam Summam (Guidonis abbatis) vel saltem eius prooemium non oriri ab eodem praelato, etsi accipiendum esset eum vixisse et scripsisse usque ad annum 1221, id quod minus verisimile est. Quare eius tractatum non ponemus inter fontes certos Alexandri, sed nonnisi inter fontes dubios. Suspicamur eum exaratum esse a Guidone abbate de Elemosina, de quo Denifle ad annum 1254 scribit: « Primus magister theol. Parisiis ex ord. Cisterc. fuit fr. Guido abbas de Elemosina ». Nihil autem prohibere videtur, quominus is uti potuerit Summa Alexandri anno 1245 defuncti.

Post publicationem dicti articuli aliqua nova ad rem pertinentia invenimus, de quibus breviter referamus.

I. Argumenta, ex quibus deduximus, Guidonem de Pareto abbatem Cisterciensem cardinalem episcopum Praenestinum († an. 1206, sec. alios 1202 vel 1221) minus probabiliter haberi auctorem Summae allegatae, duo fuerunt, scil. citatur versio graeco–latina Metaphysicae Aristotelicae, et adhibetur titulus « *Liber de causis* » simpliciter, id quod utrumque iam Guidonem de Pareto fecisse minus verisimile est. Utrumque argumentum ex Summa theologica Philippi Grevii (de Grève), quae appellari solet *Summa de bono*, fulcitur.

Philippus Grevius, magister theologicae facultatis Parisinae famosus, anno 1218 constitutus cancellarius Universita-



tis, mortuus an. 1236 (1), communiter nominatus « cancellarius », Summam theologicam pulchram, editione dignam, sed hucusque ineditam, in manuscriptis non paucis relictam exaravit. Adhibuimus cod. *Florentin. Bibl. Laurentian.* plut. 36 dext. 4, qui certo scriptus est saec. XIII medio, idque in Gallia, quatenus ex scriptura coniicere licet. Eius Incipit est: « *Vadam in agrum et colligam spicas* ». Explicit: « *Sed dispositiones, quasi materiales ad peccatum* ». Elaborata est post an. 1228. Nam circa finem tractatus (in cod. cit. fol. 190v col. 1) legitur: « Item quaerebatur a *sancto* Francisco, quid esset oboedire; qui respondit, quod perfecte oboedire est satisfacere voluntati superioris ». Hic Franciscus absque dubio Franciscus Assisiensis est, et quia dicitur sanctus, eius beatificatio praesupponenda est. Atqui haec contigit secundum Legendam Primam Fr. Thomae de Celano « secundo anno pontificatus domini Gregorii Papae Noni, decimo septimo die Kalendarum mensis Augusti », id est 16 Iulii 1228 (2).

Philippus Grevius iteratis vicibus alludit quidem ad Libr. de causis vel eum citat, sed implicite dumtaxat; explicite non nominatur, nedum titulus *Liber de causis* simpliciter. — Maioris momenti est usus Metaphysicae Aristotelicae. Sed etiam hic praetereamus ut dubios omnes illos locos implicite citatos non paucos vel allusiones, quae reduci quidem possunt ad libros dictos Stagiritae, at forsan etiam ad alia opera eiusdem vel ad scripta Ciceronis, Boethii etc. Pariter minus ad rem faciunt textus velut fol. 7r col. 1: « *Definitur etiam ita a Metaphysicis: veritas est indivisio esse et eius quod est* ». Haec enim definitio, quae habetur etiam apud Alexandrum Halensem, reducenda esse videtur ad quandam conflationem et elaborationem ex elementis remotioribus Aristotelicis et Boethianis (3). Similiter res se habet quoad locos nonnullos explicito quidem nomine citatos, sed remote tantum vel nonnisi secundum sensum, ut impossibile sit decidere, ex qua versione sumpti sint, e. c. fol. 106v col. 1: substantiam in Metaphysica secundum quatuor modos adhiberi, aut sicut materiam, aut sicut formam etc. (4).

(1) Cfr. P. Feret, *La faculté de théologie de Paris et ses docteurs les plus célèbres, Moyen-âge,* tome I, Paris 1894, p. 232 sqq.

(2) Cf. *S. Francisci Assisiensis vita et miracula, auctore Fr. Thoma de Celano,* ed. ab P. Eduard. Alencon., Romae 1906, p. 135.

(3) Cfr. Aristoteles, *Metaphys.* l. 3, c. 7; l. 4. c. 29; l. 8, c. 10. — Boethius, *Quomodo substantiae in eo quod sint, bonae sint,* Migne, PL vol. 64, col. 1311 B.

(4) Cfr. *Metaph.* l. 4. c. 8; l. 7, c. 1; (in ed. Venetiis, apud Iuntas, 1552, vol. VIII, ubi utraque versio continetur l. 5, c. 8, fol. 55v col. 2 et l. 8, c. 1, text. 3, fol. 99r col. 1.

Gravissimi autem ponderis sunt verba, quae occurrunt fol. 115r col. 1 in princ.: « *Intellectus noster est ad primam veritatem, sicut dicit Philosophus in principio Metaphysicae, sicut visus noctuae ad solem* ». Hic textus in editionibus graecis et in traductionibus graeco-latinis modernis reperitur in cap. 1 appendicis cuiusdam ad librum I, quae dicitur « *liber primus minor* » (*βίβλιον Α τὸ ἔλαττον*), e. c. in editione operum Aristotelis ab Academia Regia Borussica, Berolini 1831, vel in editione a Firmin Didot, Parisiis 1868 procurata. In traductionibus autem graeco-latinis antiquis, a Scholasticis usitatis, haec appendix ut liber secundus designatur, e. c. in versione antiqua, quae editur inter opera S. Thomae Aquinatis, tom. XX. Parmae 1866, pp. 246 sqq. At in versione arabico-latina, in manuscriptis latitanti, numeratur appendix dicta, vel liber secundus versionis graeco-latinae, ut liber primus. Arabes enim priorem partem libri primi esse opus Theophrasti crediderunt, et ideo eam non reddiderunt, et posteriorem partem eiusdem libri, quam verterunt, libro secundo adiunxerunt. Ita scribit Charles Jourdain (1):

« La version arabe a un signe particulier qui la fait reconnaître dès la première vue: le second livre y est ici le premier; la comparaison du premier paragraphe de cette version et du même paragraphe tiré de la version grecque-latine fait connaître ces caractères qui distinguent l'une de l'autre. Les Arabes pensaient que la première partie du livre 1er de la Métaphysique était l'œuvre de Théophraste, et d'après cette idée, ils ne l'ont pas traduite. Leur version présente aussi un autre mode de division. Chez eux le premier livre contient, outre le second livre de nos éditions, la dernière partie du premier livre ».

Quamobrem initium versionis arabico-latinae, quod offert Jourdain (l. c. p. 434, specimen XXXVII), praebet initium capitis primi appendicis supra dictae vel libri secundi versionis graeco-latinae antiquae. In hoc autem specimine locus noster occurrit: *Dispositio enim intellectus in anima apud illos, quod est in natura valde manifestum, similis est dispositioni oculorum vespertilionis apud lucem solis* ». Ex quo appareat, temporibus Philippi Grevii, ad minimum usque ad an. 1228, Parisiis, ubi idem scripsit, versionem arabico-latinam, in usu fuisse, et hanc a Philippo, magistro facultatis theologicae et cancellario Universitatis, ergo a persona rei certe perita et competente, « Metaphysicam », quasi Metaphysicam simpliciter et κ. ε. appellatam fuisse.

(1) *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote*, Paris 1843, p. 177.



Aliud legimus apud Alexandrum Halensem. Etiam is hunc locum in medium profert idque saepius, sed nusquam addit: *in principio Metaphysicae* (1). Saepius autem citat locos ex illa parte libri primi, quam Arabes non reddiderunt e. c. in ed. Coloniens. pars. IV, pag. 318b lin. 32, initium primi libri: *Omnes homines natura scire desiderant.* Id iam in prima quaestione partis I facit, in ed. Coloniens. pag. 3a lin. 9: *Dicit Philosophus: Omnis scientia et ars per experientiam accidit, experientia enim fecit artem.* In ipso exordio membri primi eiusdem quaestionis (pag. 1a lin. 65) scribit: *Item, sicut dicit Philosophus in prooemio Metaph: Experientia est singularium, ars vero universalium, fit autem ars, cum ex multis experimento intellectis una fit de similibus acceptio.* Loco verbi *in prooemio* in multis codicibus legitur: *in principio.* Hi tres textus occurrunt apud Jourdain (l. c. pag. 433) in specimine, quod continet initium translationis graeco-latinae. Ex quo liquet, Alexandrum hanc versionem eiusque principium non ignorasse, etsi hinc inde versione arabico-latina utitur. Necnon elucescit, ab eodem « Metaphysicae » aliud principium attributum esse atque a Philippo, qui scripsit post annum 1228. Idcirco sententia nostra, putans minus probabile esse, Guidonem de Pareto, qui ad minimum septem annis antea e vivis discessit, Summam ei adscriptam composuisse, ad minimum novo argumento eoque gravi confirmatur. Eo ipso hic Guido fons Alexandri certus non est, sed manet fons dubius.

Immo forsitan concludere liceat Guidonem dictum *ne dubium quidem fontem* putari posse. Nam mortuus est ad minimum anno 1221, et Summa ei attributa procul dubio versionem ex Graeco confectam novit, cum Philippus anno 1228 vel postea eam non novisse videatur, certo autem Alexander. At contra hoc obici potest, quod Alexander etiam traductionem ex Arabico derivatam adhibet, et eo ipso tota res suspensa manere videtur. Ad quod responderi potest: Doctor Irrefragabilis quamquam utitur etiam translatione arabico-latina, nunquam tamen initium eius initium Metaphysicae designat, econverso initium versionis graeco-latinae expresse principium vel prooemium huius scripti Aristotelici appellat. Minus interest, quae versio apud Alexandrum et posteriores in usu fuerit, multum vero, quod exordium libro ipsi ab eis adscribatur. Etiam Albertus Magnus († 1280)

(1) Cfr. ed. Coloniens. an. 1622, pars I, pag. 10a, lin. 33; pag. 16b, lin. 52; pag. 330b, lin. 1; pars II. pag. 2a, lin. 56.



saepissime versionem arabico-latinam citat, idque in illo opere, quod quoad tempus ultimum omnium elaboratum fuisse dicitur, scil. in Summa Theologiae. At ibi, sicut etiam in Summa de Creaturis et alibi, initium versionis graeco-latinae explicite vel saltem implicite, ut initium Metaphysicae seu Primae Philosophiae saepe saepius citat. De hoc alias fusius agemus. In praesenti tractatu solummodo animadvertamus, Albertum in ipso prologo Summae Theologiae scribere: « *Dicit enim Philosophus in I Primae Philosophiae, quod illa scientia maxime sapientia est, cuius finis intus est et sciendi gratia sive causa* (1). Ad hunc locum videas Metaph. lib. 1, capp. 1 et 2, quae in traductione arabico-latina desiderantur. Altera ex parte ibidem (2) legimus: « *Dicit Philosophus in II Metaphysicae, quod dispositio nostri intellectus ad manifestissima naturae est sicut dispositio oculorum vespertilionis ad lumen solis* ». Hic textus evidenter ex arabico-latina sumptus est, id quod vox « dispositio » iteratis vicibus occurrens luculenter demonstrat: nam in sola versione dicta haec vox invenitur (3). Exinde liquet Albertum, quamvis adhibeat etiam versionem arabico-latinam, eundem textum, quem Philippus, secundum sensum citans, in principio Metaphysicae ponit, secundo libro attribuere, alium textum autem libro primo, non secus atque versionem graeco-latinam. Ex his aliisque sexcentis locis Alberti obiectio, quae ex usu versionis arabico-latinae simul cum versione graeco-latina in medium proferri potest, refelli videtur. — Ceterum possibile est, alterum Guidonem, ante Alexandrum scribentem nobis hucusque ignotum, auctorem esse dictae Summae; quare, etsi non Guidonem de Pareto ipsum, tamen Summam ei adscriptam, saltem ut fontem dubium Alexandri retineamus.

II. Is autem *alter Guido* certe ille esse nequit, de quo refert Dr. Aug. Pelzer (4) qui tradit, anno 1241 abbatiam Cisterciensium Dunensem (des Dunes) in Belgio sitam, libros cuiusdam magistri et canonici Eberhardi (maître Évrard chanoine de Ste Walburge à Furnes) emisse, et inter eos etiam « Summam magistri Willelmi antisiodorensis *cum parte cuiusdam summe magistri Guidonis* ». Hic magister Guido non eadem persona esse videtur cum Guidone abbate Ci-

(1) Cf. *Opera,* Parisiis, ap. Lud. Vivès, vol. 31, 1895, pag. 3.

(2) L. c. pag. 4.

(3) Cf. AFH VI, 1913, p. 16, ubi verba utriusque translationis proposita sunt.

(4) *Livres de philosophie et de théologie de l'abbaye de Ter Doest* etc.; in periodico: *Annales de la société d'émulation de Bruges,* tom. LXIII, Février 1913 p. 7.



sterciensi, qui confecit Summam theologicam illam, cuius prooemium valde concordat cum prooemio Summae Alexandri. Nam auctor huius Summae fuit abbas Cisterciensis, auctor illius magister quidem fuit sed eum fuisse religiosum, abbatem, Cisterciensem, nullo verbo innuitur. Praeterea hic alter Guido certe scripsit ante 1241; sed illo tempore Ordo Cisterciensium nondum magistros habuit; primus eorum Guido de Elemosina fuit, sed demum anno 1256. Eo minus Guido de Pareto magister fuit. — De hoc altero Guidone eiusque Summa usque modo nihil aliud scimus. Sicut Dr. Pelzer ulterius scribit (pag. 5 sq.), Cistercienses Dunenses anno 1627 in urbem Brugensem se contulerunt, et post suppressionem conventus eorum libri in bibliothecam publicam eiusdem urbis transportati sunt. At de Summa eius neque catalogi mentionem faciunt (1) neque quidquam in bibliotheca ipsa Brugensi inventum est.

6. *Et si dicat nobis ipsa Mater Ecclesia: Quid ad te, si volo aliis grata esse?* An oculus tuus nequam est, quia ego bona sum? *respondemus: quod si in pretendendo quod dicimus, non recte loquamur, ipsa Mater nos docuit premissam pretendere racionem dum statuit: quod non est uni facienda remissio alii vero tribulacio, nisi opponatur causarum differencia, hinc inde existens, sicut alias de tali differencia contra unum nobilem invenitur fuisse pro rege Francie per summum pontificem Innocencium tercium allegatum, vel nisi opponatur inequalitas meritorum, que si opponatur, nobis silencio est utendum ne simul cum phariseo notam iactancie incurramus. Hoc enim rerum et casuum evidencie relinquatur.*

7. *Sed infertur quod multa per pacienciam, non deducta ⟨contra alios reges⟩ in iudicio, tollerantur. Ad quod respondemus: quod ad rem in iudicium deducendam non semper requiritur carneus accusator, immo sufficit talis fama. Nam et in alio casu non Petrus vel Ticius, immo* Ecclesia Carnotensis fertur et scribitur de nobis querimoniam detulisse, *et tamen vox fame et Ecclesie non nisi per homines deportatur; nec nos, sicut illi in evangelio de bono alterius murmurarunt, volumus murmurare, immo quia sic subito, sic festinanter per suum comparativum processum, et per consequens odiosum, ipsa Mater a stilo suo solito nos exclusit et nostra privilegia annullavit.... — Nam antequam per nos vel nostros officiales aliquid esse commissum inconveniens probaretur, vel nostra vel nostrorum officialium per ipsam Matrem nostram, more materno excusatio, expectata foret;* sumus repente submissi nostri adversarii potestati *et nostris privilegiis denudati.*



8. *Quinimmo quamvis nulla veritas alicuius iniurie vel offensionis subsistat, tamen sola voluntas nostri adversarii, episcopi Pictavensis, qui contra nos factus est iudex noster, nostram terram de facto supposuit interdicto et retinet interdictam, ex quo sequitur nostrorum privilegiorum conservatorum* processum iustum existere et excommunicacionis sentenciam ab eis prolatam, et bonorum captionem *rebellium subsecutam, cum illis redditus ecclesiastici merito subtrahantur, quibus communio Ecclesie denegatur iuxta canonicas sancciones* (1).

9. *Et cum suum officium facere recusans, sit ad ipsum faciendum strictioribus remediis compellendus, glosa, id est, captis pignoribus, secundum legitimas sanctiones in hac parte [in sua tamen materia] cum canonibus concordantes.... Tenebantur enim suum officium facere organa resumendo, vel excusacionem aliquam alegare et probare, non obstante tali interdicto, quod nostra privilegia decernunt irritum et inane cum littera conservatoria ipsius episcopi habeat ⟨tacitam⟩ in se condicionem, id est, si existat condictio nostre culpe que nec existebat nec existere probatur* ⟨vere vel presumptive cum ab originali constitioni nostri regni inauditum existat, quod tales cause temporalis iurisdictionis per alium iudicem quam per nos fuerint terminate⟩. *Et precipue, cum dictus Episcopus sit et esset, tempore positi interdicti, duplici et notoria excommunicacione ligatus, tam a canone quam ab homine, id est auctoritate concilii Bituricensis, pro capcione unius presbiteri litteras Apostolicas et acta unius iudicis deferentis, et ab officiali metropolitano, pro capcione bonorum eorum, qui a sua curia ad curiam metropolitanam propter gravamina appellarant....* (2).

10. *Tertio de predicta Matre nos possumus condolere, quia si dictus episcopus, antequam dictas litteras optineret, nos ipsum gravasse exposuit Matri nostre, non erat ipsi tanquam adversario nostro, maxime contra nos, sic precipitanter, sic leviter fides adhibenda et potestas concedenda, quod posset interdicere terram nostram, et quod nos, pro ipsius nostri adversarii extimatione, nostra privilegia perderemus, quia eo ipso presumendus erat noster existere inimicus... Nam licet multis, ut sui ipsius conservatores esse possunt a Sede apostolica concedatur, tamen quando ante impetracionem vel dum impetrant, certum exprimunt adversarium, precipue regem suum, non indiscrete videtur multis, quod tunc alia et maior esset maturitas adhibenda, et maxime quando de tali impetrante et querente se sui conservatorem esse, quanta sit eius gravitas vel levitas vix potest a romana Curia ignorari, nam quid de eo dixerit ille qui episcopum ipsum fecit, referunt testes vivi...*

11. *Item,* quomodo utatur litteris sic optentis? *Est in regno Francie publicum, quia licet per eas sint solummodo laicis concessa privilegia, iuribus vacuata, non autem concessa personis exemptis, ipse tamen* episcopus, eis abutens, excommunicat earum auctoritate abbates exemptos, *et ne taliter a talibus excommunicari possint privilegiatos, et quorum abbatum exemptio talis est antiqua, et sibi et aliis manifesta, non curans immo spernens doctores et iura quibus cavetur, quod Sedes apostolica*

---

(1) Ici les légistes tentent de justifier les séquestrations des biens ecclésiastiques. On sait s'ils usaient de ces moyens de persuasion.

(2) Gautier lui-même dit qu'il empêchait les appels au siège de Bordeaux: Beauchet-Filleau, *Pouillé du Diocèse de Poitiers*, Poitiers 1868, p. 138. — Il s'agit ici probablement du démêlé de Gautier avec Henri archev. de Bordeaux, vers 1284, au sujet de l'église de Maulay. *ibid.* p. 306.



tales litteras concedendo prelatis nullam contra exemptos, eis, tribuit potestatem, cum pocius recommittere quam committere videatur. — Si igitur stilus talis non solum pro aliis regibus, immo eciam pro vassallis nobilibus aliorum regum et nostris alias taliter observatur, et pro nobis totaliter est sublatus, restat quod vilius tractatur Corona Francie quam vassalli...

12. *Item si ad nudam nostri adversarii narracionem sumus nostrorum privilegiorum gracia spoliati... Item si status nostri regni et Corone Franciae per casum ⟨temporalis iurisdictionis⟩ de quo conqueritur, est commissus arbitrio nostri adversarii, episcopi Pictavensis, vix aliquis zelans et diligens honorem nostre Corone, pacienti animo, tantam vilificationem poterit substinere... — Nam dictus episcopus, videns quod contra nos Romana Ecclesia sibi favet, ad tantam versus nos ignominiam iam prorumpit, ut nobis* suas scripserit litteras *quas recepimus, dicens:* Quod non sumus digni vocari nomine Christiano; *licet Petrus apostolus non fuerit contentus dicere: omnes honorate, sed subiunxit specialem post clausulam generalem:* regem honorificate (1), *quamvis dictio: omnes, ceteros comprehendere videretur. Et notandum, quod dixit:* honorificate, *sed primo dixit de aliis simpliciter: honorate... — Nos autem tam per nostram Matrem Romanam Ecclesiam quam per ipsum adversarium nostrum estimati sumus minori quam ceteri nobiles et vassalli debere honoris prerogativa gaudere. Sed hec non est Apostoli sentencia nec voluntas...*

13. *Et ideo credenda est illorum sapientum forsitan oppinio(nem) esse vera(m), qui dicunt* tales litteras non esse *presumendum* de consciencia *sanctissimi patris nostri summi Pontificis emanasse, et sic eas debere, utpote, contra stilum solitum optentas, subrepticias iudicari. Sed tale iudicium non pronunciabit ille, qui per eas se dicit, quod* supra nos *et contra nos factus est* iudex noster... *Est ergo expectandum, quod ab ipsa nostra Matre, forte, per ipsum decepta tantum inconveniens corrigatur...*

14. *Sed dicet aliquis: Videtur* Rex Francie ignorare summum Pontificem habere plenitudinem potestatis, *et quod non aliter cum regibus quam cum aliis sit agendum, cum apud eum* non debeat esse accepcio personarum... — *Qua enim ratione dicit ei Rex Francie: Cur ita facis, cum ei sit pro ratione voluntas?... Ad hec omnia respondemus: Quod talis ignorancia nos non tenet. Sed ex eo movemur et moti sumus, quod digna vox est in maiestate regnantis, ut licet statutis hominum sit solutus tamen equalitatem inter christianos, iusticiam et equitatem secundum condicionem hominum et temporum debeat observare, precipue secundum antecessorum suorum vestigia et sue Curie stilum solitum, ex quibus probatur, que differencia personarum, quis modus, que forma in talibus et consideracio sit habenda....*

15. *Nec mirum, nam et ipsa Mater nostra, non ex iactancia sed ex iusticia mota, asseruit et statuit suos Legatos de latere missos maioris honoris debere prerogativa gaudere, et eo ipso maiori perfrui potestate. Quod enim dictum est:* Qui maior est vestrum fiat sicut minister vester (2), *intelligimus, quod humilitatem mentis non debet excludere aliquis magistratus, sed circa iudicia traditum est iure communi, quod se contempni non paciatur, quia propter maliciam plebis alia humilitas non recte residet in regentibus regna mundi, et tamen hoc totum cedit ad laudem Dei et iusticie complementum. — Hec enim racio novit ipsam Matrem, ut inter sua statuta non obmitteret, quin titulus de maioritate et obbediencia scriberetur. Et hoc in rubro et in nigro subiungens, sit honoris ista distinctio...*

(1) I Petr. II, 17. (2) Math. XXII, 11.



16. *Nec illam ⟨summi Pontificis patris nostri⟩ opposicionem dimittimus indiscussam, qua nobis opponitur:* quod nos nostrorum antecessorum mores non sequimur, *qui se erga Ecclesiam gallicanam pacienter sine tali discrimine et humiliter habuerunt, quia quod iura nostri regni unquam fuerint tam gravi percussione percussa, tam gravi vulnere vulnerata, quod nostre sentencie late in casibus iurisdictionem contingentibus temporalem, per aliquem alium retractentur, quam per nos ipsos quociens aliquid opponitur, vel nobis porigitur iusta supplicatio* (1), *contra eas numquam extat memoria alicuius. Sed nec illam aliquorum oppositionem relinquimus insolutam: Quod ipsa Mater nostra in multis dispensacionibus et graciis extitit nobis larga, et ideo non sic ardenti querimonia, sed temperata et compensativa convenit nobis uti.*

17. Fatemur *enim: Nos, et antecessores nostros, et natos de domo nostra* donaciones regnorum, largiciones decimarum et gracias dispensacionum multiplices habuisse, *et de hiis sibi ad devocionem inclinamus mentem et animum usque ad pedum obscula beatorum... Sed tamen circa ista debet recognoscere ipsa Mater, quod inter causam impulsivam et finalem est differencia prenotanda, et quod* causa finalis *talium largitatum* fuit defensio *libertatis ipsius* Matris *et* catholice Fidei, *quam tenemus et predicat ipsa Mater...*

18. Non enim sumus tanta paupertate gravati, quod *pro regnis acquirendis et decimis optinendis, si dicta causa finalis cessaret,* vellemus tantam in christianis effusionem sanguinis consentire, *et nostrorum baronum patrimonia exinanire, et gravissimis obligacionibus obligari, et subici voragini usurarum, et tantis variis et diversis periculis exponere nos et nostros. Et ideo in persona episcopi et Ecclesie Pictavensis sive Carnotensis talem compensacionem ex hac causa nunquam debemus nec possumus acceptare...*

II. — Sequitur: De variis preiudiciis et primo contra Carnotenses et contra episcopum Pictavensem et demum contra alios prelatos et clericos.

1. *Insuper* de variis et intollerabilibus occupacionibus nostrorum iurium *factis, et que fiunt per clerum et Ecclesiam gallicanam,* ita necessario loqui compellimur, sicut desideramus nostrum regnum non desinere esse regnum. *Et in primis* contra Episcopum et Capitulum Carnotensem, *quod* ipsi nostros homines et subiectos, *sub colore advoacionis vel servicii nobis, contra iusticiam* subtrahere conantur... *ita quod eos iustificare non possumus, ut debemus, quamvis sint in territorio nostre iurisdictionis manentes et larem et domicilium habentes ibidem... Immo per suas moniciones, et excommunicaciones iniustas, et pravam sentenciam interdicti nostros ballivos predictam* exercere iusticiam impediunt et perturbant, *quamvis nec a Deo nec a iure rapiendi taliter bona nostra habeant potestatem... Immo iure communi talis advoacio est dampnata per quam principes civilibus muneribus defraudantur, et talis* acquisicio a Deo et mundo prohibita, nisi speciali privilegio a largitate principum sit concessa...

2. *Item, si quando nobiscum concurrant, ut habeant in talibus nostris subiectis aliquem annuum redditum, licet parvum, eo ipso callide*

(1) Langlois répond à cette assertion. Lavisse *Hist. de Fr.*, t. III, p. 240 ss.



ipsos appellant suos homines de corpore, qui in civilibus et criminalibus causis nostre sunt, ut predicitur, iurisdictioni subiecti, et qui liberam habent in testando, vendendo et contrahendo suorum bonorum administracionem... — Nec glebe sunt astricti, immo libere recedunt, quo volunt, alibi sine nota alicuius servitutis talis perpetuo moraturi. Et sic talis nominacio falsum habet significatum, nec racio patitur ex imposicione nominis vel cognominis posse necessario concludi rei substanciam esse talem, cum imposicio nominis vel cognominis, ut moris est, fiat pro arbitrio alicuius et sepe videmus, ut in presenti casu, ita in aliis plurimis, per ipsam rerum naturam et qualitatem, quod discrepat nominacio et substancia nominati, quo casu, [nomen] rei consonum non existit <*quia: Sabinus rei substantiam intuetur*>.

3. *Item, si quando a talibus taliter advocatis, subiectis nostris, tallias sive fori vel mercati constumas debitas exagamus, ipsi nostros ballivos propter hec excommunicant et aggravant... — Et si de iniusta monicione per ipsos ballivos questio referatur vel copia petatur, nituntur et querunt negocium prorogare, ut in excommunicacionis sentenciam incidatur et pro duobus vel tribus denariis interdum, titulo constume, acceptis facere via* interponende appellacionis *et prosequende nos expendere mille libras... et tamen ipsi, ut dicunt, ex officio procedentes rarissime plus apponent quam tantum de carta et encaustro, quod bene forte valebunt unum obolum quinquies duplicata... Et interim, hoc pendente, nostrorum* prohicientur ad campos corpora mortuorum, *quia civitatem et terram statim subicient interdicto.... — Virginibus eciam filiabus bonarum matronarum, indirecte,* matrimonia contrahere prohibentes, *dum interim non permittunt in ecclesiis solita banna proponi de impedimentis contrahere volencium revelandis... Et si absque tali banno contrahant,* petunt graves emendas, *sic per hoc ex tali causa* (1) *matrimonia non sine Dei offensa in* <*prumpta*> *meretricia convertentes, in illis videlicet virginibus, que continere nolunt et ex impetu iuvenili desiderant esse matres... Et si quando eos super tali iniusto impedimento ad nostram curiam, ex ea videlicet causa, facimus evocari, ut, actione negatoria, ballivus noster contra eos experiatur. In qua actione de proprietate huiusmodi temporalis iurisdictionis, utrum ad nos vel ad eos pertineat est querendum, et quam a quocumque clerico vel laico infra fines nostre iurisdictionis possessam affirmamus* esse non liberam sed feudalem *ipsosque dicamus largiori modo quam debeant uti re féudali, et talem causam esse de feudo et feudalem, nisi nostrorum antecessorum largior concessio obstendatur, et cupiamus suas videre rationes, defensiones, et probaciones, et privilegia, vel principum largitates, si quas habent, per quas in eo et super eo quod pro nobis a iure communi presumitur a nostro ballivo, valeant se tueri..,* Allegant quod pares nobis sunt, in regno nostro, *in ipsa iusticia temporali, et quod nolunt in sibi parem tanquam in iudicem consentire. — Non attendentes, quod more et ritu vassalli a nobis et de manu nostra, prout superius est pretactum, recipit temporalia bona et eorum possessionem caput sue Ecclesie, id est, quilibet novus episcopus Carnotensis, et quod feudo, ipso vacante, id est, temporalitate ipsius Ecclesie interim facimus fructus nostros, iusticia et feudali consuetudine suadente, quia non superest persona, que nobis nostrum feudum valeat deservire... — Et cum talis*

(1) Ici le copiste avait écrit: *causa prompta*, mais la 2e main l'effaça et remit le mot plus bas.



persona noviter supervenit, novam a nobis possessionem sive investituram recipit *de eadem, et hoc ipsum pretendimus contra omnes et singulos alios simili contra nos errore et vicio laborantes...*

4. *Et sentimus, omni iusticia suadente, quod omnes tales Ecclesie et Capitula, quorum a nobis prelati recipiunt possessionem sive investituram predictam sue talis temporalitatis, vel in quibus, Ecclesiis vacantibus, nos habemus et percipimus supradicta, vel alia exercemus vel habemus signum nostre superioritatis demonstrancia, debent coram nobis de casibus proprietatis secularis iusticie velut feudalis respondere, et in causis appellacionum que occasione talis iurisdictionis ab eorum audiencia ad nostram curiam fuerint interiecte. Sicut respondent huiusmodi alie Ecclesie nostri regni et nos sine contradicione suum superiorem in talibus recognoscunt, et ex hoc in pace possident iura sua, non obstante* ⟨*si*⟩ *forsan ab aliquibus fidelitatem tantum et non fidelitatis recipimus iuramentum, cum iuramentum non esse de substancia fidelitatis sit questio terminata.* [*Vel si nulla obbediencie vel fidelitatis promissio nobis fiat, cum talis promissio facta per subditos hiis qui presunt non inducat originalem necessitatem obbediencie, sed augmentet cum absque ea obbediencia debeatur*]. — *Nec eciam obstat, quod bona inter prelatos et capitula sint discreta, cum eo ipso quod episcopus confert prebendas, et nos, vacante Ecclesia,* ⟨*easdem*⟩ *conferimus, presumitur capitulorum temporalitas ab illo corpore et capite derivata, quod nos feudale dicimus et censemus.... Sicut eo ipso aliquem dicimus esse et fuisse ecclesie fundatorem, quod ad ipsam vacantem sibi ius competit presentandi.... Et sicut una ecclesia alterius ecclesie matrix efficitur, quando in sua parrochia construitur, et in sua reformatione ipsius filie vacantis consensus matris ecclesie expectatur..... Sicut et totum presumitur a patrimonio provenisse, quod a filio possidetur et in satisfactionem cadere creditorum, nisi per confectionem inventarii precedentem adicionem hereditatis probetur aliunde provenisse.*

5. *Nam alias, nisi dicta ratio et causa subesset benefactorum collacio, de iure communi spectat communiter ad utrumque, quod ut clarius videatur, finge aliquem sic donare: Dono decano et capitulo Parisiensi trecentas libras annui redditus, quem percipio tali loco ipsosque decanum et capitulum ex hoc redditu constituere tres novas prebendas, certe numquam ad episcopum collacio pertinebit, immo ad ipsarum fundatores,* ⟨*si hec statuerint*⟩, *et sic senciunt doctores et iura. Et quia, in nostro casu, episcopus confert, eo ipso dicimus eas ex bonis temporalibus illius capitis esse fundatas, que ut feudalia iudicamus, ad quod prestat validum argumentum, quod tantum de temporalibus rebus et iuribus vassallo vacantibus et non de mere ecclesiasticis :: facimus :: supradicta. Unde causarum ecclesiasticarum cognicio et emende inde provenientes nunquam ad nos spectant, sed ad alios deveniunt suo iure.... quibus omnibus consideratis*, constat quod mero iure, non autem ⟨tantum⟩ consuetudine, exercemus et percipimus supradicta.... *Nec obstat illa opposicio: quod capitula nunquam a nobis, sicut prelati, investituram huiusmodi receperunt, quia hoc ex defectu nostri minoris iuris, quam in prelatis habeamus, non provenit, immo per accidens naturale, quia non sicut unus episcopus vel unus miles vassallus, ita unius capituli collegium vel unius civitatis universitas mori potest, et tamen universitati feudum dari posse nunquam iure aliquo prohibetur.... — Sed dum caput universitatis et prelatus ipsius Ecclesie a nobis huiusmodi possessionem vel investituram recipit, et nos ante investituram conferimus prebendas, id est, ea que dici-*

mus a totali corpore derivata, per consequens possumus concludere: quod nobis feudalis sua, si quam habent iurisdictio temporalis.... quemadmodum per patrem condictionis domino servientem eo ipso propter servicium paternum ius in filio retinetur, fugitivo eciam vel absente, iuxta legitimas sanctiones.

6. *Si igitur ita est, et ita esse presumatur, restat: quod ipsius temporalitatis discrecio, sive particio, vel divisio facta inter capitula et prelatos in nostrum de iure non potest preiudicium redundare, ut videamur ius nostrum per suam particionem in aliqua divisarum parcium perdidisse.... Quemadmodum si alicuius patrimonium aliquo honere sit affectum ipsius per multas partes, facta divisione, non ideo creditoris actio est perempta, sed verum est, quod in plures tunc quam primo ipsa actio intentatur.... — Sicut et alias secundum utriusque iuris disposicionem illa sint omnia attendenda, que rei de qua queritur sint opciora.... Item verisimilia.... Item argumenta.... quia opportet querentem veritatem cuncta rimari.... Nam secundum philosophum ad pauca respicientes de facili cadunt, et sic non est ferendum quod membra, id est, capitula maiori in hiis quam sua capita, id est, prelati gaudeant libertate, cum iura et doctores dicant: Ea que conceduntur capiti tanquam digniori extendi ad membra, <quod> tam de commodo quam de incommodo intelligi debet iuxta illud: Si caput dolet, cetera membra languent.... Nam innuit racio civilis et naturalis, quod qualitas status membrorum est a qualitate status capitis regulariter presumenda.... — Licet hec bonorum divisio non sit ita, sicut inter fratres germanos amaris iuribus iudicanda, cum in multis multiplex malis eorum gratibus (?) remaneat communio inter eos, ut alter sine consensu alterius suam porcionem alienare non possit... — Item episcopus unam prebendam in duas et duas in unam committere poterit, macritudine vel pinguedine compensata, quod de porcione divisa et fratri assignata nullatenus concludetur, immo quilibet de sua porcione disponet sine consensu alterius pro sue libito voluntatis. Et ideo, predictis omnibus consideratis, frustra contra nos suorum bonorum discrecio sive particio allegatur.*

7. *Nec obstat illa opposicio: quod ius prebendarum, utpote spirituale, feudale esse non potest, quia reges dum conferant talia beneficia eciam curam habencia animarum, id quod est temporale concedere videntur..., Sed id quod spirituale est, prout doctores determinant, consequitur quis per aliquem actum et inductionem et sui receptionem que facte a personis ecclesiasticis subsequuntur.... — Si igitur ad tales spectat aliqua iusticia temporalis, hanc esse feudalem concludimus racionibus supradictis...*

8. *Quod si forsan in contradicione et negacione persistant dicentes: hanc gladii potestatem et iurisdictionem non esse feudalem, contra se allegant, quia per consequens, iure communi eis contradicente, convincitur usurpata, nisi titulus regalis largitatis esse in medio ostendatur. Ad quem tamen ostendendum, tanquam male sibi conscii, induci non possunt ipsi qui nobis taliter adversantur, et ipsum titulum via excepcionis coram nobis obstendere tenentur, qui predicto modo et predictis rationibus, et causis in eis iura :: exercitus et resorti in terra episcopi Pictavensis :: <et aliorum feudalia possidemus et etiam garenciam per quam habere ibidem iusticiam comprobamur>.*

9. *Et si talis iurisdictio est usurpata, quomodo ad depredendum suum regem insistunt, illi quibus predicandi et detestandi talia officium est commissum? — Nam, interdum, quando per sapientes nostros sociali et amicabili collacione et colloquio sunt convicti, nesciunt plus quid di-*



cant, nisi: Nostri antecessores per similem rebellionem se aliquando defenderunt, *excommunicationis et interdicti sentenciam promulgando, et si nos aliud faceremus, dedecus esset nobis.... — Sicque sunt, non subtili, immo grossa et ydiotis, aperta dyabolica temptatione decepti, lucrum et vanam gloriam saluti animarum suarum dampnabiliter preponentes et rapine nostrorum iurium insistentes.*

10. *Item dicunt aliquando:* iuravimus defendere nostra iura. *Sed magis proprie in nostro casu loquerentur, si dicerent: Iuramento tenemur regem France depredare.... — Propter quod:* omnes iurisdictiones temporales, *quas sibi vendicant capitula nostri Regni* dicimus esse feudales, *precipue cum nullo iure presumatur, quod circa ista melioris debeant esse condicionis membra quam capita, id est, capitula quam prelati.... — Et si forsan contendant se alio titulo possidere et ad ipsos alio titulo pertinere,* obstendant principum donaciones, *prout tenentur, cum ius commune contra eos presummat et divina institutio, que duo luminaria fecit ad harum differenciam potestatum, quibus obstensis, integre nostrorum antecessorum pias largitates volumus observare...*

III. — Sequitur: Responsio contra consuetudinem et prescriptionem quam allegant.

1. *Et si obstendere recusant, quia eas non habent, et* prescriptione *contra nos desiderant se iuvare,* obstat *eis appertissime* mala fides, *cum ab originali, iure communi,* nunquam Ecclesia *gladii sanguinis* et temporalis iurisdictionis acceperit potestatem, *quinimmo non solum eam non habuit a iure communi* nec a predicta institucione divina, *immo vetita est habere, nisi eam a largitate secularis principis consequatur. Et sic statuit Romana Ecclesia, mater nostra, dum dixit, quod secularibus negociis se, clerici, non debeant immiscere: 〈nemo enim Deo militans, querit se talibus immiscere〉.*

2. *Nec in hoc debent maiori quam sua mater, Romana Ecclesia, prerogativa gaudere, que non* dedignatur dicere et fateri se a Constantino, principe, in beati Petri patrimonio habuisse hanc gladii potestatem.... — *Quamvis in nostro casu talis prescriptio, eciam alio iure, de nichilo eis prosit, nec nobis, ad quos ipsa civitas Carnotensis noviter est reversa, potest obesse talis prescripcio, pretextu possessionis habite tempore nostri vassalli comitis Carnotensis. Quia licet vassallus sibi dum feudum possidet, possit per suam pacienciam vel negligenciam preiudicium generare, suo tamen domino nullum ex hoc preiudicium generatur, si quando ad eum feudum huiusmodi revertatur, prout determinat lex feudorum.... Sicut eciam per aliquem contractum vel negligenciam ecclesie exempte nullum Romane Ecclesie preiudicium generatur, sed sibi tantum potest preiudicium generare.*

3. *Et est racio, quia per hanc fraudem possent principes graviter defraudari, et quia vassalis est feudorum alienacio interdicta..... — Et precipue, ne fiat in Ecclesiam sine consensu domini, prout determinat lex feudorum, cuius verba sunt hec: Ecclesia numquam desinit esse heres, et cultrix debet esse iusticie, cum feudum aliquociens possit esse ad dominum reversurum.*

4. *Item non obstat prescripcio, alia racione, quia nunquam pacifice possiderunt, quin semper fuerit interrupta.... — Item in occupatis et invasis prescripcio nulla erit secundum doctores et iura...*

5. *Item alia racione, quia et* si *aliquando possiderunt hoc modicum possessionis vel talem possessionem* ::::::: timore excommunicationis sentencie habuerunt, *et quod vi metus ne causa gestum est ad vigorem iuste prescripcionis indebite allegatur.... — Precipue cum timor excommunicacionis per iura et doctores excusabilis iudicetur..... Propter quas raciones dicimus capitula nostri regni et prelatos similia pretendentes non esse contra nos in talibus defendendos nec eciam audiendos.... Si autem nolunt [contra omnia predicta] ut vicini et ut domini temporales de pari nobiscum contendere, non superest nobis talis stulta voluntas, quod pro singulis tribus denariis de tallia vel constuma velimus ad suum superiorem recurrere et expendere mille libras, quia ad hoc, forte, non sufficeret fiscus noster.... — Immo postquam dicunt se dominos temporales et nobis pares, restat, quod quemadmodum si quis Rex, comes vel baro invaderet terram nostram, nos more aliorum regum et dominorum temporalium defensione debita uteremur.* Sic contra eos regali remedio est utendum...

IV. — Sequitur: Responsio ad Concilia allegata contra Regem et suas gentes.

1. *Et per premissas raciones restat, esse responsum ad iura et concilia in contrarium allegata. Nam paragrafus ille non obstat nostre intencioni, cuius verba sunt hec: Debet autem ad* archiepiscopos appellari *ab episcopis prefate provincie super causis in quibus temporalem iurisdictionem exercent, nisi forte de consuetudine, aut privilegio, aut iure alio speciali sit ad alium appellandum. Quia paragrafus iste per ea que excipit, et per excepciones quas signanter ponit, ius illorum regum qui de ipsa temporalitate taliter disponunt, sive ad quam non aspirat nova superveniens persona, antequam talem de manu principis investituram sive possessionem recipiat, et cuius ex defectu persone non existentis que principi servire valeat, fructus suos facit, in nullo ledit. Immo per tales excepciones, quas signanter ponit ipse paragrafus, ius talium regum corroborat et confirmat.... — Quinimmo, ea que communiter cotidie apparent, probant talem esse ipsius paragrafi intellectum, ut verbi gracia: Ecce officialium episcoporum nomina sunt distincta, ut illi, qui presunt iusticie seculari, ballivi.... Illi vero, qui presunt iurisdictioni ecclesiastice, officiales communiter nuncupantur....*

2. *Querat igitur apud se ipsam Romana Ecclesia, mater nostra,* quando de causa sanguinis, *vel causa mere civili, ab audiencia talium ballivorum fuit unquam vel ad ipsam Romanam Ecclesiam vel ad curiam alicuius archiepiscopi in regno Francie appellatum? — Et tamen in regno nostro cotidie eveniunt isti casus, et certe sicut credimus, poterunt respondere, quod de hoc non extat memoria alicuius....*

3. *Pari racione,* non obstat *nobis* constitutio concilii Lugdunensis *per quam nova submissio et advoacio prohibetur, quia non debet dici nova submissio vel advoacio illa, que ut sic fiat, casu adveniente, racio est antiqua... — Sicut casu deposicionis, noviter contingente, non posset rector ecclesie sancti Petri ad Boves se non esse deponendum contra Parisiensem episcopum allegare, ex ea racione, quia nunquam Parisiensis episcopus aliquem rectorem deposuit ex eadem.... — Sicut non dicitur opus novum illud cuius vestigia sive primordia sunt antiqua... — Nam antequam dies cedat, nulla currit prescripcio creditori.*



V. — Sequitur: Responsio contra id quod opponitur de sentencia canonis.

1. *Et ex premissis constat illam gravem opposicionem esse sublatam, que in litteris Apostolicis est inserta, videlicet: quod a sentencia canonis, quominus eam incurrere possimus,* non sumus per nostra privilegia liberati, *si forsan absoluciones excommunicacionum per nostram violenciam impendant, vel ad novas submissiones aliquos compellamus, sive contra alios canones veniamus latam sentenciam continentes.... — Quia ad hoc nostra intencio non procedit, immo* ex ea sola causa movemur ad sua bona capienda, *quia super hiis que premissa sunt, recusant in nostra curia contumaciter respondere....*

2. *Quod ex eo evidencius hoc apparet, quia si millesies tales sentencias relaxarent et nos alias in nostris iuribus taliter molestarent vel respondere, ut predicitur, contumaciter recusarent, non possent sua bona, eciam data absolutione tali, de manu regia liberare, et sic talis opposicio ad finem ad quem proponitur non procedit, quoniam istud propter quod unumquodque, et illud magis semper fuit validum argumentum. Et ideo opposicionem de sentencia canonis veraciter evitamus, cum non ad violentam [absolucionem], vel novam et indebitam submissionem taliter obtinendam, immo ad nostrorum iurium defensionem principaliter intendamus.... — Et hec est racio, quare quisquam sentencia canonis non ligatur ad tutelam suarum rerum vel sui corporis clericum violentis manibus [cum moderamine] propulsando, quia iuste defensionis non autem temerarie offensionis videtur propositum habuisse....*

3. *Nam voluntate et proposito non autem simplici actu maleficia distinguntur, prout tradit in suis constitucionibus ipsa Mater.... Non enim procaces sumus ad iniuriam inferendam. Immo dicunt ceteri Chritiani et pro veritate dicere compelluntur, quod aliud regnum preter nostrum tanta pace, tanta observacione iusticie, tanta prosperitate, tanta felicitate habundans est inter Christianos impossibile inveniri....*

4. *Nam nostri regni barones, licet confines habeant suas iurisdictiones et iura, tamen sicut fratres invicem se honorant, et ex hac diligenti observacione iusticie provenit habundancia nostre pacis, et ex pace sequitur rerum habundancia, et ex rerum et diviciarum copia prodiit quasi ex adipe eorum superbia, qui nobis non desinunt adversari et qui nituntur sue pacis destruere fundamentum. Et in tantum transierunt in affectum cordis, ut pari racione, sicut in aliis regnis, ‹clerici› non possunt defendere que sunt sua, ita in nostro regno, nos et nostri subditi non possumus ab eis defendere que sunt nostra. Inter se eciam sine fine et numero litigia assumentes.*

5. *Nam sepius in nostro regno quam in aliis canonici a divinis contra suos episcopos cessant, monachi contra suos abbates appellant, et ex hoc cadunt in fecem dissolucionis et voraginis usurarum quam plurima monasteria nostri regni, de quo Deus sua in eis debita laude fraudatur, pauperes suo cibo et eciam intencio fundatorum....*

6. *Clerici contra laicos litteras impetrant ad iudices, qui predam participant cum eisdem, movent, citant et excommunicant, ut extorqueant.... — Monent interdum quadraginta participantes, et tandem excommunicati compelluntur se redimere quasi servi.... Item impetrant callide contra socios et amicos, et tandem multitudinem citari faciunt ad testimonium perhibendum, illas videlicet bonas matronas et divites homines, qui neque locum noverunt ad quem citantur, et non cognoscunt iudicem neque partem.*



et tandem excommunicati se redimere compelluntur. — Et hoc maxime contingit, quia iudices habent pro libito voluntatis quibus nos resistere non audemus, nec illi timore nostre iusticie quibus tales iniurie inferuntur.... — Illa tamen omnia sunt in pace, que possunt sub nostra iusticia comprehendi, ibi refrenatur noxius appetitus, ibi agnus pascitur iuxta lupum.... (1).

7. *Et hic supersedemus et querimus, in quo regno Christianorum hoc est et sit per tanta tempora observatum? Ad hanc questionem non invenimus respondentem, sed deliberet et respondeat quicumque voluerit Christianus, et cuiuscumque condictionis aut dignitatis existat, et si fidelis fuerit homo, respondebit, nescio.... — Non igitur sic repente, non sic facile, non sic viliter videtur talis regis iurisdictio laceranda, sub quo nil quantum ad iusticiam inordinatum existit, nisi id quod non potest sub sua iusticia comprehendi.... — Et hiis notoriis et evidentibus iniquitatibus nostri subiecti non sine gravi iniuria nostra, ac bona ecclesiarum continuo devorantur. Et illa per tot litigia accipiunt alieni et usurarii, que deberent pauperibus erogari...*

8. *Et an verum dicamus, ista videlicet iniqua in nostro pocius regno versari, saltem racione* multitudinis causarum in Curia Romana *existencium, que tamen nulli debet iusticiam denegare. — Et mulitudinis litterarum que ibidem impetrantur, plus quam de aliis regnis mundi advocati de curia, scriptores, notarii et procuratores possunt perhibere testimonium veritati.... — Sed queritur: cur in nostro regno plus quam in aliis tanta iniqua et inconveniencia perpetrantur. Respondetur: primo quia* [*de iure*] non consistunt sub nostra iusticia *corrigenda.... — Secundo hoc evenit et contingit* ex habundancia et debita observacione immunitatis ecclesiastice libertatis, *quia* [*iusta racione*] *rex Francie resistere non potest hiis, que sunt per Ecclesiam corrigenda. Non sic, non sic alibi, immo in aliis partibus mundi grangie* (2) *ecclesiarum triduo a dominis terrarum et a guerrantibus militibus vacuantur, que victum anni integri continebant... Ville ecclesiarum ardentur.... — Animalia capiuntur.... — Pro dolor, immo ipsi episcopi capiuntur et interdum occiduntur... — Ut de capcione in Vienne partibus et in Alamannia.... — Et de occisione in Romaniola et Tuscia palam constat esse modernis temporibus perpetratum....* (3)

9. *Et ideo digna animi turbacione movemur, quod per nostram Matrem et nostros prelatos plus quam alicui alteri regi tam viliter detrahatur, cui videretur esse pocius deferendum, et tamen suam et nostram querunt pacem infringere et turbare per multiplices usurpaciones, et varias et diversas, ac per diffamacionem, dicentes:* nos malos habere consiliarios, et quod iuvenis existamus. *Sed hec homo improperat et non Deus, ipse enim Deus considerat, quod ex studiis suis puer intelligitur ‹quis esse vel non esse›. Et tamen per talem diffamacionem eis contra nos ita leviter creditur, ac si Evangelium cantarent. Et ex hac sic adhibita leviter credulitate sunt animi audiencium ita contra nos et nostros consiliarios informati, ut diligens pocius ad improperandum quam ad exaudiendum nobis audiencia concedatur, et contra nos reportant litteras quales volunt, ut supra nos et contra nos sit adversarius noster iudex, episcopus Pictavensis....*

(1) Is. LXV, 25. (2) *Grangia:* grange — *Guerrantibus* de *guerrare.* Du Cange. (3) A en juger par ce qui arriva durant les vingt-cinq années suivantes, on croira plutôt à une menace qu'à une excuse. Gautier l'éprouva durement quand on se rua sur lui et quand on le dévalisa à Angoulême.



10. *Sed iterum opponitur, quod talia ad excusacionem proponere non convenit iusto regi.... immo disconvenit, quia multiplicare inconveniencia non est solvere questionem.... Sed e(r)rat qui sic opponit, quia dicimus et diximus, quod a nobis inconveniens non procedit, nec in substancia rei geste, nec dum conquerimur nos tam viliter pertractari.* Non enim procedunt nostra opera ab illa iuventute *quam improperant Carnotenses. — Quomodo enim dum adhuc in carne sumus et ad gubernandum nostrum regnum honore regio indigemus, de tanta vilitate et inequalitate possumus non dolere?*

VI. — Sequitur: Contra omnes....

1. *Ex eo enim nostrum clamorem adhuc compellimur iterare, quia nostri prelati* propter nostram habundantem mansuetudinem, *non solum in faciendo, immo in faciendo et obmittendo, iura Corone Francie destruere non verentur. Obmittunt enim ad gravem nostram iniuriam iuris preceptum et sui officii debitum exercere, quia cum clericos, publicos negociatores et se turpibus questibus involventes monere teneantur, ut ab hiis desistant, et eos ex tunc non defendere, quominus munera civilia recognoscant, hoc facere totaliter pretermittunt.*

2. *Hoc ipsum et amplius de mercatoribus ytalicis et aliis extraneis obmittentes, qui tam uxorati quam non uxorati, publice, mercatores et feneratores coronas falsas deferant et habitum clericalem, ad Dei et cleri ignominiam, quantum in eis est sacra misteria deridentes et nos in nostris iuribus defraud(a)ntes.... — Quamvis huiusmodi falsitatis et abusionis testis sit ipse mundus, et Deus, et fama continua et continuata proveniens eciam a religiosis sue patrie et honestis aliis personis affirmantibus, quod in tota Ytalia vix possent* quatuor reperiri publici mercatores, *uxores habentes vel non habentes,* qui portant coronam *et habitum clericalem, et tamen de Ytalia et aliis partibus remotis credimus posse in regno nostro* fere viginti milia *talium abutencium inveniri....*

3. *Quinimmo, ut ab eis delinquentibus pingues et magnas emendas habeant nostri prelati, quas <et tallias supra eos> nos habere deberemus, et que supra CLX* (1) *milia librarum creduntur adscendere annuatim, uno anno cum alio compensato, eos ad nostram et Dei gravem iniuriam substinent et defendunt. <Nam severior de iure communi ad tallias tenentur, etiam (?) si nullas possessiones habent in territorio in quo morantur>. Quos abusores non alius episcopus facit clericos, quam ingressus in nostrum regnum, ab eodem caracterem malicie assumendo et eos dum recedunt deponit egressus ab habitu sic suscepto, quia vile sic eos esse in sua patria reputatur... — Et ita circa istos sicut erga primos iam dictos obmittunt exequi iuris preceptum, quo tenentur ipsi prelati ex suo officio inquirere et punire de tanta Dei offensa et nostra, de eo quod tantus clamor innuit et diffamacio manifestat...*

4. *Nos autem sicut dolenter, ita humiliter hec omnia iacula substinemus, quibus nulli reges de mundo tam graviter feriuntur... quamvis videamus quod illa auctoritas: Reddite que sunt Dei Deo* et *que sunt Cesaris Cesari* (2), *per ipsos prelatos est totaliter vilipensa... — Sed, si quid reperiatur scriptum, quod per longam narracionem et obscuram conclusionem quoquomodo contra nos facere videatur, unum iota non peribit* (3).

(1) Les lettres ont été grattées ; le C bien qu'encrassé se laisse encore entrevoir. (2) Math. XXII, 21. Marc. XII, 17. Luc. XX, 25. (3) Math. III, 18.



Celum et terra transibunt, sed hoc non poterit preterire. Et tamen iura scripta, et Evangelistarum et Apostolorum tradiciones nobis et Corone nostre apud prelatos nostros et clericos nihil prosunt...

5. *Et per talium abusorum defensionem et huiusmodi pessime defensionis exemplo, iam fere tercia pars hominum nostri regni ad tam falsi presidii subsidium est conversa; ut fabri, pelliparii, tabernarii, sartores, draparii et usurarii publici per dampnatam assumpcionem huiusmodi corone gaudeant privilegio clericali; quantuncumque clamet et deploret sua incommoda, noster fiscus... — Sicque continua rapina et avaricia privamur ex nostra mansuetudine et paciencia iuribus et personis.... — Et in tantum hec abusio, ⟨in his et aliis casibus non facile numerandis⟩ crevit et cotidie crescit. Quod nisi, brevi tempore, nostro regno celeri remedio succurratur, erit ille princeps rex scacorum, qui pre aliis consuevit catholice fidei et defensionis sancte Matris Ecclesie brachium solidum reputari...*

6. *Fatemur tamen, quod a quadam nota culpe nos non possumus excusare illa videlicet, quia non est alia racio, quare in nostro regno et non in aliis talia pocius committuntur, nisi quia sub nostra et nostrorum baronum securiori protectione consistunt. Et nostra iura per tales perdere cum paciencia substinemus... Et sic ex tali protectione et paciencia culpe participium contrahimus cum eisdem, qui vitam inhonestam taliter ducunt contra canonicas sanctiones se turpibus questibus involventes.... et cum illis, qui per falsitatem et abusionem huiusmodi Deum et nos decipiunt, sacra, prout premittitur, misteria deridentes....*

7. *A quibus dampnatis participiis in futurum precavere proponimus, secundum Deum et iusticiam de consilio sapientum, quod aliter per nos facere non possumus, nisi illa que a nobis procedit causa de medio auferatur... Id est ut in regno nostro sub sua fortuna vivant de nostra vel nostrorum baronum, dum talia egeant defensione sive protectione nullatenus confidentes... Speramus enim quod per hanc nostram Deo gratiam provisionem Ecclesia et princeps accipient que sua sunt, si quisque eorum tali irregularitate vivendi dimissa, ad rectam vivendi secundum statum suum regulam revertatur...*

8. *Illud autem non duximus obmittendum, quod in aliqua parte nostri regni prelati aliquam certam partem sibi vendicant de bonis eorum qui decesserint intestati. Quam extorsionem trahere nituntur ad hereditates pupillorum, non sine magna cupiditate, cum illi de tali improvisione redargui non possint, qui nullum facere potuerunt testamentum...*

9. *Nec hiis omnibus contenti, nobis circa omnia ista* subtrahunt *quantum possunt* consilia sapientum, *inferentes contra omnes, qui audacter et intepide pro nostrorum iurium defensione loquantur eciam coram Papa, nedum in nostro regno, quod sunt persecutores ecclesiastice libertatis.... — Et per hoc prelati et clerici de nostro consilio existentes, vix ausi sunt pro nobis loqui, et si interdum loquantur, aut in illorum adversariorum nostrorum absencia loquuntur, quasi in secreto, aut coram eis ita tepide et remisse, quod suum bonum conceptum dinudiant, defensioni nostre partem incongruam tribuendo... — Timent enim ne, ad Romanam Ecclesiam ac viros venerabiles Cardinales, in ipsis ecclesiis beneficia optinentes, rumores referantur quod sint, ut predicitur, persecutores ecclesiastice libertatis. Sic undique vilificati, et consiliarios habere libere non possumus contra eos, et tamen contra nos ipsi libere habent, et non solum ipsi, immo directe contra nos in regno nostro iudei et vetule et burgenses... — Et ideo,*



istis austuciis (1) *ac timore excommunicacionis, quam summa devocione timent, homines nostri regni inducunt contra nos, patronum sue pacis et tranquillitatis <exacciones et> consuetudines irracionabiles prout volunt...*

10. *Attendat igitur pia Mater, et consideret diligenter, fore necessarium, quod per veritatem et auctoritatem Ecclesia timeatur. Et si tantum secundum remaneat, id est, auctoritas et non veritas, ut timore excommunicacionis sententie ipsorum prelatorum de nostro Regno et aliorum, <obmissa> veritate iusticie, divina disposicio offendatur. Licet nos filius obbediencie debite existere cupiamus, tamen ex hoc scandala sunt in prontu, <quia* nec Deus nec populus christianus *tantam iniquitatem* poterit substinere...>

VII. — Sequitur: Conclusio super premissis et oblacio et declaratio intentionis Regis circa omnia premissa.

1. *Circa ista omnia sic narrata, et ad ipsius sancte Matris nostre prout optamus noticiam deducenda... Ecce quod nos de premissis contingentibus, modo predicto, temporalem iurisdictionem parati sumus reddere, in nostra Curia, omnibus iusticie complementum... Super aliis vero, ipsam Matrem nostram humiliter deprecamur: ut sua solita benignitate curet illa remedia adhibere, per que nostris iuribus non fraudemur per eos, quos et sua iura in tanta pace fovemus, quod pinguedo proveniens ex habundancia nostre pacis et salubris regalis regiminis effunditur per universum orbem et usque ad gremium nostre Matris... — Clerici, laici, iudei, saraceni et cuiuslibet nacionis que sub celo est fructum ampliorem de nostra prosperitate reportant quam de aliis regnis mundi, quod totum provenit ex matura observacione iusticie, ex qua observacione, Deo summe grata, provenit habundancia nostre pacis...*

Quod si forsan in premissis, non Deus sed homo, nobis voluerit adversari, nos et regnum nostrum supponimus Curie Ecclesie Triumfantis, cuius iudicium nec fallit, nec fallitur, sed semper in(n)ititur veritati; sed humanum fallere contingit et falli secundum canonicas sanctiones...

2. *Quare te sic supponis? Respondemus: Quia <in hac valle> tua nobis, Domine, disposicio nihil prodest, qua traditur quod eterni tribunal iudicis illum reum non habet quem iudex iniuste condempnat, quia addicio facta est in terris, ut iniusta ligetur sentencia qui contempnit.... Si ergo contempnimus, hoc :: ipso, :: asserunt nos ligatos, si contempnere non velimus, rapiunt bona nostra de quibus circa fidem et Ecclesie libertatem defendimus causam tuam.... Superest ergo ut tu, Domine, iudices causam nostram, quam dicimus esse tuam.... Nam et si radicitus inimicos Ecclesie tue extirpare non possumus, quia non vis omnia corrigere in terris... Tu Dominus ulcionum :: vitam magis quam mortem interdum diligens peccatorum :: nam non semper vis, Tu summa sapiencia, ut tui amici tuos totaliter superent inimicos, ne ex hoc aliquando superbientes dicant: manus nostra excelsa et non Dominus fecit hec omnia... Nullus tamen christianus negare potest, quin eis frenum terribile et aridum existamus, quo mediante, non prevalent usquequaque porte inferi contra eam... De quo freno: Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam... Tu videlicet, qui propter hec verisimiliter crederis nostrum regnum et brachium seculare habundancia tante felicitatis singulari privilegio stabilisse: <quesumus ergo ut Tu ipse sis ipsius tui privilegii conservator>.*

Quaracchi. P. André Callebaut, O. F. M.

(1) *Austucia* pour *Astutia*. Du Cange.



DOCUMENTA INEDITA

AD HISTORIAM FRATICELLORUM

SPECTANTIA

(*Continuatio*) (a).

Tercius error eius est, quod apostoli in speciali et sigillatim proprietatem et dominium proprium vestimentorum, alimentorum, caligarum et gladiorum, etiam post missionem sancti spiritus in eis factam, habuerunt, et quod illa uerba (1): *Ecce nos reliquimus omnia* etc. non sunt intelligenda quoad abdicationem proprietatis et dominii, set quoad affectionem et curam.

Iste error abhominabilis contradicit determinationi Ecclesie supradicte et sanctis superius allegatis et contradicit sacre scripture Luce XIIII° (2): *Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus* et contra beatum Basilium et beatum Benedictum et beatum Gregorium et alios sanctos. Est etiam contra sacrum textum Mathei XIX° (3): *Ecce nos reliquimus omnia* etc. Et quando dicit iste expositor modernus et anormalus (4) Iohannes maledictus, quod illa uerba: *Ecce nos reliquimus omnia* etc. non sunt intelligenda quoad abdicationem proprietatis, set quoad affectionem et curam, beatus Gregorius dicit expresse contrarium contra istum Iohannem excecatum, in omelia super illud Mathei 4° (5): *Ambulans Ihs secus mare Galilee,* vbi loquens de Petro et Andrea dicit: *Multum reliquit, qui nichil sibi retinuit, multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis habendi renunciauit.* Et nescio quid clarius dici possit contra istum abhominabilem errorem Iohannis a deo maledicti, tum quia dicit quod totum reliquit, tum quia dicit quod quantumcunque parum totum deseruit, tum quia dicit Gregorius quod cum re possessa etiam concupiscentiis habendi renunciauit; non dicit beatus Gregorius in re possessa, set dicit cum re possessa. In oppositum istius erroris est beatus Antonius de ordine fratrum Minorum, sanctus gloriosissimus, in *sermone conuersionis sancti Pauli* (6) supra illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia* etc., ubi dicit sic: *Recte, Petre, fecisti, non enim currentem sequi poteras honeratus; paulo superius audierat dominum dicentem: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum celorum* (7). *Ideo, ut facile intraret, omnia dereliquit. Que omnia? Exteriora et interiora, idest habita et habendi voluntatem.* Ecce quam clare iste peruersus et ma-

(a) Cf. AFH III, 253-279; 505-529; 680-699; IV, 3-23; 688-712; V, 74-84; VI, 267-290.

(1) Matth. XIX, 27. (2) XIV, 33. (3) V. 27. (4) Sic! (5) V. 18. *Homiliae in Evangelia,* lib. I, hom. 5, n. 2, Migne, P. L. 76, 1093 (cum lacuna).

(6) Inter varios Sermones S. Antonii hunc non inveni. (7) Matth. XIX, 23.



ledictus Iohannes loquitur hic suo ore blasphemo contra istos sanctos et alios supradictos.

Qvartus error istius peruersi et a deó reprobati est, quod xps nunquam consuluit suis apostolis nec suis discipulis abdicationem proprietatis et dominii omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi.

Iste error est contra determinationem Ecclesie supradictam, vbi dicitur quod *xps uerbo docuit et exemplo firmauit abdicationem omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi, tanquam meritoriam et sanctam,* ut superius fuit allegatum. Est etiam contra sacram scripturam (1): *Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus* etc., et (2): *Si vis esse perfectus* etc. Et est contra sanctos superius allegatos.

Qvintus error istius est, quod xps non reperitur aliam legem viuendi dedisse apostolis quam discipulis, per discipulos intelligens quoscunque fideles x^i^anos, sicut specificat de Ioseph ab Arimathia, qui erat *diues* in speciali (3), et de Martha et Maria, que erant domine castri et de Lazaro (4) et de Dorcha (5).

Isti errori fetido contradicit Augustinus, *De bono coniugali* c^o^. IX° (6) dicens ita: *Bonum erat quod faciebant qui de substantia sua xpo et eius apostolis necessaria ministrabant, set melius qui omnem suam substantiam dimiserunt, ut expedientiores eundem dominum sequerentur.* Hec Augustinus. Est etiam contra sacrum textum (7): *Nolite possidere aurum neque argentum* etc. Et (8): *Nichil tuleritis in via* etc. et est contra multos alios sanctos, qui contrarium dicunt omnes.

Item dixit dictus maledictus Iohannes, quod apostoli, stante euangelica perfectione, potuerunt habere bona inmobilia, ut agros et predia, et quia talia in Iudea non retinuerunt, non fuit nisi ex eo, quia preuidebant in spiritu se transituros ad gentes.

Iste error est contra sacrum textum (9): *Ecce nos reliquimus omnia* etc. Et contra illum (10): *Nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro, aptus est regno dei;* et sic apostoli secundum eum non fuerunt de numero saluandorum, quod est erroneum et blasphemum.

Item dicit dictus Iohannes quod apostoli nunquam votum abdicationis proprietatis omnium rerum temporalium emiserunt. Huius erroris contrarium sub propria forma uerborum asserit Augustinus XVII° libro *De Ciuitate dei* 4° c^o^ (11): *Dixerunt illi potentes: Ecce nos reliquimus omnia, hoc votum potentissime vouerant* etc.

Item dicit dictus Iohannes maledictus et maleficus, quod apostoli potuerunt licite pro rebus temporalibus, sicut pro rebus propriis, in iudicio contendere et litigare.

Iste error vilissimus est contra sacrum textum Mathei V c.^o^ (12), ubi dixit xps: *Ei qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Et est contra sacrum textum Luce VI° c.^o^ (13): *Et ab eo qui aufert vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Et qui aufert que tua sunt, ne repetas.*

Omnes istos errores et plures alios posuit et dixit Iohannes papa supradictus in illa quarta constitutione abhominabili seu rescripto *Qvia vir reprobus.* Audiuistis blasphemias, Reuerendi domini, contra vestrum salua-

(1) Luc. XIV, 33. (2) Matth. XIX, 21. (3) Cf. Matth. XXVII, 57.
(4) Cf. Ioh. XI. (5) Cf. Act. IX, 36. (6) In ed. Migne, P. L. 40, 380, cap. VIII.
(7) Matth. X, 9. (8) Luc. IX, 3. (9) Matth. XIX, 27. (10) Luc. IX, 62.
(11) Migne, P. L. 41, 530. (12) V. 40. (13) V. 29-30.



torem et contra eius apostolos gloriosos? audiatis adhuc alios, ut caueatis vobis diligentissime ab eo et ab eius doctrina maledicta, abhominabili et blasphema.

Dicit in illa sua prima erronea decretali ac heretica, scilicet *Ad conditorem canonum,* inter alios errores iste pestifer Iohannes quod in rebus vsu consumptibilibus non reperitur vsus facti.

Iste error est contra sacram scripturam, prima ad Tymotheum V° c.° (1): *Modico vino vtere propter stomacum tuum.* Est iste error contra librum Leuitici (2) et Numerorum (3), Deuteronomii (4) in multis locis et contra multos alios textus sacre scripture, quos dimittimus scribere hic causa breuitatis.

Item dicit dictus Iohannes acephalus et enormalus (5) quod *in rebus vsu consumptibilibus,* sicut sunt panis, vinum et vestes et etiam pecunia, secundum Institutam (6), in talibus inquam rebus, ut dicit, *vsus facti non potest a dominio et proprietate separari.*

Iste error est ita abhominabilis et peruersus, quod omnem religionem vouentem viuere sine proprio, destruit, confundit et annullat, quia de necessitate secundum istum maledictum xps et eius apostoli fuerunt proprietarii et omnes de regula beati Benedicti, Basili, Augustini et Francisci sunt et fuerunt proprietarii in speciali et non solum in communi, quod est contra regulas eorundem sanctorum et contra determinationem sancte matris Ecclesie et contra Innocentium, *De statu monachorum* c.° (7) *Cum ad monasterium,* ubi dicit Innocentius quod *abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regule monachali, vt contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.*

In illa *Cum inter nonnullos* hereticat diffinitiue dictus Iohannes, ferus singularis (8), omnem hominem pertinaciter tenentem quod xps et apostoli non habuerint in proprio et in communi. Cuius oppositum dixit papa Nicholaus tercius in decretali *Exiit qui seminat,* quam decretalem consilium Vienense approbauit et confirmauit. Iste maledictus Iohannes expresse hereticat et condempnat dictum Nicholaum et totum consilium Vienense et alios quam plurimos summos pontifices et quam plures sanctos, qui dicunt expresse contrarium huius abhominabilis ac heretice decretalis, quorum dicta, licet non omnia, superius sunt ascripta. Hereticat etiam semetipsum hic dictus Iohannes, ut cito omnia possemus ostendere veraciter, si spacium competens haberemus; et sumus parati cum gratia diuina omnia dicta et dicenda clarius ostendere, quandocunque per uos uel per alios essemus requisiti. Heu, heu, quis unquam in Ecclesia dei seminauit tantam zizaniam, sicut iste Iohannes maledictus!

In illa *Qvia quorumdam mentes* inter alios errores dicit iste fantasticus et erroneus Iohannes sepe dictus, quod illud dictum xpi, quando dixit apostolis, quod non portarent pecuniam, non fuit preceptum, set potestas recipiendi necessaria ab hiis, quibus predicabant Euangelium, quod apostolis licuit uel non licuit obseruare (9).

---

(1) V. 23. (2) XXVII, 30; VII, 24. (3) XVIII, 13; 18; 23-24.

(4) XXIII, 24-25. — Praedicti loci citantur ap. Michaelis de Caesena *Appellationem minorem* factam Pisis, 19 Sept. 1329, proclamatam ib. 12 Dec. 1329, Eubel, *BF* V, 413, nota; Baluzius-Mansi, *Miscellanea,* III, 305; et ap. *Appellationem maiorem,* eodem tempore factam et proclamatam ac illa minor, Baluzius-Mansi, *Misc.,* III, 253.

(5) Sic! (6) Sic! Cf. Institutiones, de usu fructu, leg. 1. lib. II, tit. XI.

(7) Extra, cap. 6, (III, 35). (8) Cf. Ps. 79, 14. (9) Haec iuxta S. Augustinum; cf. AFH III, 276, nota 6.



Iste error feditissimus est expresse contra sacrum textum Marci VI° c.° (1), vbi expressime dicitur: *Precepit eis, ne quid tollerent in via,* et Mathei VI° (2), ubi dicitur: *Nolite thezaurizare vobis thezauros in terra* etc. Est etiam iste error contra sanctos Gregorium, Ambrosium, Ieronimum, Eusebium, Augustinum (3) et Bernardum et Crisostomum. Et possemus hic allegare XVII^em^ auctoritates sanctorum, quod fuit preceptum et non potestas solum accipiendi necessaria, vt dicit iste Iohannes a deo reprobatus. Quot et quantos alios errores posuit et dixit iste maledictus, spacium scribendi non habemus pro presenti, quia nimis esset longum.

Qvo modo (4) etiam iste Iohannes cecidit in plures errores antiquos condempnatos per Ecclesiam et per sanctos ab antiquo, scilicet quorundam philosophorum paganorum ponentium mundum ab eterno; in errorem etiam cecidit Iudeorum, Sarracenorum, Seduceorum, Manicheorum, Grecorum, Sabelliorum, Arrianorum, Vigilantii, Ioviniani, Magistri Guillermi de sancto Amore et Valdentium, alias vobis explicabimus, domino concedente. Quot errores Auinione publice predicauit, quis posset omnia per cartam enarrare? dimittimus pro nunc propter nimiam prolixitatem euitandam.

Isti errores supradicti cum aliis et hereses a papa Iohanne XXII° inuenti, constituti, predicati, et deffensi et a suis successoribus confirmati et approbati sunt absque dubio illa *abhominatio desolationis stans in loco sancto* (5), hoc est in Ecclesia, a Daniele prophetata (6) et a xpo predicata et diuulgata, vt fidéles Xpiani vigilanter et diligenter caueant ab eadem; et ideo dixit ibi xps, scilicet Mathei XXIIII° (7) *qui legit intelligat,* hoc est, taliter legatur quod etiam intelligatur, ne per eam ducamur in errorem et in dampnationem eternam. Nunquid dixit ibi xps (8), quod surgent pseudo xpi, hoc est falsi pontifices et prelati, et *pseudo prophete* (9), hoc est falsi magistri et doctores, ad literam videmus esse conpletum, licet non plenarie, donec veniat maior antixps, quem breviter absque dubio expectamus, quia dictus Iohannes cum omnibus suis fautoribus infinitis sunt eius nuncii et discipuli principales, sicut fuerunt veri prophete scilicet Ysaias, Ieremias et alii, nuncii et precursores (10) domini nostri Ihu Xi pauperis crucifixi.

Et ideo ualde bene nos informauit magister magistrorum, dominus noster Ihs in capitulo Mathei antedicto et in sancto Luca (11) illud idem. Et quid dixit (12)? *Videte ne seducamini* per falsam doctrinam et pessimos errores, quos debent seminare pseudo xpi et pseudo prophete, discipuli et precursores antix^i^.

Hodie, Reuerendi domini, completum est illud propheticum Ioelis secundo c° (13): *Sol conuertetur in tenebras,* vbi Glosa dicit: *Sol, idest euangelium, conuertetur in tenebras,* idest in heresim, quia ad literam iste maledictus papa Iohannes XXII^us^ multos errores et hereses contra xpi

(1) V. 8. (2) V. 19. (3) Cf. pag. praec. nota 9!

(4) Hic Fraticelli alludunt ad « errores » dogmaticos, quos Michelistae ex sermonibus Iohannis XXII falso construxerunt atque mox illis de paupertate in libellis contra Iohannem XXII editis addiderunt; cf. ex. gr. *Protestationem* Michaelis a Caesena a. 1338 editam a Carlini, *Fra Michelino e la sua eresia,* Bologna 1912, 298 ss.; de « erroribus » dogmaticis ib. 294-300; *Litteras Fraticellorum* notas sub nomine *Defensoriu* Occami seu *Protestationis* Mich. a Caesena (cf. supra, IV, 16-23), quarum editiones supra, III, 256; cf. etiam supra, V, 84. (5) Matth. XXIV, 15; Marc. XIII, 14.

(6) IX, 27. (7) V. 15. (8) Matth. XXIV, 5. (9) Matth. XXIV, 11.

(10) Textus: *precurcusores.* (11) XXI. (12) Luc. XXI, 8. (13) V. 31.

euangelium seminauit, sic quod sol, idest xpi euangelium, quod est clarum et lucidum de se, et in se, in tenebras, idest in diuersas obscuritates, per hereticos homines, quantum in ipsis est, est redactum. De isto papa Iohanne XXII° et de omnibus complicibus et fautoribus suis prophetizauit sic Abbas Ioachim (1), *Super Ieremiam: Vinea Auinionis botrum erroris fidelibus ministrabit, que non minus patietur iudicium quam Sodoma et Gomorra.* Omnia mala que venerunt et debent venire, nisi deus ponat remedium, habent ortum et radicem principaliter a condempnatione euangelii domini nostri Ihu Xi, quam condempnationem fecit Iohannes sepe dictus cum suis fautoribus infinitis. Et ita dicit Ysaias propheta c.° V° (2): *Abiecerunt enim legem domini exercituum et eloquium sancti Israel blasphemauerunt, ideo iratus est furor domini in multitudinem et extendit manum suam super eum et percussit eum, et conturbati sunt montes et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum, in omnibus his non est auersus furor eius, set manus eius adhuc extenta.* Et vere abiecerunt, idest retro iecerunt, et *conculcauerunt legem domini exercituum,* scilicet papa et cardinales et alii. *Et eloquium sancti Israel blasphemauerunt,* idest sanctum euangelium, *sancti Israel,* idest xpi, condempnauerunt et maculauerunt, scilicet papa Iohannes et sui sequaces, et factus est *furor domini* contra *populum suum.* Set ve eis, scilicet prelatis istis hodiernis, quia cito videbit totus orbis terribilem vindictam contra eos, ut est prophetatum per multos prophetas antiquos et modernos (3), quorum prophetias tacemus pro presenti, quia hodie conpleta est prophetia, quando scilicet talis sacerdos, ymo communiter sacerdotes hodierni sunt peiores. De papa Iohanne multociens repetito et de suis successoribus, scilicet Benedicto, Clemente et Innocentio hodierno, et de omnibus suis fautoribus, Reuerendi domini, nichil aliud dicimus nec credimus nec sentimus, nisi illud quod dicit et determinat sacra scriptura, et sancta mater Ecclesia Romana et sancti contra ipsos, et qui hoc non credit.............. (4) vltimus *error* esset absque dubio *peior priore* (5), non dubitat de hoc vir fidelis. Videamus primo, quid dicit sacra scriptura contra illos, qui dicunt et determinant contra euangelium Xi, uel eius doctrinam.

Beatus Paulus doctor gentium determinat sic contra tales ad Galatas I° c.° (6): *Set licet nos,* scilicet *apostoli* dicit glosa, *aut angelus de celo euangelizet uobis preter quam quod euangelizauimus vobis, anathema sit* et excommunicatus et maledictus a deo. Et replicat (7) istam sentenciam gloriosus Paulus ad melius in cordibus fidelium inprimendam et retinendam, quia bene sciebat quod surgerent pseudo pape et pseudo prophete contra euangelium domini nostri ihu xpi. Et nos pauperculi istam sentenciam beati Pauli credimus firmiter esse veram. Et ideo per istam sentenciam credimus papam Iohannem XXIIm, postquam posuit et instituit errores supradictos et multos alios contra euangelium xpi, fuisse anathematizatum et excommunicatum et a deo maledictum, et si hoc non crederemus, sacre scripture essemus contrarii et rebelles, et essemus excommunicati et heretici, sicut fuit Iohannes XXIIus maledictus.

(1) *Commentarius in Ieremiam* ad scripta pseudo-ioachimitica pertinet, ortus parum ante medium saec. XIII, editusque Venetiis 1519; 1525; Coloniae 1577; cf. *Chronicon* Fr. Salimbene, ed. Holder-Egger, MGH Script., XXXII, 236, et idem ap. *Neues Archiv,* XV, 1890, 150 ss.; XXXVIII, 1913, 476. (2) V. 24-26.

(3) Forsan prophetiae pseudo-ioachimiticae. (4) Deletus est textus ex plica.

(5) Matth. XXVII, 64. (6) V. 8. (7) L. c. V. 9.

Item beatus Iohannes euangelista informat nos, qualiter nos debemus habere contra omnem hominem, qui esset contra doctrinam xpi et Ecclesie in sua canonica (1) dicens ita: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei aue, communicat operibus illius malignis.* Item idem Iohannes in suo Euangelio 3° c.° (2) nos docet et informat sic: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Et nos pauperculi istas sentencias credimus firmiter esse ueras. Et ideo per istas sentencias supradictas credimus papam Iohannem XXII[m], postquam dixit et attulit et instituit doctrinam contrariam euangelio X[i] et sancte Ecclesie, ut patet multipliciter superius, esse iudicatum et excommunicatum, et hereticum fuisse, taliter quod nullus fidelis post suam doctrinam hereticam debuit ipsum salutare, nec cum eodem communicare, postquam sciuit ipsum esse talem, et si hoc non crederemus, essemus contrarii et rebelles sacre scripture, et essemus excommunicati et heretici, sicut ipse. Sancta mater Ecclesia Romana nos docet et informat sic contra omnem hominem contrarium sacre scripture et fidei catholice in decretali *extra, de uerborum significatione* c.° (3): *Super quibusdam* ita dicens: *Qvi sint censendi heretici manifesti? duximus respondendum: Illos intelligendo hereticos manifestos, qui contra fidem catholicam publice predicant aut profitentur aut deffendunt errorem.* Hec ibi. Set papa Iohannes XXII[us] non solum vnum errorem, set quamplurimos errores abhominabiles, ut superius est dictum, predicauit, instituit, et deffendit contra fidem catholicam, contra sanctam scripturam et contra sanctos, ergo fuit absque dubio hereticus manifestus, et si hoc non crederemus, essemus contrarii et rebelles sancte matri Ecclesie Romane et essemus heretici, sicut Iohannes papa maledictus. Item, *extra, de summa Trinitate et fide catholica* informauit nos et docet sic sancta mater Ecclesia Romana: *Firmiter credimus* etc. (4). Et infra (5): *Excommunicamus itaque et anathematizamus omnem heresim extollentem se aduersus hanc sanctam orthodoxam fidem, quam supra exposuimus, condempnantes hereticos vniuersos quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diuersas, set caudas adinuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum.* Hec ibi.

Ecce pulcherrima doctrina et clara tocius consilii generalis et Ecclesie Romane contra omnem falsam, erroneam doctrinam, que esset contra fidem chatholicam et que esset contra sacram scripturam, quia omnis talis doctrina per sacrosanctum consilium generale est condempnata, excommunicata et anathematizata, et omnis hereticus per ipsum consilium generale est condempnatus, excommunicatus et anathematizatus, quocunque nomine sit vocatus, siue sit papa, siue cardinalis, siue episcopus uel presbiter uel cuiuscunque conditionis existat. Et nos pauperculi istam sentenciam sacri consilii credimus firmiter esse veram et sanctam. Et per istam sentenciam dicti sacrosancti consilii credimus doctrinam supradictam pape Iohannis XXII esse excommunicatam et condempnatam et ipsum papam Iohannem per idem sacrosanctum consilium esse condempnatum. Et si hoc non crederemus, essemus rebelles sancte matri Ecclesie Romane, et essemus heretici et excommunicati, sicut Iohannes maledictus sepe dictus.

Item Augustinus XXIIII, q. III[a] (6) dicit sic: *Hereticus est qui alicuius com[m]odi temporalis, maxime vane glorie, principatusque sui gra-*

(1) 2 Ioh. 10-11. (2) V. 18. (3) Cap. 26 (V, 40).
(4) Cap. 1 (I, 1). (5) Cap. 13 (V, 7). (6) Cap. 28.

tia, falsas ac nouas opiniones gignit aut sequitur. Item Ysidorus sanctus gloriosissimus dicit sic (1): *Is qui preest, si preter voluntatem dei uel preter quod sacris scripturis euidenter precipit uel dicit, tanquam falsus dei testis, uel sacrilegus habeatur.* Et has sententias sanctorum decretorum credimus esse veras, et per has papam Iohannem XXII^{um} fuisse et esse condempnatum et sacrilegum et falsum dei testem propter doctrinam suam maledictam superius recitatam et multiplicem aliam pro nunc recitare non valemus, quia non habemus bene spacium neque tempus. Et si hoc non crederemus, essemus heretici et condempnati et maledicti et excommunicati, sicut Iohannes hereticus maledictus.

Contra deffendentes, tenentes, credentes et non corrigentes errores aliorum determinant sacra decreta que sequuntur in hunc modum: Vnde XXIIII^{a} causa, q. III. c.^{o} (2) *Qui aliorum* dicit sic Vrbanus papa: *Qui aliorum errorem deffendit, multo est dampnabilior illis, qui errant, quia non solum ille errat, set etiam aliis offendicula erroris preparat et confirmat, vnde quia magister erroris est, non tantum hereticus, set etiam heresiarcha dicendus est.* Hec ibi. Heu, heu, dulcissime ihu xpe, tu scis, quot sunt hodie ista sentencia inuoluti et irretiti, qui errores dicti Iohannis deffendunt et confirmant, qui sunt peiores quam Iohannes maledictus. Item Leo papa *extra, de hereticis* (3) dicit sic: *Qui alios, cum potest, ab errore non reuocat, se ipsum errare demonstrat.* Item Innocentius papa 3us, ut habetur *extra, de sentencia excommunicationis*, c.^{o} (4). *Quante* dicit sic: *Non autem solos violentie huius actores aliquorum presumptio estimet puniendos, set facientes et consentientes pari pena plectendos catholica condempnat auctoritas, eos delinquentibus fauere interpretans, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare.* Hec ibi. Item Gregorius LXXXIII^{a} di. (5): *Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, que corrigi debent, non occurrit.* Item Iohannes VIII^{us} di. LXXXIII^{a} c.^{o} *Facientis* (6) dicit sic: *Facientis procul dubio culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare.* Item Pius papa di. LXXXIII^{a} c.^{o} (7) *Quid prodest* dicit sic: *Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum prestat erranti?*

Istas sentencias et decreta sancte matris Ecclesie nos pauperculi credimus esse veras, catholicas et sanctas. Et per easdem sentencias credimus et sentimus papam Benedictum XII, papam Clementem VI^{m}, papam Innocentium VI^{m} esse condempnatos, iudicatos tanquam hereticos manifestos et peiores Iohanne supradicto. Et omnes alios fautores Iohannis supradicti uel errorum suorum, quos ignorantia probabilis et inuincibilis uel alia iusta causa non excusat. Et si ista non crederemus, essemus rebelles sancte matri Ecclesie Romane, et essemus heretici et excommunicati, sicut omnes supradicti.

Et si aliquis arguat contra nos, quod nos non debemus iudicare quemquam, specialiter summos pontifices, respondemus quod verum est, quod nos non debemus sic iudicare. Neque iudicamus, absit a nobis. Set demonstrauimus per rationes infrangibiles, veras et catholicas, omnes supradictos et similes per sacram scripturam et per decreta sancte matris Ecclesie Romane et per sanctos esse condempnatos tanquam hereticos manifestos et etiam per

(1) Forsan ex decretalibus Pseudo-Isidori. (2) Cap. 32.
(3) Cap. 2 *Qui alios* (V, 7). (4) Cap. 47 (V, 39). (5) Cap. 5.
(6) Revera cap. 3, dist. LXXXVI. (7) Cap. 4 *Quid enim prodest.*

seipsos sunt dampnati, sicut patet I[a] causa, q. 1[a] c.[o] (1) *Si quis,* ubi dicitur sic: *Si quis de ecclesia heretica presumptione exierit, a semetipso dampnatus est;* ergo ipsos non iudicamus, set ostendimus esse iudicatos, ut est dictum. Et si quis dicat quod hoc est presumptio, respondemus quod non est presumptio deffendere fidem et veritatem catholicam, ymo ad hoc sumus firmiter obligati, ymo totus mundus deberet clamare contra tales fidem catholicam destruentes et maculantes; quomodo est presumptio, et iam dicit Decretum, quod primus gradus innocentie est odisse nephanda. Item dicit Augustinus (2): *Qvisquis metu cuiuslibes* (3) *potestatis, veritatem occultat, iram dei super se prouocat, quia magis hominem quam deum timet.* Item Iohannes Crisostomus, et ponitur IX[a] causa, q. III[a], c.[o] *Nolite* (4): *Non solum ille est proditor ueritatis, qui transgrediens ueritatem pro ueritate palam mendacium loquitur, set ille, qui non libere ueritatem pronunciat, quam libere* pronunciare oportet, aut non libere veritatem deffendit, quam libere *deffendere conuenit, proditor est ueritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem, quam audiuit a deo, libere predicet, sic laycus debitor est, vt ueritatem quam audiuit a sacerdotibus probatam in scripturis, deffendat, quod si non fecerit, prodidit ueritatem. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem* (5). Et supra illud apostoli ad Romanos I[o] c.[o] (6): *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum autem qui faciunt ea, set etiam qui consentiunt facientibus,* dicit glosa (7): *Consentire est tacere, cum possis arguere, vel errorem adhulando fauere.*

Heu, heu, domine ihu xpe, tu scis quot sunt hodie fautores hereticorum supradictorum propter suam taciturnitatem et adhulationem, contra quos et vnumquemque ipsorum dicit propheta (8): *Ve michi, quia tacui.* Et nunquid dicit Augustinus (9): *Qui desinit, cum potest, obuiare peruersis, et non facit, consentire videtur.* Et certe si nos taceremus, specialiter nos euangelii, fautores hereticorum valde bene esse possemus, et descendere cum eisdem in infernum, et possemus incu[r]rere omnes penas et culpas supradictas; quare nullo modo tacere debemus, videndo et audiendo tanta scelera, tot errores et hereses contra nostrum saluatorem dominum nostrum ihum xpm et eius sanctos et contra Ecclesiam sanctam suam, ymo de necessitate cogimur clamare coram vobis, Reuerendis dominis, et coram omnibus veris fidelibus ad cognoscendum et destruendum omnia mala supradicta, que totam xpianitatem infecerunt et maculauerunt et multe et infinite anime descenderunt et descendunt ad inferna propter errores et hereses supradictas. Omnipotens deus per suam infinitam potentiam cito ponat remedium et finem tantis malis. Amen.

Si autem aliquis arguat contra nos (10), quod si papa esset hereticus, episcopi non essent episcopi, nec sacerdotes essent sacerdotes, nec corpus xpi esset corpus xpi, nec sacramenta essent sacramenta, respondemus veraciter absque duplicitate, quod istud argumentum seu obiectio procedit ex magna simplicitate et ex ma-

---

(1) Cap. 70. (2) Cap. 80, caus. XI, q. 3. (3) Sic! (4) Revera cap. 86, *Nolite timere,* caus. XI, q. 3. (5) Rom. X, 10. (6) V. 31.

(7) Ordinaria. — Est S. Augustini, *Expos. propositionum quarumdam ex ep. ad Rom.* n. VII-VIII, Migne, P. L. 35. 2064. (8) Is. VI, 5. (9) Attribuitur S. Gregorio et habetur Dist. LXXXIII, cap. 5 *Consentire,* ubi cf. notam.

(10) Hanc accusationem Fraticelli in omnibus scriptis refellunt, cf. supra, AFH III, 258-59; 263-64; IV, 22; V, 76; 78; 81; VI, 271, semper distinguentes potestatem Ordinis et Iurisdictionis.

gna ignorantia, quia sciat totus mundus quod dato quod papa esset millesies hereticus, nunquam ex hoc defficient nec defficiunt sacramenta; absit hoc solum cogitare menti xpiane. Que est causa quare non defficient nec defficiunt sacramenta? Causa est ista: quia nunquam propter heresim destruitur potestas ordinis seu sacramentalis de facto, absit, quia sic destrueretur tota fides. Et ita fuit determinatum (1) in consilio generali post longam disputationem de hac materia inter papam Stephanum, qui tenebat et dicebat quod sacramenta facta per hereticos erant vera sacramenta. Ciprianus tenebat et dicebat, quod non erant vera sacramenta. Postea consilium generale determinauit pro parte pape Stephani, quod sacramenta facta et data per hereticos, dum tamen fiant sub forma et intentione Ecclesie, sunt vera sacramenta. Et hoc idem dicit beatus Augustinus et alii sancti loquentes de hac materia, quia non fieret solum vituperium sacramento, set xpo, virtute verborum cuius efficiuntur sacramenta. Numquid dixit X[us] in Euangelio (2) quod *ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi,* scilicet in sacramento altaris, ut exponunt sancti? Et numquid videtis de Grecis, quod dato quod sint heretici et scismatici, hoc non obstante, conficiunt veraciter corpus xpi, sicut dicit et tenet Romana Ecclesia tanquam verum, quia verum est quod propter heresim non defficiunt de facto sacramenta?

Et ita nos pauperculi dicimus et confitemur, quod dato quod papa sit hereticus, nunquam ex hoc defficiunt sacramenta, nec defficient, vt est dictum. Tamen illi qui sunt heretici accipiunt sacramenta et dant ad dampnationem ipsorum. Et fideles xpiani non debent ab eis sacramenta accipere, quandocunque scirent ipsos esse tales, excepto baptismo tempore necessitatis extreme, et cum hoc quod non sit in preiudicium fidei xpiane. Et ita dicunt sancti et decreta, que dimittimus, quia spacium non habemus. Quare autem nos pauperculi non accipimus sacramenta ab omnibus sacerdotibus hodiernis? Non dimittimus ab eis accipere sacramenta, quod male sentiamus de sacramentis, absit a nobis. Set in alia litera parua, Reuerendi Domini, audietis rationem, ad hoc, ut melius nos habeatis excusatos et quicunque fidelis xpianus, quia hic defficit carta, ut videtis, et si quis est, qui contra hanc confessionem et deffentionem fidei catholice vellet aliquid dicere uel arguere, non verberet verbis aerem, set ostendat veris rationibus et auctoritatibus rationem seu rationes, quia aliter sicut dicit beatus Ieronimus (3): *Eadem facilitate contempnitur qua probatur.*

Et sciat indubitanter vestra nobilitas et probitas, Reuerendi domini, quod iste veritates et conclusiones supradicte et multe alie fuerunt scripte et presentate anno isto coram ipso papa et coram toto suo collegio, quibus nunquam potuerunt nec sciuerunt respondere, ut alias vobis dicemus, domino concedente, viua voce.

Pax et gratia domini nostri ihu xpi (4) sit semper vobiscum, vt fideliter exoptamus toto corde. Amen.

Benedictio (5) *et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo (deo nostro)* (6) *in seculorum secula. Amen.*

Vestri pauperculi afflicti et tribulati propter xpm et eius veritatem. Datum in Campania hac estate.

(1) Cf. Caus. I, quaest. I, capp. 30ss. (2) Matth. XXVIII, 20.
(3) Ubi dixerit non inveni. Videtur ex Iure Canonico desumptum.
(4) Cf. Rom. I, 7 et saepius in litteris S. Pauli.
(5) Apoc. III, 12. (6) In margine.

VII.

Extracta ex tractatu cuiusdam Iacobi contra Fraticellos (c. 1368-1378).

COD. CCCIV BIBL. ABBATIAE S. SCHOLASTICAE, SUBLACI, Fol. 161 v.

In primis Iacobus exclamat querens diuinum auxilium et dicit: *Multiplicati sunt qui tribulant me. Multi insurgunt aduersus me, dicentes: non est salus illi in deo eius. Set tu domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans capud meum* (1). *Exsurge* ergo *domine, et saluum me fac, deus meus* (2), *ne quando dicat inimicus meus: preualui aduersus eum.* Quoniam *qui tribulant me, exultabunt si motus fuero, ego autem in tua misericordia sperabo* (3). Ergo *ne derelinquas me, domine deus meus, ne discesseris a me. Intende in adiutorium meum, domine deus salutis mee* (4), quoniam *frater* meus supplantauit me, *et omnis amicus fraudulenter incedit* in me (5). *Libera me, domine, et pone me iuxta te et cuius uis manus pugnet contra me* (6).

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen.

Hic Iacobus exclamat querens auxilium ecclesie et dicit: *Insurrexerunt in me testes iniqui* (7) puritatem mee fidey maculare contendentes. Quorum primus est quidam de genere fratricellorum, qui dicitur Franciscus; set *mentita est iniquitas sibi* (8). Ne ergo aliquis me erroneum esse credat aut ab ecclesia separatum et per ignorantiam in me peccet, necesse mihi est meam fidem sub breuitate describere, quam semper tenui, teneo et tenebo, confiteor, confessus sum et usque ad mortem confitebor, domino ihu X° auxiliante, et sancta matre ecclesia instruente. Fides autem quam a cunabulis ab uberibus matris ecclesie suxi, hec est: Credidi et credo, tenui et teneo, confiteor et confessus sum, quicquid sancta romana ecclesia, papa cum cardinalibus credit, tenet et confitetur, eius diffinicionibus et consiliis semper adquiescens, firmiter tenendo, et humiliter confitendo quicquid ipsa tenet, credit et confitetur. Et si necesse esset, paratus essem, deo auxiliante, usque ad mortem pro hac fide agonizare. Quod si [f. 162 r] ego, cum sim puluis et cinis, recte sencio, pie matris ecclesie auctoritas roboret infirmitatem meam. Sicubi erro, ad se reuocet simplicitatem meam. Hoc posito fundamento, ueniam ad causam, quare positum sit. Rogatus a quodam reuerendo uiro, nomine dompno Alfonso, quondam episcopo Genen., ut pro multorum pauperum utilitate, qui more fraticellorum publice mendicant, ac si ipsi essent vna de religionibus per sedem apostolicam approbatis, aliquas auctoritates doctorum sub compilacione describerem, quamuis mihi graue esset, eius caritatis peticionibus non ualui contraire. Set adquiescens quamplurimorum doctorum auctoritates simpliciter compilaui, non ut dogmatizare aliquid uellem aut diffinire, aut nouum dogma in ecclesia introducere, sicut aliqui dicunt, set ut sacras scripturas, necnon et dicta doctorum ecclesie in unum compilarem, ut ex hoc ueritas clarius appareret.

Forma compilacionis hec est. Sancti spiritus adsit nobis gratia.

---

(1) Ps. 3, 1-3. (2) L. c. V. 6. (3) Ps. 12, 5-6. (4) Ps. 37, 21-22. (5) Respicitur Ier. IX, 4. (6) Iob XVII, 3. (7) Ps. 26, 12. (8) L. c.



Quicquid scribo, ad reuerentiam sancte et uenerabilis matris ecclesie scribo pro nonnullorum utilitate, qui ex presentis uite periculis totis uiribus salutem eripere satagunt, paratus semper sanioribus ecclesie romane consiliis adquiescere.

Hanc protestacionem omiserunt, propterea magistri neapolit[an]i non recte de me senserunt. Ex hoc principio dependent omnes auctoritates subsequentes, set ipsi hoc dimiserunt et aliud pro sui uoluntate neapolitanis magistris proposuerunt. Super quo recte magistri et doctores locuti sunt, in nullo dissonantes a dictis doctorum, que compilaui, quia ipsi locuntur [f. 162v] de viro perfecto, ego autem de hominibus mente corroptis (1) et viciosis. Ipsi perfectorum uitam extollendo, ego corruptorum vicia resecando, ut patet in principio sequenti.

Hugo de sancto Victore (2):

Sunt nonnulli, qui corpore fortes, debiles animo parcunt sibi, seipsos amantes, sectantur ocium, vacant fabulis, nec non et panem ex proprio manuali adquisitum labore comedere refugiunt. Set inquieti et inordinati de loco ad locum et de domo in domum transeuntes, necessaria uite girouagando queritant. Tales alloquitur apostolus in *epistola prima ad Thesalonicenses* (3) et lenioribus fomentis eos corripiens dicit: *Rogamus uos, fratres, ut habundetis magis et operam detis, ut quieti sitis et ut uestrum negocium agatis et operemini manibus vestris, sicut precepimus uobis. Et honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.* Set quia talium plaga grauis est et putrida, idcirco medicamentis lenibus appositis non est curata, set ad deteriora peruenit. Hoc cognoscens apostolus in *secunda epistola ad Thesa.* acrioribus agreditur eos remediis, dicens: *[Sequitur textus S. Pauli l. c. III, 6-15. Deinde prosequitur Auctor f. 163r:]* Quid clarius, quid lucidius dici potest, nisi quod de necessitate oportet tales ex proprio manuali labore uestitum et victum transigere? Que quidem uerba apostolica elegantissime et particulatim in decimo libro *Institutionum Patrum* (4) sunt apertissime elucidata, ubi agitur de ocio uitando et accidia; require in VII capitulo (5) scilicet: *Hunc morbum, qui de accidie spiritu nascitur* etc. Item apostolus in *epistola ad Galatas*, c. 1, sic dicit: *[etc. etc., quae omnia omittimus usque ad finem tractatus f. 166v:]*

Multa possent de hac materia dici, set nunc ad presens dicta sufficiant. Hoc non determinando dico, set a labore quiescendo. Hec, fratres mei dilectissimi, ideo scripta sunt, ut, qui boni sunt, in bonitate persistendo ad meliora se extendant. Qui uero se inordinatos et ociosos........ (6) et girouagos esse cognouerint, cicius a prauitate, ne pereant, resipiscant. Corrigite ergo uos, fratres mei karissimi, cum tempus uobis conceditur: Ne cum tempus uestre correctionis transierit, uobis correctio denegetur. Ante omnia autem rogo uos, fratres, et obsecro in domino Iu (7), ut diligenter attendatis que uobis scripta sunt, quia non mea, set spiritus

(1) Sic! (2) *De claustro animae*, II, 9, Migne, P. L. 176, 1056-57. Opus Hugoni de Folieto attribuitur. Auctor noster citat quoad sensum tantum. — Dispositio typographica nostra correspondet Codici. Haec procul dubio cl. P. L. Allodi, O. S. B., ap. Mazzatinti, *Inventari dei Manoscritti delle Biblioteche d'Italia*, I, 219, induxit tractatum hunc totum contra Fraticellos, quem supra, VI, 272, cuidam Iacobo vindicavimus, dubitative Hugoni a S. Victore adscribendum, quod, quominus recte factum sit, missis aliis argumentis, ipsa ratio temporis prohibet. (3) IV, 10-11. (4) Ioh. Cassianus, *De coenobiorum institutione*, X, Migne, P. L. 49, 359 ss. (5) L. c. 370. (6) Unum vocabulum hic oblitteratum est. (7) Cf. I Thes. IV, 1.



domini Iu verba sunt, qui per apostolum et doctores ecclesie, sicut promiserat, locutus est. Si quis ergo ea spernit, non me, set eum, cuius sunt uerba, spernit (1). *Gratia domini nostri Iu Xi* (2) et caritas dei et consolacio sancti spiritus (3) sit cum omnibus recipientibus ueritatem. Amen.

Determinationem predictarum auctoritatum in discretione et consilio sancte romane ecclesie pono. Et quicquid ipsa definierit, hoc credo et teneo et ab eius sinu nunquam recedo. In sinu uero eius sedens *non timebo milia populi circumdantis me* (4), quia [ipsa pugna]t (5) pro me et saluum me faciet et percuciet *omnes aduersantes mihi sine causa, dentesque peccatorum* conteret (6).

Bullae Pontificiae duae saec. XV.

Duas hic bullas pontificias edemus contra Fraticellos datas, quarum prima, Eugenii IV, nota quidem erat, sed integre non edita, altera vero, Nicolai V, penitus ignota hucusque remanserat.

Sub n. VIII igitur exhibemus textum integrum bullae datae ab Eugenio IV, Romae 1 Mai. 1432, qua Pontifex duos Cardinales Antonium Corrarium et Iordanum de Ursinis commissarios instituit contra Fraticellos *in quibuscumque mundi partibus* repertos. Pars textus huius bullae habetur ap. Waddingum, *Annales,* ad a. 1432, n. 11, ed. 2, X, 191-92, in litteris scil. quibus dicti duo Cardinales S. Iohannem de Capistrano ad huiusmodi negotium delegant, 17 Iun. 1432. Sed Waddingus postquam initium bullae, in litteris originalibus integre insertae, dedit, ad textum alius bullae amandat, ad a. 1426, n. 2, ed. 2, X, 101, ubi bullam exhibet a Martino V eidem S. Iohanni de Capistrano die 27 Mai. 1426 datam (7). Textus vero duarum bullarum, quamvis ob thematis similitudinem plura exstent contactus puncta, non in omnibus concordat. Nec etiam textus bullae hic edendae Eugenii IV plane coincidit cum illo eiusdem argumenti bullae *Apostolicae Sedis providentia,* datae Romae 7 Jun. 1427 a Martino V eisdem Cardinalibus, qui vicissim etiam tum, scil. 26 Jul. 1430, Johannem de Capistrano delegaverunt (8). Hic igitur integram Eugenii IV bullam dabimus, desumptam ex *Registro Vaticano,* Vol. 372, f. XIVv. Aliam transcriptionem eiusdem textus tempore Pauli V exaratam invenimus in eodem *Archivo Vaticano, AA. Armario 3: Processuum libro sexto,* f. 52v-54v.

Uti ex supracitatis eorum litteris elucet, Cardinales Iohannem de Capistrano delegaverunt ad bullam exsecutioni demandandam. Videtur autem eo tempore maximae propagationis fuisse secta Fraticellorum, cum Cardinales ad eam exstirpandam in toto mundo deputentur. Revera in Graecia fuisse propagatam, licet testimonium temporis parum posterioris sit, statim videbimus, et ex aliis documentis infra edendis apparet circa idem tempus in Hispaniam etiam penetrasse.

Sub n. IX edimus bullam Nicolai V, datam Romae 13 Feb. 1451, qua Fraticellos in Graecia, praesertim Athenis pullu-

(1) Cf. Luc. X, 16. (2) Rom. XVI, 24. (3) Cf. Act. IX, 31. (4) Ps. 3, 7.
(5) Oblitteratum est quod uncis inclusimus. (6) Ps. 3, 8.
(7) Textus etiam ap. *BF* VII, p. 653.
(8) Has litteras Cardinalium ad Johannem de Capistrano edidit ex autographo in Conventu Capistrani Waddingus ad a. 1430, n. 30ss. X, 166, et ex Waddingo transumpsit Amandus Hermann, O. F. M., *Capistranus Triumphans,* Coloniae 1700, 259-60.



lasse certiores reddimur. Factum ipsum Fraticellorum morae in Graecia innotuit ex Processu contra Fraticellos a. 1466 Romae facto et edito a cl. P. Erhle (1); in eo enim quidam Fraticellus Bernardus de Pergamo confitetur se in monasterio « sancte Marie Athenarum ordinis sancti Francisci de observancia » stetisse, in Graeciaque alios exstare sectae conventus (2). Idem Bernardus alia edicit de episcopis sectae, eiusque organizatione in regionibus illis (3). Aliud testimonium Fraticellos circa medium saec. XV in Graecia fuisse est illud Fr. Nicolai a Fara in Vita S. Iohannis a Capistrano, qui Sanctus Fraticellos Marchiae Anconitanae agrique Romani sive exstirpasse sive in Graeciam pepulisse refertur (4). Minus clarum est testimonium Iacobi Philippi Bergomensis, O. S. A., qui *Supplementum Chronicarum* a. 1483 perfecit, atque ad an. 1298 postquam cum quadam confusione de Fraticellorum origine atque repressione scripsit: « Nec propterea, inquit, ea heresis exterminari potuit: quinimmo in dies excrescens: multos etiam religiosos viros doctissimos habuit fautores [lege: Michelistas], quod malum adeo postea tempore Iohannis vigesimisecundi diffusum est! ut multis in Italie urbibus atque per oram grecie et presertim Athenarum multi fuerunt [sic] inventi: qui dicerent Bonifacium pontificem nec quemquam illius successorem et presertim Ioannem XXII iure et ordine creatum esse pontificem » (5). Auctorem de Spiritualibus Angeli Clareni asseclis hic loqui non posse, patet ex eo quod tempore Iohannis XXII, ii dudum Graeciam reliquerant. Loquitur proinde de Fraticellis proprie dictis, forsan ex iis quae occasione Processus a. 1466 hac de re innotuerant.

Conventus vero illos a dicto Fraticello Bernardo commemoratos non fuisse de Observantia Regulari, quamvis de observantia S. Francisci dicantur, patet. Nam Fraticellos etiam hoc nomen aliquando sibi usurpasse vidimus superius (6). Eo ipso difficultas evanescit, quam Ehrle in testimonio Fr. Bernardi hac de re vidit (7), dum ulterius ab ipso

---

(1) ALKG IV, 110 ss.

(2) « Dicit insuper, quod in partibus illis sunt ultra monasterium ipsum alia tria monasteria de huiusmodi secta, videlicet sancti Francisci in civitate Thebarum, aliud in castro Succaminis (Surraminis?) sancti Georgii, aliud in diocesi Atheniensi in quodam loco vocato Walta, et conversatus est sepius in ipsis quatuor monasteriis. In quibus monasteriis et aliis, ubi conversatus est, tenetur publice, quod papa, cardinales, episcopi, presbiteri et alii ordinati a pontificibus a tempore, quo Iohannes XXII. fecit constitutiones quatuor loquentes, quod Christus non fuit pauper, et in aliis, in quibus non concordant cum secta sua, sunt heretici et excommunicati et tales apud eos reputati ». ALKG IV, 113. (3) L. c. 113; 115; 116: *...Cum de Gressia veniant sibi* [Fraticellis Italiae] *ordinationes.*

(4) « Testis est Italia, quae tum in Marchia Anconitana tum in agro Romano perniciosissima haeresi Fraticellorum, quos de opinione vocant, turpissime foedata erat, huius opere et studio purgata est: quorum quidem haereticorum triginta sex loca combussit, quosdam relapsos igne cremare fecit, nonnullos autem ad Ecclesiae sanctae sinum iuramento adduxit, plerosque adiumento celeberrimi viri fratris Iacobi de Marchia, quem unice semper dilexit, in Graeciam pepulit ». Act. SS. Oct. X, 448. Textum citavit etiam Ehrle, ALKG IV, 135.

(5) *Supplementum Chronicarum*, ed. princeps, Venetiis, per Bernardinum de Benaliis, 1483, fol. 135r. (6) AFH IV, 694; V, 74.

(7) ALKG IV, 161: « Ferner zeigt uns der Process von 1466, dass damals der von der Mark nach Griechenland verlegte Hauptsitz der weitverzweigten Fraticellenmission sich in den Observanzconventen der Griechenland umfassenden « provincia Romaniae » befand, in welcher, wenn wir den Aussagen des fr. Bernard glauben dürfen, minde-



desideratum argumentum pro Fraticellorum in Graecia mora afferre possumus, bullam nempe Nicolai V hic edendam.

Ea bulla invenitur (1) in *Reg. Vaticano,* Vol. 413, f. CCCXXXXXv. Directa est Fr. Simoni de Candia, O. P., in Provincia Graeciae haereticae pravitatis Inquisitori (2), cui iniungitur, ut Fraticellos de opinione Athenis requirat, praesertim unum eorum, *qui se eorum primum pontificem seu papam nominare presumit.* Hunc iubet capi atque sive ad Curiam papalem sive Anconam deduci, atque ut res faciliori modo effici posset, Pontifex capientibus Indulgentiam anni iubilaei impertitur (igitur eamdem ac olim cruce signatis), atque 400 florenos auri de Camera eis promittit, qua ex circumstantia perspicere licet, quantum cordi erat Pontifici, ut caput illud sectae in suam potestatem redigeret. De exitu rei nihil scimus. Fraticellos vero in Graecia usque versus a. 1466 abundasse supradictus Processus eiusdem anni sat clare demonstrat.

VIII.

Eugenius IV commissarios duos instituit contra Fraticellos in quibuscumque mundi partibus exsistentes, Romae, 1 Mai. 1432.

REG. VATICAN. 372, FOL. XIVv.

Eugenius (3) etc. Venerabilibus fratribus Iordano Sabinensi et Anthonio Ostiensi Episcopis, sancte Romane ecclesie Cardinalibus Salutem etc. Apostolica sedes vigilantissime actendere debet, ne lupus rapax mille artes nocendi habens innocuas oues, quas decipere exquisitis fallaciis continue molitur, ad puteum perdicionis adducat, sed deuie ad gregem dominicum redeuntes uiam veritatis agnoscant. Cum itaque, sicut accepimus, in plerisque mundi partibus quedam secta hereticorum nephanda, que fraticelli de la opinione vulgariter nuncupantur, operante satore zizanie, proch dolor, eruperit, que pestiferum virus euomens simplices animas suis tendiculis et palliatis coloribus sub pretextu simulate sanctitatis illaqueando decipit, illas eterno satagens igni transmittere consumandas.

Nos huic veneno heresique nepharie et labi pestifere, quam extingui supremis affectibus anhelamus, salubri remedio occurrere cupientes et ne huiusmodi morbus inficiens excrescat ulterius, sed, cooperante domino, radicitus euellatur, fraternitati uestre et cuilibet vestrum contra prefatos et

---

stens vier Convente der Secte angehörten. Dieses höchst merkwürdige Geständniss, für welches ich vor allem weitere Belegstellen wünschte, darf wohl kaum mit dem Aufenthalt Liberato's und Angelo's in jener Gegend in Verbindung gebracht werden ». Plane igitur inutilia sunt verba cl. Auctoris sequentia: « Möglicherweise rekrutirte sich jene romanische Provinz theilweise aus der Mark und schlichen sich so bei dem verwilderten Zustande der griechischen Herrschaften und der dadurch erschwerten Ueberwachung von seiten der Ordensoberen die Fraticellen ein ».

(1) Bulla plane inedita — deest etiam ap. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.* — mihi indicata est a R. P. Ulrico Hüntemann, O. F. M., Lectore gen. Collegii S. Antonii de Urbe, cui gratias refero debitas.

(2) De Fr. Simone de Candia, O. P., Inquisitore, ap. *Mon. Ord., Frat. Praed. Hist.*, et ap. Mortier, *Histoire des Maîtres Généraux*, nihil invenimus; eum vero recensent Quetif-Echard, *Scriptores Ord. Praedicatorum*, I, Paris. 1721, 762, s. v. *Simon Cretensis.*

(3) In margine sinistro: *Cincius*, in margine dextro: *de curia.*



alios quoscunque hereticos eorumque adherentes, complices et fautores atque receptatores, eorumque cuiuscumque etiam dignitatis, status, gradus, ordinis, condictionis vel preeminencie fuerint, etiam si communitates, vniuersitates et municipia sint, in quibuscumque mundi partibus eos fore compereritis, aut ubi compererentur, inquirendi, procedendi, capiendi et carceribus mancipandi, ac iuxta canonicas sanctiones et sanctorum patrum instituta, prout cuiusque qualitas delicti exegerit, acriter puniendi, brachium eciam seculare, si opus fuerit, contra eosdem inuocandi, necnon huiusmodi heresim abiurare volentes, si alias relapsi non fuerint, recepta ab ipsis et facta abiuratione heresis ac errorum huiusmodi et etiam recepto et prestito iuramento, quod talia deinceps non comittent, nec committentibus seu adherentibus consilium uel fauorem prestabunt, et alias in forma ecclesie consueta recipiendi, absoluendi et ad nostrum et ecclesie gremium et sedis apostolice gratiam reducendi, volentesque ad veritatis tramitem respirare atque reduci, recipiendi, restituendi et absolvendi omniaque alia et singula faciendi, gerendi, et exercendi, que ad huiusmodi pestem reprimendam et radicitus extirpandam oportuna esse quomodolibet dinoscuntur, et ad premissa omnia et singula viros ydoneos, prout vterque vestrum expedire viderit, deputandi ac subdelegandi, coniunctim vel diuisim, ipsosque reuocandi [f. XVr] et alios eorum loco deputandi, quotiens vobis seu alteri vestrum uidebitur oportunum, ut, quos dei timor a malo non reuocat, debitus rigor a crimine plectendo (1) castiget, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem.

Hoc igitur onus ad honorem dei et animarum salutem cum omni promptitudine suscipere ac sub spe mercedis eterne sic efficaciter sicque diligenter uotiue execucioni mandare curetis ac exequi studeatis, ne huiusmodi clades atque pernicies aut longius aut ulterius prolabatur, sed compressa in seipsa fatiscendo deficiat, ac simplices anime, que ipsorum hereticorum fallaciis decepte sunt, relictis eorum tenebris et agnita ueritate, ad salutis tramitem reuertantur. Per huiusmodi autem commissionem vobis per nos factam locorum ordinariis quominus ipsi inquisitionis officium super labe predicta, prout volunt dicte canonice sanctiones, exercere valeant, et quibuscumque priuilegiis uobis uel quibuslibet inquisitoribus heretice pravitatis (2), si qua sint, eis seu uobis a dicta sede concessis, nullum uolumus preiudicium generari. Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis dominice MCCCCXXXII kalendis maii pontificatus nostri anno secundo.

B. de Monte Sancto.

IX.

Nicolaus V Simonem de Candia, O. P.,
contra Fraticellos Athenis morantes specialiter deputat, Romae, 13 Feb. 1451.

REG. VATICAN. 413, FOL. CCCXXXXXv.

Nicolaus (3) etc. Dilecto filio Simoni de Candia fratri ordinis predicatorum, in prouincia Grecie heretice prauitatis Inquisitori, Salutem etc. Cum de fide, prudentia et integritate tuis specialem in domino fiduciam

(1) Textus: *prolectendo*. (2) Regestum falso: *pravitatibus*. In libro 6 Processuum (cf. supra p. 526) recte: *pravitatis*. (3) In margine sinistro: *A. de Florentia*.



gerens dilectus filius, generalis magister ordinis fratrum predicatorum, commiserit tibi in partibus Grecie officium inquisitionis heretice prauitatis, atque ad aures nostras peruenerit in Civitate Athenarum et circumuicinis locis quamplures hereticos ex hiis, qui Fraticelli de opinione nuncupantur, precipue vnum, qui se eorum primum pontificem seu papam nominare presumit, commorari, Nos uolentes ut eo commodius ipsum inquisitionis officium exercere possis quo ampliori fueris auctoritate munitus, deuotioni tue illum precipue, qui se papam impuro ore dicere presumit conueniendi, capiendi, seu capi faciendi atque ad presenciam nostram, seu ad Civitatem nostram Anconitanam perducendi et sub fida custodia deponendi, illis uero, quos ad huiusmodi opus ministros elegeris, in premium et recompensacionem laborum et operum suorum tam spiritualia quam temporalia premia, videlicet indulgentiam Anni Iubilei semel tantum in uita et semel tantum in mortis articulo plenariam absolutionem peccatorum suorum auctoritate nostra dandi et concedendi, et quantitatem florenorum auri de Camera quadringentorum dicta auctoritate eisdem promictendi, quam nos eis prorsus de pecuniis Camere apostolice dare intendimus, plenam et [f. CCCLr] (1) liberam dicta auctoritate tenore presencium damus et concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo. Idus februarii, Pontificatus nostri decimo (2) quarto.

Coll(ator) S. Cousin. Io. de Vulterris.

(Continuabitur). P. LIVARIUS OLIGER, O. F. M.

---

(1) Sic; ex quo apparet in folio praecedenti (cf. supra) scribendum recte fuisse: *CCCXXXXIX.*

(2) Ita in Regesto. Sed apparet illud *decimo* ex distractione adiectum fuisse. Cum Nicolaus V electus sit 6 Mart. 1447, annus quartus, Id. Februarii correspondet 13 Feb. 1451, ex quo patet supra, cum bulla dicitur data a. 1450, calculum Florentinum adhibitum fuisse. — In margine dextro: *de Curia.*



DUAE RELATIONES

CIRCA

MONASTERIUM BRIXINENSE O. CLAR.

Monasterium Brixinense Clarissarum ad S. Elisabeth nuncupatum, fundatum fuit circa an. 1234, viva S. Clara, nomenque sumpsit a S. Elisabeth Thuringiae Lantgravia, quae 27 maii 1235 in Sanctorum album relata fuit. Monasterium istud post plures superatas procellas adhuc sub regula ab Urbano IV Clarissis data subsistit.

Eius historiam P. Vigilius Greiderer, O. M. (1), texuit, nosque plura documenta, bullas etc. ex huius monasterii Archivo edidimus (2). Etenim iam a pluribus annis in historiam huius insignis monasterii conscribendam incubuimus, quae quominus ad felicem duceretur exitum, et labores alii quamplures et aegritudines impediverunt.

Lubet modo lectoribus offerre (3) narrationem aliquam de fundatione monasterii Brixinensis, deque ipsius reformatione a Clarissis Norimberga accitis (1455) peracta, et de exsilio Monialium, in quod an. 1461 eiectae fuerunt a Sigismundo duce Tyroli (Austriae), tunc contra Nicolaum Cusanum, episcopum Brixinensem, bellum gerente.

Describitur iter Clarissarum expulsarum versus Campidonam, unde Fr. Iohannes de Lare, Vicarius provincialis Argentinae, eas Pfullingam duxit. Ibi benignissime exceptae Clarissae Brixinenses monasterium hoc reformaverunt (1461), demumque, quinque Sororibus ibi relictis, anno 1464 Brixinam reversae sunt.

Monasterium Clarissarum Pfullingae (4) fundatum fuerat anno 1250; an. 1484 Sorores Pfullingenses Söfflingam (5) monasterium ad Observantiam reduxerunt; quod coenobium anno 1258 ingressae fuerant Clarissae.

---

(1) *Germania Franciscana*, II, Oeniponte 1781, 100-9. Cf. etiam *Chronica Ref. Provinciae S. Leopoldi Tyrolensis ex opere « Germania Franciscana », P. Vig. Greiderer denuo edita*, Ad Claras Aquas 1894, 165-80.

(2) *Mitteilungen aus dem Archive des Clarissenklosters zu Brixen*, Hall 1894, (*Programm des k. k. Obergymnasiums zu Hall*).

(3) Eam olim iam edidimus ap. *Mitteil.* cit. 35-41.

(4) Cf. *Chronica anonyma* ap. AF I, 298sq., et similia in *II Appendice* ad Glassbergeri *Chronicon*, AF II, 572sq. Wauer, Edm., *Entstehung und Ausbreitung des Klarissenordens* etc., Leipzig 1906, 116. Rothenhäusler, K., *Standhaftigkeit der altwürttembergischen Klosterfrauen*, Stuttgart 1881, 17-28. De hoc monasterio fusius agemus in editione voluminis III operis P. Greiderer supra laudati. (5) Cf. AF I, 298; AF II, 572, Wauer, l. c. 113.



Prior narratio, quae lingua latina conscripta est, circa annum 1510, uti videtur, a Fratre Minore, confessario Clarissarum Brixinensium, invenitur in codice quodam (num. 1) bibliothecae residentiae Fratrum Minorum prope Clarissarum coenobium Brixinae, qui alias hic accurate describetur (1). Ex eodem subnectimus catalogum Confessariorum usque ad annum 1577. Codice et relatione usi sunt Greiderer (2) et Sinnacher (3).

Altera relatio, infra primum edenda, a Clarissa Pfullingensi, anonyma, paulo post ann. 1525 scripta fuit, stylo admodum ingenuo. Pauca (p. 538 et 543) de fundatione monasterii Pfullingensis narrat, pluribus illustrans iter dolorosum Sororum Brixinensium exsulum Pfullingam pergentium. — Nomina quoque Pfullingae Defunctarum recenset (1461-1512), adnotans annis 1461-64 speciali Dei gratia alternatim Sororem Pfullingensem et Brixinensem ad superos evolasse. Clarissa Chronista notat nomina Sororum inde a coenobii reformatione mortuarum diligenter adnotata fuisse « *quae* (ait) *quotannis in festo Conceptionis S. Marie publice leguntur, quasque tunc orationibus specialibus commemoramus, persuase etiam illas Defunctas apud Deum pro nobis intercedere* » (p. 543). — Paulo superius Chronista Sanctimonialis lamentatur se nomina Sororum saltem 214 ante reformationem mortuarum ignorare; quae tamen in libro [novo] anno 1400 [denuo] adnotata fuerant (p. 543, l. 27ss.). Innuere velle videtur Sorores, quae 1484 Soefflingam tanquam reformatrices abierunt, librum illum secum portasse.

Narratio a Clarissa verisimiliter Pfullingensi, sed non relatrice, Abbatissae Clarissarum Brixinae dedicatur: « *Der Erwirdigen Andechtigen in Christo Frauen Frauen Çecilia von Molär Abtissin zu Prixen, meiner in Gott geliebten Frauen und Mueter* ». Quae Caecilia ibi abbatissa fuit 1559-61, obiitque 1589 (4). Codex chartaceus in-8°, pagg. 21, in Archivo Clarissarum Brixinae adhuc adservatur, quo ergo dono missus fuisse videtur. Caeterum Greiderer hanc quoque alteram narrationem iam adhibuit (5).

I.

Fundatio sive edificatio primaria monasterii S. Elisabeth prope Brixinam, eiusdemque reformatio atque gubernatio.

Tempore pape Gregorii noni, qui intravit papatum anno d. 1226 (6), inceptum fuit monasterium monialium extra muros Brixine in Runkada ad honorem gloriose virginis Marie et b. Francisci, ut testatur dominus Hainricus episcopus Brixinensis, qui ex consensu totius capituli fundum ecclesie et totum locum exemit ac in suam et suorum successorum

(1) Commemoratus est codex iste AFH III, 754; V, 241. (2) L. c. II, 100sqq. (3) *Beiträge zur Geschichte der bisch. Kirche von Säben und Brixen*, Brixen 1821 sqq., IV, 267 sqq. (4) Cf. Documenta Archivi Clariss. Brix. (cit. AB). (5) L. c. II, 165sqq. (ed. sec. 270sqq.).

(6) Gregorius IX revera electus fuit 19 mart. 1227.



protectionem suscepit anno domini 1235, datis desuper patentibus litteris (1), in quibus dicit, quod sorores quedam converse ibidem habitabant sub regula minorum fratrum, hoc est sub regula penitentium vel sub regula prima b. Clare, quarum regularum b. Franciscus, fratrum minorum pater et dux, director et institutor fuit. Secundum enim b. Clare primam regulam (2) honeste vivere ceperunt sub titulo b. Elizabeth, statim post eiusdem canonisationem, que facta est anno domini 1235 (3), ipsa b. Clara adhuc vivente, 14mo anno vel ultra, ante eius obitum. Unde Gregorius (4) papa nonus, adepto pontificatu, dictum monasterium in protectionem b. Petri et Romane ecclesie suscepit et plures eidem gratias contulit per plures bullas, in quibus ipsum nominat sub titulo sancte Elizabeth ordinis s. Damiani, hoc est, ordinis s. Clare. Dominus vero Raynaldus, secundus protector ordinis, postea Alexander quartus dictus, prefatum Monasterium iussu et auctoritate pape Innocentii quarti plenius et solemnius dicte regulae incorporavit (5) et propter linguam theutonicam ipsum cure et regimini ministri provincie Austrie commisit, licet situm esset in finibus provincie marchie Taruisine (6). Indulsit tamen predictus papa Innocentius, quod non obstante regula, sorores ibidem possint habere possessiones et redditus (7). Cuius quidem monasterii alii nulli reperiuntur fundatores, nisi episcopus Brixinensis et canonici ecclesie cathedralis, qui ipsum notabiliter dotaverunt fundo et certis immobilibus bonis, et paterno semper usque in presens prosecuti sunt favore; collapsumque a regulari disciplina ad debitum reformari fecerunt statum, quare non immerito quiddam in ipso iuris se habere putant. Ipse etiam sorores in omnibus suis arduis negotiis et necessitatibus primum ad eosdem tanquam ad suos patronos ac fundatores recursum habent. Tantorum igitur patronorum sorores suffulte subsidio monasterium construxerunt (longo quidem annorum circulo) de elemosinis christifidelium per diversas dioceses collectis aminiculo promotoriarum litterarum papalium et episcopalium. Et anno domini 1302 dominus Mattheus, cardinalis tituli S. Marie in porticu, ordinis minorum protector, mandavit ministro provincie Austrie, ut operam daret, quod ecclesia et cimeterium consecrarentur (8).

Cum vero ordo non tam s. Francisci quam s. Clare, qui per orbem universum a status sui perfectione miserabiliter cecidisset, collapsum etiam fuit cenobium Brixinense. Sicque per plures annos in fecibus peccatorum permanens, resumpto tandem spiritu, inceperunt sorores ille paupercule, assistentibus eis Revmo domino episcopo et canonicis ecclesie Brixinensis aliqualem reformationem sub manuductione patrum

(1) Quod documentum 1235, 10 maii. edidit Greiderer, II, 100; (165 sq.).

(2) De qua cf. Oliger ap. AFH V, 193 sqq.

(3) Canonizata fuit 27 maii 1235: cf. AFH I, 162 sq. AFH II, 246 n. 9.

(4) Cf. has bullas ap. Greiderer II, 102 sqq., 169 sqq., et nostrum *Programm* 6 sqq. Cf. supra, 531 n. 2.

(5) Litteris suis datis Anagniae 1252, 6 iun. *Prog.* n. XXXVI et aliis 1254, 22 iunii. quae insertae fuerunt bullae Innocentii IV, 1254, 6 iunii. *Programm*. n. XIV, inde eas (quia ap. BF I desunt) repetiit cl. P. C. Eubel, *Epitome Bull.*, n. XXVII, p. 257-9.

(6) Epistola sua data Perusii 1252, 6 iunii; *Programm*, p. 31.

(7) Bulla 4 iulii 1254; *Progr.* 17 sq.: Eubel, n. 720.

(8) Epistolis datis 1302, april. 28. quarum Originale in Archivo Clarissarum adservatur; Greiderer, II, 105 (173) illud commemorat, et in discussione de monasterio Clariss. Brixin. edemus.

Australium; at quia nullam ex vere reformatis habuerunt directionem, non multo post tempore relapse fuerunt, ad pristinum vomitum revertentes. Sicque permanserunt usque ad tempora Revmi domini Nicolai de Cusa, tituli S. Petri ad Vincula cardinalis et episcopi Brixinensis, vita et doctrina clarissimi. Qui uti vir optimus ac zelosissimus nitebatur omnia monasteria sue diocesis in utroque sexu ad regularem reducere statum. Et multo labore per continuum triennium, (sollicitando etiam ministrum Austrie intentus reformationi sepedicti monasterii Brixinensis) nihil profecit propter nimiam monialium malitiam et renitentiam, quamvis apostolica fungeretur auctoritate, donec salubriori usus consilio a summo pontifice, tunc Calixto III, impetraret rescriptum sive apostolicum breve (1) ad venerabilem patrem Albertum Büchelbach, guardianum Nürenbergensem (2), provincie Argentinensis, in quo eidem mandavit, quatenus personaliter veniens predicte reformationi seriosius insisteret et ad debitum finem perduceret.

Qui apostolicis cupiens [f. 71b] parere mandatis, assumpsit secum septem devotas sorores ex cenobio ordinis S. Clare dicte civitatis Nürenbergensis iam reformato, cum quibus Brixinense monasterium apostolica auctorite reformavit cum magno labore ac periculo corporis et vite anno domini 1455; et ex tunc Revmus dominus Nicolaus de Cusa, episcopus Brixinensis, apostolica functus auctoritate, abstulit administrationem et regimen dictarum sororum a patribus Australibus, in quorum provincia nec hodie invenitur monasterium ordinis S. Clare reformatum, unde reformatrices assumi potuissent, et tradidit patribus provincie Argentinensis. Et ad omnem tollendam ambiguitatem aut conscientie scrupulum amovendum, dictam regiminis translationem papa Sixtus IV per quoddam breve, amplius autem per bullam approbavit et confirmavit (3). Sic itaque sub ferula patrum Argentinensis provincie vinea domini cepit germinare germen boni odoris et sanctitatis circumquaque in homines bone voluntatis, creveruntque sorores successu temporis numero et merito, imo et rerum temporalium multiplici proventu, nec sine diligenti opera fratrum sepedicte provincie Argentinensis, quique sepe etiam propter easdem sorores in periculo fuerunt corporis et vite. Nam tempore interdicti (4), cui tota regio Sigismundi ducis Austrie subiacebat propter eiusdem ducis in sepedictum dominum Nicolaum de Cusa episcopum tirannidem, quod interdictum sole sorores cum fratribus observabant, ipsi fratres nusquam tuti erant, qui aliquandiu latentes, tandem propter mortem eis cominatam declinandam, clam effugerunt. Quoniam, cum quidam frater predicte Argentinensis provincie, nomine Martinus Wela (5), apostolica coactus auctoritate, dictum interdictum publice intimasset, statim vinculis constrictus, post equos fune more canis tractus fuit, et in oppido Inspruck incarceratus, omni hora se aquis suffocandum exspectabat, qui et alta voce e turri clamabat: « misericordia, misericordia ». Cuius miserata regina Scotie, praedicti ducis conthoralis (6), ipsum libertati restitui procuravit. Continuaverunt nihilominus sorores interdictum (cum ma-

(1) Dat. 29 April. Cf. Greiderer, II, 106: (175). Glassberger, AF II, 353. Breve istud ap. Waddingum etc. desideratur.

(2) De hoc fratre insigni cf. AF II, 298, 318 sq., 341 sq., 385, 410, 449.

(3) 1473 Mart. 14: Greiderer II, 106: (176).

(4) Scil. an. 1461. Cf. 538 sq.

(5) De quo cf. AF II, 348 sq., 577 (Welau).

(6) Eleonora, fil. Iacobi I., reg. Scotorum; obiit 20 Nov. 1480.

xima principis indignatione) per XVI ebdomadas innumeris ab eiusdem ducis nuntiis et ceteris nobilibus et plebeis lacessite minis et iniuriis. Ipse vero dux omnino volebat eas extirpare ac morti dare, quod et fecisset, nisi quedam mulier (utinam deo devota), seriosius supplicando se opposuisset. Qui tandem in propria persona venit Brixinam in profesto S. Chrisanthi et Darie. Ad quem quam cito properabant quidam domini canonici et alii utriusque sexus nobiles, eius contra sorores indignationem mitigari supplicantes; sed nihil profecerunt. Nam altera die post Chrisanthi et Darie, que erat dominica (1), venerunt quidam ex parte eiusdem ducis iureiurando celerem sororibus comminantes interitum, si nocte illa permanerent in monasterio. Ad quos venerabilis mater abbatissa, nomine Dorothea Kolerin, ex Nürenbergensi conventu pro reformatione destinata, femineo semoto timore, audacter respondit: «Habeo hic plures iuvenculas similiter et antiquas et infirmas; non possum tam improvise ad pericula viarum nos exponere: dentur nobis sumptus et expense, similiter vehicula et fidus conductor; alias non recedemus; quod si violenter nos occidi contingat, haud dubie vindicabimur (2)». Quo audito, illico mandatum fuit quibusdam vectoribus, ut celeriter se aptarent ad educendum sorores, qui cum octo veniebant bigis. Ex tunc supervenerunt continue nuntii unus post alium sorores sollicitantes, ut citius se expedirent; nam dux civitatem exire nolebat, nisi ille prius a monasterio recessissent. Hora vero cene, cum sorores ollas cum ordeo et offulis in refectorium detulissent ad seipsas paululum reficiendas, venit iudex civitatis flebilibus oculis ipsas adhortans, ne diutius manerent. At ille relictis ollis et cena, ad recessum se preparabant. Habebant autem quinque valde infirmas, quas de grabatis super bigas levare oportebat, inter quas una ita debilis fuerat, ut vix viva posse deduci crederetur ad medium miliare. Sicque, singulis utcumque in tanta festinantia dispositis, expulse sunt sorores omnes, numero triginta una, anno domini 1461, a tempore vero reformationis anno VI.

Quae vehebantur turbulentissime in crepusculo noctis per plateas civitatis Brixinensis, cunctis compatientibus et per fenestras lamentabiliter prospicientibus, et quam cito portas civitatis exissent, recessit et furiosus princeps. Cum vero nocte in quamdam domum pro habendo hospitio divertissent, supervenit earum conductor in se ipso quodammodo turgidus et quasi ursus fremens; ad quem mane accessit provida mater abbatissa, flexis genibus humiliter ob divinum amorem obsecrans, quatenus in tanta tribulatione et exilii relegatione positis, omnique solatio destitutis, misericorditer compateretur, essetque sic desolatis amodo fidelis et benignus pater. Qui illico, divina faciente clementia, in agnum quasi mansuetissimum mutatus, verbis et factis ex tunc se semper exhibuit benevolum et ad omnem earum necessitatem fidelissimum procuratorem, accedebat et hortabatur vectores, visitabat bigas; singula, si recte agerentur, quam sollicite prospiciebat; preveniebat etiam sibi commissas pauperculas exules et diligens procurabat (fol. 72a) hospitia et quecumque victui necessaria. Cum autem venirent ad Insbrugk, ubi residentia erat principis, licet tunc ibi non esset, dixit conductor sororibus: «Maneamus hic ad duos vel tres dies, si forte per regine et

(1) 25 Octobris. (2) Dorothea Kolerin defuncta est qua abbatissa monast. Pfullingensis a. 1464: AF II, 412; sed juxta annotat. in archivo Clariss. Brixin a. 1468 diem supremum obiit: infra 541 l. 30 sqq.



ducis consulum interventionem gratiam et misericordiam mereri valeamus ». Et accedens ad consiliarios causam sororum fidelissime egit, allegavit earum probitatem et innocentiam, petiitque clementiam et gratiam; nil tamen nisi repulsam reportavit. Qui concito gressu et aquosis oculis (quasi flevisset) venit ad abbatissam dicens: « Venerabilis mater! cito nos aptemus ad recedendum ». Et sic recesserunt ab oppido nullam adepte gratiam, nisi, quod regina expensas in hospitio factas solvit. Dicebatur autem postea, si illa nocte ibi mansissent, omnes submerse fuissent. Cum vero ad fines territorii ipsius ducis venissent, ultra quos conductor procedere non audebat, veritus, ne uti maledictus et excommunicatus ab exteris illius dominii vituperiis et contumeliis afficeretur aut damnum aliquod passurus esset. Qui illacrimando valedixit suis pauperculis exulibus plurimum tristis, quod sic ipsas desolatas relinquere oporteret. Ipse vero tante sue humanitati amplissimas sibi retulerunt gratias, salutem eternam et omne bonum sibi imprecantes. Sicque lacrimabiliter ab invicem discesserunt. Pergebat ille viam suam admodum dolens ipsarum proscriptionem et exilium; iste vero non minus suam plangebant miseriam. Ab omnibus se videntes derelictas, vehebantur aliquando in caligine et magnis pluviis ac in grandi vite discrimine, ut, si equi vel modicum declinassent a via, omnes simul perissent. Ignorabant misere, quorsum pergerent, nisi ad provinciam patrum suorum, qui ipsas in hanc quodammodo necessitatem induxerant, cum eas mandatis potius apostolicis parere volebant, quam iniustis hominum persuasionibus satisfacere.

Venerunt itaque versus Campidonam, quibus obviam venit cuiusdam probi hospitis in Campidono filius, nomine Udalricus Kauffmann, qui introduxit ipsas in civitatem in domum paternam satis honestam, ubi cum manerent die uno cum dimidio reverenter tractate, supervenit quidam honorabilis sacerdos, nomine Udalricus Schnekg, capellanus capelle S. Stephani extra civitatem Campidonam apud leprosos, qui ipsarum condolens desolationi suas eidem ad manendum obtulit edes, donec Rev. pater Iohannes de Lare (1), vicarius, adveniret, ad quem mater abbatissa proprium miserat nuntium. Hic est ille bonus vir, qui prius diu secum retinuerat fratres minores, antequam edificare cepissent conventum in Lentzfried (2). Cum illo itaque honesto viro manebant sorores per octo dies satis humaniter tractate, quas interdum etiam divini eloquii dulcibus recreabat collationibus. Interim supradictus Rev. P. Vicarius provincie Argentinensis, Fr. Iohannes de Lare, advenit et cernens oviculas suas tantis miseriis expositas, amare flevit et statim misit eas ad Lentzfried in domunculam, quam fratres iam noviter erexerant, fratres vero ad Campidonam interim destinavit.

Ipse vero, ut sollicitus pastor, oviculis suis providendis morem gerens, suppliciter invocavit pro earum miseria relevanda generosam dominam Mehtildem, ducissam Austrie, ducis Alberti de Austria, (qui fuerat frater imperatoris Friderici III) et postea (3) etiam comitis Ludowici de Wirtenberg relictam viduam. Que audiens sororum cenobii Brixinensi expulsionem gaudebat, sperans hac occasione conventum ordinis S. Clare in Pfullingen per easdem reformandum. Et statim misit bigas suas et sufficientes expensas administravit pro expulsis so-

(1) De hoc insigni Fratre cf. AF II, 348 et passim.
(2) De Fundat. huius conv. cf. AF II, 576sq.
(3) Rectius « antea »; fuit filia Ludovici III Comit. Palat. Rhen.

roribus adducendis, quas et summo honore suscepit in castrum suum Rottenburg circa Neccarum et dapsiliter tractavit in propria ipsis persona aliquando deserviens. Et egit cum filio suo Eberhardo, comite Wirtenbergensi, et cum patre provinciali, ut dictum cenobium in Pfullingen reformaretur, pro qua reformatione dudum apud eundem patrem vicarium provincialem insteterat (!). Et venientes simul cum sororibus ducissa et comes, pater etiam prior carthusie in Gutelstain (1) et supradictus Rev. pater vicarius provincialis intraverunt dictum monasterium et ad debitum modum vivendi secundum ipsius ordinis constitutiones et regulam reformaverunt Abbatissa vero conventus et alie sorores susceperunt adventantes sorores cum honore et reverentia, nec verbum quidem durum eis aliqua loquebatur, manseruntque dicte reformatrices in eodem monasterio per triennium, et tunc placato Sigismundo duce Austrie, redierunt ipsarum decem et octo, cum quibus etiam ipsarum confessor (2) cum suis fratribus; relique manserunt in Pfullingen. Et redeuntes venerunt cum honore et gaudio ad Brixinam anno domini 1464 in die S. Andree apostoli, et gavisa fuit regina in Insprugk, que multa ipsis bona semper fecit. Sed et dux ipse ex tunc gratiosus eisdem fuit et favorabilis. Ecce quam grave sorores Brixinensis cenobii toleraverunt exilium, et quantam sollicitudinem et periculum cum eisdem pertulerunt fratres.

Sed nondum statim finis. Nam post hec venerandus pater Nicolaus Prewss, vir grandevus et devotus, propter paucula quedam verba, contra clerum forsan dicta, XIII hebdomadis Brixine in turri innocenter detentus fuit (3); qui citius quidem evasisset, si, (quod tamen postmodum patres superiores fecerunt) iuribus et privilegiis ordinis cedere voluisset. Reverendus etiam P. Iohannes Lindner, quondam vicarius provincie Argentinensis (4), ad tuitionem sepedictarum sororum ad (fol. 72e) Brixinam missus, ibidem sicut et multi alii patres et fratres quasi in exilio extra suam provinciam mortem subierunt.

Preterea a principio reformationis, dempto spirituali fructu, etiam in re familiari fratres pro sororum relevanda paupertate semper fideliter laboraverunt. Quecumque enim vetustate consumpta aut destructa fuerant, resarcire propriis laboribus ac mendicatione elemosinarum studuerunt. Nam chori superioris pavimenta, sedilia et stallos, similiter et stallos inferioris chori de novo instauraverunt, ipsumque inferiorem chorum ampliaverunt ac totam ecclesiam fenestris, picturis, sedilibus et tabulatura totaliter innovaverunt. Sacristiam ornamentis notabiliter ditaverunt; ambitum fratrum idem ipsi forti pavimento straverunt, dormitorium de novo resarcierunt, bibliothecam bonis et necessariis libris decenter composuerunt. Libros chorales multos et magnos scripserunt. Confraternitatem B. Anne et totius sue sanctissime parentele ad populi devotionem cum magna difficultate ob cleri oppugnationem erexerunt (5) et ad quietem usum commodumque sororum feliciter perduxerunt. Et hec omnia sine magnis expensis sororum. Item, ut in plurimum, in Brixina locati sunt fratres laici operosi et industrii, qui sua arte non modicam pro sororibus acquisierunt pecuniam, faciendo ornatus et vestes pro divino cultu ad diversas circumiacentes ecclesias;

---

(1) Güterstein (Bonus lapis). De hac Carthusia cf. *Freib. Diöz.-Archiv*, 26, 1898, 135sq. (2) Fr. Leonardus Mayr, de quo inferius, 544sq.
(3) Cf. AF II, 397; infra, 545. (4) 1465-1468: de quo cf. AF II, 320, 417sq., 428, 434, 440, 447sq. (5) Cf. infra, 545.

et alias in quotidiana suppellectili et cura domestica ac aliis quibuscumque sororum profectui accomodis fratres provincie Argentinensis usque in presens solliciti fuerunt, quantum statui eorum licuit laborando et procurando. Inter quos quam maxime sollicitus fuit venerandus pater Heinricus Gebhardt, earundem sororum confessor, qui ipsis in numerata pecunia procuravit ultra trecentos aureos ex sua provincia.

II.

[Relatio Clarissae Pfullingensis].

[fol. 1] *Anno dni MCCl an Sant Martins tag da ist dis Closter Pfullingen an gefangen worden* (1) *von der edlen wolgebornen frowen Mechtildt vnd frowen Irmel von Pfullingen, dess Edlen Rempen geschlecht, vnd sy sint myt eygner person selber zu Rom gwest vnd das vrlub erworben vnd myt jrem gut vnd dem heiligen almüsen dis Closter gebauwen. — Es yst auch zu wyssen, daz das erst almusen, daz in wart geben, was ein lemlin oder schaeflin, dar von ward von der gütte gottes ein gantze schweyg vnd scheffery. Got hab lob.* — [f. 1b] *Dar noch anno Domini MCClii iar vf sant Otthmars tag* (2) *haben die selben frowen an sich genümen den heiligen orden Sancte Clare in der Vaetter Capellin* (3), *dar jn sind sy gwest XXVI jar bys dis Closter vss bebuwen ward.*

Dar nach anno dni MCCLXXVIII jar an sant Katterina tag sind die vorgenannten frowen in dis Closter, yst wol zu globen, myt grossen freyden. Nun yst zu wyssen, daz sy gar geistlich hant gelebt vnd in grosser andacht yr zyt vertryben vnd ist in wol vnd gluglich gangen ein zit lang. Aber vber ettlich jar yst grosser [fol. 2] *kryg vnd vnfryd worden, das man etwan den armen alle ding genumen hat. Die Schwestern haben ein mal alles, das sy haben künden tragen, handt sy in den Refental* (4) *vnder die benk verborgen vnd sind myt jren menteln eine an die ander dar für gestanden byss die krigsbuben hin vss sint gelaufen. Es sind auch etwan personen ym kryg in daz Closter geflohen, su hand jnnen die andern nach gelaüffen vnd zun Crütz gangen* (5) *vnd sunst an andern arten verwünt vnd etwan gar erdot, dar vmb sint Crütz vnd ander Zeychen an den steinren sulen gehauwen; yst oft geschehen. Durch* [f. 2a] *das vnd der glichen sint dem Convent die gütter verderpt worden, vnd daz Closter zu grosser armüt vnd die frumen schwestern gross augst vnd schrecken jn ingenümen, daz jn zuo kranckheit ist kümen, und hatt man jn vor armut jr noturft nit künden don, hand ir ein teyl begert, daz man jnnen erlob an jren frundt jr noturft zu bytten, dan vil gutter, edlen vnd sunst rycher lut kinder sint hin ym Closter gewest, vnd jre frund sint gütwillig gewest ynen myt zu teylen; man hat ess in aber nit wollen lassen, sy teylen ess dan myt der heiligen gemein. — Daz hat ein klein wyl gewert, dan da dess* [f. 3] *byttens als vil ward, sint die frund vn willyg worden, vnd nyt me wollen geben; man lass es dan jren frunden vnd denen, den sy ess verordnen. Vnd also yst es in gebrochen, daz einer syner dochter, daz der ander siner bassen auch etwas in gütt beducht, vnd also von grosser armut sind sye jn die eygenschaft* (6) *kümen. Es wer nach vil da von zu schreyben.*

(1) Cf. Eubel, 228: AF II, 388. (2) I. e. 16 Nov. (3) Cf. Eubel l. c.
(4) I. e. Refectorium. (5) I. e. in ambitu.
(6) I. e. factae sunt proprietariae.

In den jaren yst grosser vnfryd in dem gebyrg vmb O s t e r r y c h *vmb* B r y x e n (1) *worden, also daz der fürst dess selben lands hat ein grosse summam geltz entlehent, vmb den byschof dess selben lands, vnd da er ess wyder hat* [f. 3a] *wollen han, hat er jn wollen erdotten; da yst der frum byschoff in ein ander stat geflohen, die hat er in am heiligen Osterabent vmb leyt* (2) *von synent wegen; aber got vnd frümm luet haben ym dem byschof dar von geholfen, vnd also yst er kumen zu dem babst gen Rom vnd sin sach erzelt vnd clagt. Da hat der babst den Osterlendischen fürsten vnd daz gantz landt* (3) *in den bann gedon, aber weder geistlich oder nach weltlich hat den bann gehalten vss fürcht des fürsten vnd syner anheng; auch dy* s c h w e s t e r n. *Doch begerten sy* R a t *von jren* c o m m i s s a r n *zu* R o m, *aber in wart kein antwurt, dan man hub in die* [f. 4] *bryf vf, daz also verzog sych die sach lang, byss sie eigen botten schycktten. Da wart jn von babstlichen gewalt befolhen, wye sye sych solten* [*halten*]; *dass datten sy schlysslich, aber byss der bot kam, da starb yn ir bychtvatter* (4). *Aber alss bald sy den bann hoylten, vertryb man die andern vaetter auch von jnn, also man sücht sy zu verderben. Da verbarg sy ein frumer man in sin duben huss, byss er ynnen heimlich dar von half; also wart von tag die sach ye lenger ye bosser, also das man alle tag trewet sye zu verderben, ytzunt die cleyder am gurtel abschnyden* [f. 4a] *vnd myt rütten vss der stat dryben, dan ein anders. Und da sye aber einmal in verkünten, wolten sy sych nit myt der gemein halten, solten sye fur war wyssen, sy woltten sy alle* e r d r e n c h e n, *dan die sech weren dar zu gemacht; dass vnd vil anderss. Da seind die Abtissin* (5) *mit dem conuent myt ofner tur, vnd schlug myt einer hand yn die ander, vnd sprach: « ych hof vnd getrew Got dem Almechtigen vnd allen den zu* N u r m b e r g, *sy werdens nyt vngerochen lassen ». Also schyden sy aber von dannen, vnd stund aber ein wyl an. Ych han von einem mann gehort, der zu* P f u l l i n g e n *da heim yst, der* [f. 5] *yst zu der selben zyt dess selben herrn dyner gewest: Er hab die seck gesehen dar yn man sye wolt erdrenck haben. — Einsmals kamen sy myt jren Creutz vnd Creutz fannen, da wolten die Schwestern nyt* l e u t t e n, *da tryben sy gewalt vnd woltten selber luetten; da hetten sye* (6) *die klenger vss den glocken genummen, da wurden sy noch vngeschyckter gegen den S*[*chwestern*] (7). *Der ding sint vil geschehen, dan der vnfryd hat lang gewert. — Eins mals haet der* f u r s t *den edlen fräuwen einen dantz; da worden* [f. 5a] *sy myt ein ander zu rat, daz sy den fürsten woltten vmb geben vnd jn fur die S. bytten; da mercket er ess vnd sprang durch sy alle, vnd wart der vnwil vil grosser.*

Vnd also acht tag vor aller heiligen tag an einem suntag (8) *zu nacht vmb die achtende oder nunde stund jn der Nacht, war jn verkündt myt grosser vn gestymen, daz* l a n d t z u r ü m e n o d e r s y m u s t e n a l l e

(1) Agitur de conflictu inter Nic. Cusanum et Sigismundum, ducem Austriae et princ. Tirol., de quo A. Jaeger, *Der Streit des Kardinals Nik. von Cusa mit Herz. Sigism.*, Wien 1860, et Pastor, *Gesch. d. Päpste*, II², 132 sqq.: II³⁻⁴, 1904, 138 sqq. (2) Agitur de obsidione Cardinalis per Sigismundum in Bruneck, in paschate anni 1460. (3) Pii II bulla data fuit 8 Aug. 1460.

(4) Scil. Fr. Hermannus. Cf. Greiderer, II, 164 sqq.: (270 ss.).

(5) Dorothea Kolerin, de qua, AF II, 388, 412. Cf. hic 537, 541.

(6) Scil. Soror Christina Reiseltin, de qua infra 542 sq.

(7) S[chwestern]. Sic in genere postmodum hanc vocem scripsit relatrix.

(8) 25 Oct. 1461.

sterben, myt vil zu gelegten worten. Da sprach die abtissin: « lieben herren gebent fur ond zerung, wu sol ych armes freulin hyn mit mynen armen kynden ». Vnd also noch langer red, alss ess got wolt, da kamen etlich waegen myt [f. 6] (1) [f. 6a] *saltz; die zwingen sy ab zu laden vnd die wegen zu rychten, daz sy die Nunnen uss dem landt fürtten. Also ylten die armen Schwestern vnd versetzen daz Closter vmb ein zymlich myt allen dem, daz dar yn waz, vss genummen etlich bücher, speyss vnd cleyder, waz lybs not erfordert. Die spruwer seck schuetten sy vss vnd deckten sy vber die waegen. Ich weiss nyt anders, dan daz in der hertzog ein stüwer zu zerung geb, vnd einen edelman zu einem geleydtz man.*

Als nun die schwestern zu Brixen von gottes verhenknus vss getryben worden, da ergaben sy sich Got, vnd vermassen sych in der liebe [f. 7] *Gottes in daz ellend zu faren, dan sy westen kein herberg, noch statt da sy wunung mochten haben, der suss Ihesus was der fürman, ess waz der wyrt der vatter vnd der sychen meister. Es waren iiii bettrysen on ander schwach vnd blött, sy wessten auch nyt, wa sy doch die ersten nacht solten herberg han. Yr geleytzman waz über vss ein grosser tyrann, aber vnser lieber her macht vss dem wolf ein schaflin, er gewan sy so lieb vnd waz in alss barmhertzig, dass sy ym alle ding clagten alls einem getrüwen vatter. Da sy also füren, hetten sy zwe die* [f. 7a] *nyt gantze wytz oder vernunft hetten, der eine waz fast unruwig vf dem wagen vnd gehub sych fast vbel. Da rytt der edelman herzu, vnd wolt ye wyssen, was der frowen gebrest. Sprach sy: « lyber her, ych han myn geschyrlin vergessen, vnd mag myns lyps nottürft nit yn wagen verrychten ». Vnd da kauft er yr ein blechen beckelin vad gab es jr jn den wagen vnd sagt: sy müsste ym vil dass lieber sin. Vnd wü sy zu eins wyrtes huss kamen, ryt er vor yn vnd sprach: er brechte vil franciser frowen; man salt ess jn wol bytten mytt essen und drincken.*

Da sy gen Ynssbruck kamen, da verkundet er ess dess hertzogen frawen (2) [f. 8] *der sy uss het getryben. Die ladet sy, das sy myt ye assen, vnd gab jnne gar ein kostlichs mal; vnd weinet, vnd was yr leyt vnd schencket in auch ein zergelt, auch sünst vil frumer leüt weinten, vnd was in leyd. — Vnd der guet edelman was by in alss fer dess hertzogen lant gat, vnd hat yn allen vil guetz gedon. Got sy sin lon von der schwestern wegen. Vnd da er wyder heim solt, da waren sy ym alss lieb worden, das er weynet alss ein kint, vnd wan er yn gnadet, vnd begert got fir yn bytten, so künt er kein wort me reden, vnd wan er etwan fere von ynnen gerytt, so kert er wyder vmb,* [f. 8a] *vnd det aber dess glychen, vnd das geschach vil mal.*

Vnd also waren die gutten frummen Schwestern gantz vnter fremden weltlichen lütten, vnd hetten mangerley herberg, byss sy gen Kempten kamen, da enpfiengen sy vnser vaetter mytt grossem mytleyden, und auch myt froden, vnd gingen sy vss jrem Closter vnd lyssen die Schwestern dar yn. Da waren sy vier wochen vnd ij tag, byss der Vicarius (3) *zu yn kam. Das was der Geistlich andechtig vatter Johannes von Lar, der vor mals auch Brixen gereformiret hett. Der bracht sy her yn diss Closter. Er hat in allen vil guts gedon* [f. 9].

Wye vnser lieber her wunder det myt den zweyen Conuenten: alss nun die dürchluchtig, hochgeborne furstin frow Mechtidt, geborne

(1) Ibi xylographia multicolor S. Barbarae adglutinata est.
(2) Cf. p. 535 sq. (3) Scil. Provincialis. Cf. p. 536.

pfaltz gravin by Rin, frow von Osterreich vnd Graf Eberhart von Wirtenberg (1) jrer gnaden son, empfiengenn dyss arme bilgrüm vber nacht; vnd darnach myt der zyt haben sy dis closter myt jn gereformiert.

Vnd also furen die Schwestern in Pfullingen an dem Tag Conceptio Sancte Virginis Marie, der waren an der zal xxxj; die bracht vnser lieber her wünderbarlich xlij myl; so waren vor me dan xl hin yn dysem Closter [f. 9a], die empfyngen die von Brixen myt grosser mynsamkeit vnd erbarmten sych vber sye vnd beheilten sye demüttiglich, und teylten in yr liep vnd guet vnd jr getruwe hertzen vnd alles das, das sy hetten und vermochten, eine bracht yn schleyer, die ander beltz, roeck vnd hemder, nutz vss genumen, vnd dynet yn die Abtissin zu Pfullingen das erst mal zu Tisch myt grosser andacht vnd demüttigkeit vnd hieltten sich die zwen Conuent wol myt einander. Also myt der zyt kam die hoch geborn frow von Osterreich, myt vil erbern personen geistlich vnd weltlich [f. 10]. Da ward diss Closter Pfullingen gereformiert jn dem jar alss man zalt von xps gepürt Miiijclxj jar, myt vrlub babstlichen Gewalt; vnd auch der hochgeborne fürstin frow von Osterrych, do oben gemelt, sy hat auch die zyt alss man myt der reformyrung vmb ging, den Schwestern etwan zu tysch gedint, vnd alle lieb vnd früntschafft bewyssen; vnd also blyben die zwen Conuent by ein ander drü jar.

Vnd jn der dryen jaren erzeygt vnser her aber sin gnad, also wan ein starb vss dysem Conuent, so starb dan eine vss dem andern Convent, alss lang sy hy waren. — [f. 10a] Anno dni Miiijclxij jar, nach quasimodo geniti, starb mutter Agnes Reyssnerin (2) von Brixen, abbtissin da selbst gewesen, die was die erst. — Dar nach ym selben jar, an Sant Allexius tag (3) mutter Katherina Tüflin, abbtissin in Pfullingen gewest. — Dar nach aber im selben jar starb S. Elssbeth Sebnerin von brixen an sant Thomas tag. – Dar nach anno dni Miiiiclxiij jar an sant Stepfhanns octaf (4) Mutter Dorothea Kolerin, abbtissin zu Brixen vnd Pfullingen gewest, ist am ampt tod; sy hat dy S. von Brixen vss gefürt, da ess doch nyt anders kunndt gesynn, [f. 11] vil sorg vnd schrecken yn genumen. — Dar nach vff octava epiphanye (5) dni, in selbem jar starb S. Elsbeth Dottingerin ein pfullingerin. — Dar nach vff Jacobi apostoli (6) S. Margret Englerin, ein pfullingerin. — Dar nach am drytten tag S. Dorothea von Brunck, ein bryxerin gewest. — Aber ym selben jar zu Sant Claren tag S. Vrsula von Baldeck, ein pfullingerin. — Dar nach anno dni Miiijclxiiij jar am suntag vocem iocunditatis (7) starb S. Clara Nydertorerin, ein brixerin. — Dar nach an Sant Petter vnd Paulus abent Schwester [f. 11a] Adelheit von Baldeck, ein pfullingerin. — Dar nach ym selben jar vf Iacobi Mutter Anna Schillingin, abtissin zu Pfullingen gewest. — Dar nach vber dry tag Schwester Anna Wyppflin, ein brixerin gewest. — Dar nach am dritten tag nach Assumpcionis Marie S. Dorothea Notterin, ein pfullingerin. — Dar nach am zinstag vor Bartholomei (8) S. Adelheit Haf-

(1) Eberhardus, scil. Barbatus, primus dux Wirtemberg.

(2) Fuerat abbatissa Brixinae 1426; dom. Quasi modo anno illo in 25 April. incidit. AB. (3) 17 iulii. (4) I. e. 2 ianuar. Cf. tamen supra, 535 n. 2.

(5) I. e. 13 ianuar. (6) 25 iulii. (7) I. e. 6 mai. Erat e prosapia nobili: de Niederthor, Bulsani; Greiderer, II. 167, erronee eam Niederer vocitat.

(8) I. e. 21 aug.



fnerin, ein brixerin. — Dar nach zu natiuitas Marie S. Margreta Natterin, ein pfullingerin gewest. Dar nach zu Sant mauricij (1) jn selben jar S. Heidel, ein bryxerin gewest. [f. 12] Dar nach zu aller Heiligen tag noch jm lxiiij starb S. Agnes phortzheimerin, ein pfullingerin. Vnd also verschyeden jn den drwe jaren xvii Schwestern, ye ein pfullingerin vnd dan ein brixnerin.

Dar nach im lxiiij nach sant Martinstag zugen die Schwestern von Brixen, jren wol xviii, wyder heim, vnd belyben V Schwestern hie yn Pfullingen; und wye wol sye myt grossen vnwillen waren vertryben, so hett man yn doch yr saltz gült, korn gült flyssig behaltten (2). Aber die wyl sy hye waren, was eine lam vnd kranck; sagten die doctores: sy wurt nit gesundt in dysem landt; [f. 12a] die lyssen von hynnen myt yn tragen, jr nam was Brigitta Rotunndin oder Fleyschmennin (3). Aber hye sint beliben V schwestern. Die sint auch vss dyser zyt gescheyden, da ess got wolt han. Dar nach anno dni Mccccxxxix schwester Katterina Volletin, von Brixen, Reformiererin. — Dar nach anno dni Mccccxc am freitag vor Cathedra sancti Petri (4) S. Katherina Widmennin, ein brixeryn, hye beliben Reformiererin. — Dar nach anno MVcvii vf freitag vor Sancti Mauricij (5) M[utter] Barbara Reckin, abtissin vnd priorin zu Pfullingen, von Nurinberg gen Brixen ge-[f. 13]schyck (6), zu Brixen vnd Pfullingen Reformiererin. — Dar nach XVcX jar S. Margharet Fleyschmennin von Brixen, hie ein Reformiererin.

Dar nach anno dni XVcXij jar Schwester Cristina Reyseltin, ein brixnerin, vnd hye Reformiererin. Dise S. Cristina yst ein dynerin vf dem hof zu Nurinberg gewesst bey den Schwestern zu Sanct Claren. vnd da man etlich gen Brixen schyckt, da helfen reformieren, begerten sy, das sy myt yn für. Da wolt sy ess nit dün: sy wolten sye dan yn nemen yn den hieligen Orden sancte Clare; vnd also ward yr zu gesagt zu [f. 13a] einer ley Schwester; da für sy myt yn vnd wass ynnen gar trostlich vf dem weg. Vnd da Brixen gereformirt wart, da wolt oder begert nyman zu yn ein lange zyt. Also lysen sy Schwester Crystina lernen; also wart sy ein Cor Schwester, vnd in der nacht alss yn wart verkünt, dass man sy wolt vss tryben, nam sy stret vnd spruer seck, vnd hyess sye vber die weggen sperren (7), vnd alle ding was zu der fart mocht dynen, vnd sunderlich allen hennen vnd Cappuenen heywe sye die kopf ab myt einem hackmesser vnd styss sy in seck vnd küssen zychen; dess glychen lepkuchen vnd was [f. 14] jn werden mocht. Vnd wa sye zu erbern leutten kamen, ess weren der Schwestern fründ oder sunst erber leut, die yn etwas zu eren detten, so hett sy alle zyet etwas herfür zu zeyhen zu einer danckbarkeit: ytzunt ein lepküchlin, dann ein anders der glychen; vnd wan sye yn der wyrt hüser kamen, so hett sye auch gewenlich etwas das güt was zu kochen. Sie ging in auch allen vor in dem das sie fraget alle ding, wye vnd wa man alle ding verrychten. die zu der lyps nott gehoren solt, vnd was jn allen ein grosser trost. Sye hat auch die klengler

(1) 22 septemb. Heidel=Adelheidis.

(2) Curam derelicti monasterii Brixin. dux Sigismundus iudici civitatis eiusdem commiserat. (3) Fuit abbatissa Brixinensis an. 1475 et 1479. AB.

(4) 19 februar. (5) 17 septemb.

(6) In margine inferiori: « *Trost dich got ewig, du mein herz liebe treue mutter. Joh. Gernolt. Ann. 1533 in Pfullingen praedicator* ».

(7) Cf. supra, p. 540, l. 8sqq.

vss den glocken [f. 14a] *zu Brixen genumen* (1), *und alss wol behalten das man sy nytt hat künden finden, man hat sye zu Pfullingen darnach' müssen fragen. Sie yst auch hie zu Pfullingen winden vnd dormeisterin gewest, aber nit die weyl ych im Closter bin gewest* (2). *Aber* [*het*] *ein streng hert leben und grosse lieb zu der geistlichheit. Wan ein gross hochzit* (3), *was, so küsset sye den Schwestern vor andacht die fuss, vnd legt sych dan vor die stubendür, so man yn Cor ging. Etwan wolt jrs die erwirdig M. abbtissin nit erloben. Vnd wan sy etwan blod was, sagt die erwirdig Mutter Barbara* [f. 15] *Reckin, abtissin: « S. Cristina, du bist kranck, gang in das siehus »* (4), *so sprach sye: « Nein, neyn, so Mutter, ess yst besser worden ». Vnd vil ander gutter vbung, das ych von kurtze lass an stan. Aber lenger dan zwey jar vor jrem end was sy gantz ein kindt, das sye weder bychten noch betten kund. Sye was etwan gar kranck jrer verunft halben. Aber alle vorgeschrybne ding han ych von jr geschen* (5) *vnd gehort, vnd noch me, das ich nit han geschryben. Sye hat myr auch vil gutzs gedon, da ych erst in das Closter was kumen, vnd noch ein jungs kindt; ych han ir auch myn best gedon. Deo gratias.*

[f. 15a] *Ess yst auch zu wyssen das die E. edlen frowen Mechtdilt vnd frow Irmel dyss Closter anfingen, vnd den heiligen Orden an sych nomen yn der vaetter Cappel, bey vnser heiligen Mutter Sant Claren leben; die darnach vss dysem zeyt schied jn dem Jar da man zalt von xpi vnsers lieben herren Geburt Mijclij jar. — Ess yst auch zu wyssen das von der zyt alss die erbern frowen den h. orden an sych hand genumen, byss der Reformierung sint hingangen ijcix jar. Wye fil Schwestern die selben zyt myt dot sint abgangen, finden wir nit me dan ijcxiiii.* [f. 16] *Aber etlich von den wir sunderlich hand gehort, der selben Namen finden wir nit geschriben, dar vmb vnns die recht zal nyt firwar zu wyssen yst; aber vnser lieben herren Got sy yn allen gnaedig vnd barmhertzig, ych hof sy syen hoch ym hymel; Got helf vnss auch dar. Aber von zyt an der Reformierung Miiijclxj sint von vnss verscheyden XCV Schwestern, der namen vnd jar zal alle myt flyss sint angeschriben; vnd alle jar an dem tag Concepcio Sancte Marie lesen wir sye alle myt jrn eygen namen vnd gedenck jr myt sunderm gebett, wye wol wyr* [f. 16a] *hoffen sye bytten fur vns; so ist doch das die liebe Got helfe vns auch vnsern streit wol verbringen.*

Vnd das ist die sach dar vmb wir der ersten Schwestern zal nit wyssen: das buch dar in sy stent, ist geschryben worden, da man Miiijc hatt gezelt. — Anno dni Miiiiclxxxiiij jar hat vss unserm Conuent Pfullingen in der octava Epiphanie VIII Schwestern gen Sefflingen gefürt, den da helfen reformieren; der leben noch zwo.

Ess yst auch zu wyssen: da die forgeschryben ding mjt den Schwestern von Brixen waren fürgangen, myt der zyt waren sy kimen fir den basst zu Rom, wye man myt yn gehandelt hett, vnd wye sy sich hetten gehaltten. Vnd da [f. 17] *die botten von der hochgebornen frowen von Osterrych gen Rom kamen, von der Reformierung wegen, da liess sin Gnad die botten selber fir in kümen. Ess waren auch da die vaetter, die man von den Schwestern zu Brixen hett vertryben*

(1) Supra, p. 539, n. 6. (2) Scriptrix horum tamen paulo ante annum 1504 habitum S. Clarae induit. Cf. infra l. 544 l. 14 sqq. (3) I. e. festa principalia. (4) « Siechenhaus » i. e. infirmaria. (5) Cf. supra, nota 2.

bey den botten, vnd der babst sass zwyschen den Cardinelen, vnd da er die ding erhoret, fing er an zu weinen alss ein kind, vnd vss grosser lieb gab er in dise bull. Aber wir hand nu die abgeschryft, die Schwestern die wyder gen Brixen sint gefarn, haben die die da gebullent yst myt der syden schnur, vnd facht also an: Papa Pius... « Intelleximus ea que... ». Sequitur versio germanica bullae 9 febr. 1462 datae Sororibus S. Clarae Brixinensibus tunc Pfullingae morantibus. Edita est ap. Greiderer, II, 166; (173), et AF II, 390 sq.

[f. 20] *Bytten Got auch fir die Schriberin; sy hat ess euch uss liebe geschryben; gedencken yr myt ainem aue Marie.* [f. 20a]. *Wir hant vil vrsach got getrewlich dienen, dan gar fil wyderwertikeit ist vber vnser Closter Pfullingen gangen. Die wyl ych dar yn bin gesyn, hab ych gar ein grosse hofnung, der her werd vnss firbass auch nit verlassen. — Yn dem jar, da man zelt von der geburt unsers lieben hern Ihesu* $mv^{c}iiij$, *da was ich noch nit lang ym Closter gewess, kam einss mals gar ein gross wetter an einem abent, doch wart ess styll. Aber vnder der mettin kam ein gross schlag, das wir alle erstunten. Da het ess ein grosse steine Crutz ab der kirchen geschlagen. Vber ein cleyne zyt verbrennet man yn dyser gegen ein frow, die sagt sy hett das wetter vber vnns gemacht, aber ess wer nit me geschehen* [f. 21] *dan got verhengt; sy hat vns alle wollen erdotten. — Dar nach da man zelt* $mv^{c}xiiii$, *da was soliche vnrug, das man vnns alle tag verküntte, wyr mochten nit uber nacht ym Closter blyben. Vnd gewonlich alle nacht ging man myt pfyffen vnd beucken an vnserm Closter hin. Wir wusten nit, wan ess frundt oder feindt weren; das weret jar vnd tag. Dar nach* $mv^{c}xviii$ *jar zog hertzog Vlrich fur Rutlingen vnd lag acht tag da, vnd schoss* xiiii^{c} *boschen stein dar in, vnd zu lest fuer. Da gaben sy die stat vf, vnd da er in rit, besorgten sy sych vor den dotten; da was nymant kein leyt geschehen; aber vf vnserm hof was so uil leut, dass eins im Closter kum sin wort* [f. 21a] *kunt horen, vnd sassen syne ruter vf vnserm korn huss, und massen vnsern habern jren rossen dar, wye man in der fursten marstell duett. Dar nach im XXV jar kamen der bessen buren wol* xi^{c} *fur vnser closter vnd detten vnss grossen schaden, vnd dar zu gross angst vnd not an. Da lagen wyr dry tag vnd nacht by ein ander im Cor, vnd da die nott am grosten was, vnd vir vnss der buren nit me kunten erweren, sy wolten in dass Closter, da starb ein Schwester im Cor. Was wir von den buren hand erlyten, angst vnd nott, vnd dar zu grossen, das weyss vnser lieber her wol, der lass yms ein lob sin, das vergangen, gegenwirtig vnd das kunftig, vnd geb vns gnad, das wyr ess wol tragen. Amen, im sy ewig lob. Amen.* Hic manus saeculi s. XVI posterior subnotavit: ***Et adhuc nondum finis.***

Confessores qui in hoc loco fuerunt a tempore reformationis ex Provincia Argentinensi (1).

Primus frater Stephanus; secundus Udalricus Streicher, et hi duo defuncti hic sunt, antequam sorores per ducem Sigismundum expellerentur. Postquam autem redierunt, venit cum eis tertius: fr. Leonhardus

(1) Maior pars huius notitiae in eodem codice f. 57v. ab eadem manu scripta est, quae fundationem etc. istius monasterii descripsit: supra 532-7. denuo editam.



Mair, Basilee defunctus. Quartus fr. Nicolaus Pruss (1); V. (2) fr. Petrus Balding; VI. fr. Sixtus Hildbrant; VII. fr. Iohannes Sartoris; VIII. fr. Andreas Tranckilcher; IX. fr. Heinricus Weich; X. fr. Heinricus Gebhart (3); XI. Iacobus Sartoris; XII. fr. Udalricus Suss; XIII. fr. Iohannes Scriptoris de Spira, hic defunctus; XIV. fr. Cunradus Nater, hic defunctus; XV. fr. Bernhardus Slierbach basileensis; XVI (4) fr. Nicolaus Scheuber, hic defunctus anno 1542 11 februarii, sepultus in choro ante summum altare et 18 annos laudabiliter prefuit huic conventui. XVII. Mauritius Rasch, confessor et predicator, qui non est hic mortuus. Item XVIII fuit fr. Bernardus Zaendl, confessor et predicator, qui anno Domini 1547 in die Sancte Anne huc advenit; hic defunctus anno 1570 in Dominica Letare. Item (5) confessor sequens [XIX] fuit fr. Carullus (?) Stollenberger anno 1570 post Letare, hic defunctus 1575. 27 octobris 1577 (6). Confessarius [XX] P. Martinus.

En paululum plura de uno istorum Confessariorum, scil. de P. Bernardo Schlierpach (7). Cum 29 decembris 1524 obiisset, in ecclesia Monasterii sepultus est, sub lapide hoc epitaphio ornato: « *Sarcophago hoc tegitur speculatae virtutis insignis Theologus Bernhardus Schlierbach, Virginum Clarissarum Brixii confessor, Confraternitatis b. Annae eiusdem cenobii primus institutor* (8), *qui naturae cessit 29 xbris anno 1524. Confratres S. Annae pietate moti eidem posuerunt* ». — Haec S. Annae Confraternitas a P. Bernardo ibi instituta an. 1497, anno 1619 in cathedralem Brixinensem translata est. Cum 2 sept. 1667 Georgius Felix Mohr de Sonnegg et Koestlan, episcopatus Brixinensis Cancellarius, ex supra relato epitaphio inducere vellet Bernhardum (non secus ac alios Confessarios Clarissarum olim) presbyterum saecularem fuisse, non Fratrem Minorem, P. Petrus Moosmüller, tunc Praeses Fratrum et monialium Confessarius, facili nisu e documentis probavit P. Bernhardum revera Ordinis FF. Minorum fuisse. Cum P. Rufinus Laxner an. 1684 ecclesiam Clarissarum restauraret, lapidem illum pro altaris mensa conficienda adhibuit (9).

Hallis (Tyrol.).

P. MAXIMILIANUS STRAGANZ, O. F. M.

(1) Cf. p. 537.
(2) Numeri ordinarii diversimode in codice exprimuntur.
(3) Supra, 538. (4) Hinc manus secunda incepit.
(5) Hoc tertia manus adnotavit.
(6) Hoc nomen quarta manus subnotavit.
(7) Supra l. 6. (8) Cf. supra, p. 537.
(9) Protocoll. Clariss. Brix. I, 518sq., 619. AB.

CODICOGRAPHIA

DESCRIPTIO CODICUM FRANCISCANORUM

BIBLIOTHECAE MUSAEI NAMURCENSIS.

Si duo excipias Manuscripta, nn. 142 et 166 signata, quae quidem accurate descripturus est in AFH Andreas Callebaut, O. F. M., pauci tantum codices huius bibliothecae ad rem franciscanam faciunt. Attamen, cum sit nobis in mente, omnes belgicas perlustrare collectiones publicas, nec hocce Musaeum Namurcense negligere licuit. Eo quidem magis, quod uterque eiusdem catalogus nullius fere adiumenti esse potest quaeritanti de codicibus franciscanis. Alter (1), primo occurrente titulo vel incipit, codicem indicat, alter (2) vero nonnisi duos continet tractatus ad Ordinem spectantes.

Numerus arabicus codicum signaturam indicat Veteris Catalogi, quocum concordant Editores *Anal. Boll.*

I. — Cod. n. 162. Chartac. mill. 218×150, ff. 215, (praeter 2 et 3 insititia) diversis manibus et plenis lineis conscriptus circa medium saec. XV. Cooperimentum ex ligno, cui pellis porcina circumducta, bene servatum exstat. Est « *Liber conventualis* », uti dicunt, diversos continens tractatus ad quotidianum usum Monachorum, celebris scilicet Monasterii de Gardineto iuxta Walcuriam (3). Duo ad rem nostram faciunt, scil.:

1. (f. 71r–106v) **[Soliloquium S. Bonaventurae].**

Rubr. Incipit Bona ventura de quatuor exercitiis anime. — *Incip. prol.* Flecto genua mea ad patrem Domini Ihesu Christi a quo... *des.* ad eum qui est omnis desiderii finis et complementum. *Rubr.* Incipit contemplatio hominis et anime. Quomodo anima excitabitur mentaliter et qualis est formata per naturam. Incipit primum exercitium. Anima. *Incip.* Dic, queso, o homo, si post devotam... *des.* donec intrem in gaudium Domini mei qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. *Rubr.* Explicit ymago vite sive speculum contemplationis finita

(1) *Catalogue des livres de la Biblioth. publique de la ville de Namur*, 1807: *Les Manuscrits*, pp. 259-266.

(2) *Catalogus codicum hagiographicorum bibliothecae publicae civitatis Namurcensis*, ap. *Anal. Boll.*, II, Bruxellis 1882, 485-530, et inde separatim editus.

(3) Codex noster est ex primis ibidem exaratis Manuscriptis; cum anno 1438 Beatus Ioannes Eustache, omnium primus Abbas huius Monasterii Cisterciensium renuntiatus sit. Vid. Toussaint, *Hist. civile et religieuse de Walcourt*, Namur 1887, 192-204.



Anno Domini M°.ccccl°, 10ª die Novembris in profesto S. Martini inter horam 11m et 12m. Petrus Multoris (1). = Codex noster non citatur a PP. Editoribus ap. S. Bonaventurae *Opera omnia*, t. VIII, pp. XXVII-IX. — Lectio quidem haec notabiliter longior quam illa quae exhibetur ibid. pp. 28-67, nonnullis scilicet interpolatis sententiis Patrum et S. Script.

2. (f. 133v–135v) [S. Francisci epistola de Reverentia Corporis Domini].

Rubr. Incipit epistola quam misit Beatus Franciscus ad capitulum generale quando erat infirmus. *Incip. prol.* — In nomine summe Trinitatis et Sancte Unitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Reverendis... *des.* nomen illi qui est benedictus in secula Amen. *Incip.* Audite Dominum filii et fratres mei et auribus... *des.* tamen in dissimilibus et unus ubique fuit in secula seculorum. Amen. — Editus apud Luc. Waddingum, *B. P. Francisci Assisiatis Opuscula,* Antverpiae 1624, p. 34 n° XII. Cf. P. Livar. Oliger, AFH VI, 3-12.

II. — Cod. n. 20. Papyr. mill. 290×211 ff. 150 (unum ad custodiam initio), altera medietate saec. XV exaratus (pro maiori parte ab 1470 ad 1492) binis columnis et sat nitida manu. Monachus coenobii in Herlaymont conscripsit; tempore vero perturbationis gallicae codex exstabat in bibliotheca Floreffiensi. Inter voluminis varios tractatus asceseos unus ad nos spectat:

(f. 1r–97v) [Compendium theologicae veritatis olim auctori Minoritico tribui solitum].

Rubr. Incipit prologus compendii theologice veritatis. Veritatis theologice sublimitas cum sit superni splendoris radius... *des.* et homo est Deus a quo fluunt omnia. *Rubr.* Quod Deus sit. *Incip.* Unum Deum esse... *des.* Finale iudicium quedam habet antecedentia et quedam sequentia. *Rubr.* Explicit compendium theologie scriptum in herlaymont per fratrem Iudocum de Bruxella. Anno Domini M.°cccclxxij. — Index capitulorum. = Hocce opus, medio aevo vulgatissimum iam edidit Fr. Ioannes de Combis, O. F. M., Venetiis, an. 1528. De eiusdem auctore cf. Editores S. Bon. *Op. om.,* VIII, p. CXII. Cf. etiam AFH II, 411.

III. — Cod. n. 160. Chart., mill. 211×145, ff. a-c, 219, d-f.; Triplici saltem manu, nitide, binis columnis exaratus ante finem saec. XV. Ligatura ex duobus lignis pergameno obductis, bene servata; altera uncina iam desideratur. Variis rubricis et annotationibus constat codicem pertinuisse Monasterio de Gardineto, in dioecesi Namurcensi. Ad rem franciscanam faciunt:

(f. 172ra–185va) [Verba aurea Beati Fratris Egidii Assis].

Rubr. Ihesus, Maria, Franciscus. In nomine Domini. Incipiunt verba aurea vel collationes venerabilis fratris Egidii, socii beatissimi viri Sanctissimi Francisci, fratris (sic) Minorum. Ihesus. *Incip.* Gratia Dei et virtutes sunt scala ascendendi in celum.

(1) Petrus Le Meunier, natus Alostii, professus in Gardineto, primus electus abbas in Boneffe, († 1470); vid. Ursm. Berlière, *Monasticon Belge,* Bruges 1890, I, 67.



Cap. 1. titulo caret. — Cap. 2. De fide. — Cap. 3. De dilectione Dei et proximi. — Cap. 4. De humilitate. *Circa medium:* gratia composuit eum. Si quis esset sanctior homo de mundo et reputaret [se] maiorem peccatorem de mundo, in hoc esset humilitas. Humilitas nescit loqui et patientia non audet loqui. etc. Sic desinit hocce caput. = Cf. *Dicta B. Aegidii Assis.*, Ad Cl. Aq. 1905, 14. Capitulatio differt. — Cap. 5. De timore. — Cap. 6. De virtute patientie. — Cap. 7. De sancta sollicitudine et vigilantia cordis. — Cap. 8. De contemptu mundi. — Cap. 9. De pugna temptationum. — Cap. 10. Sequitur de virtute. — Cap. 11. De gratia orationis. — Cap. 12. De cautela spirituali habenda. — Cap. 13. De scientia utili et inutili et de predicatione verbi divini. — Cap. 14. De verbis bonis et malis. — Cap. 15. De virtute perseverantie. — Cap. 16. De religionibus. — Circa finem haec:... alte volunt ambulare. Quia quanto gradus altior, tanto casus gravior. Et dixit Sanctus Franciscus quia peccatum sacerdotum maius est quam peccatum totius mundi; quantum est ergo Minorum fratrum maius omnium sacerdotum aliorum totius mundi. Quare gradus altior est quem Deus servavit et illum suis discipulis servandum tradidit. Et qui omnia scivit preterita et presentia et futura et omnia fecit, credendum est veraciter quod altiorem perfectionem et meliorem omnium statuum elegit. Ille est dives... Edit. cit. 64. — Cap. 17. De virtute obedientie et quibusdam aliis virtutibus. — Cap. 18. Desideratur rubrica. — *Des.:* facit, appropiat. — *Rubr.* Deo gratias semper. Expliciunt aurea Verba Sancti Egidii ordinis fratrum Minorum. = Vid. ed. cit. et P. Guillelmus Spoelberch, O. F. M., *Doctrina Fr. Egidii,* Antverpiae 1620.

IV. Cod. n. 48. Chart. mill. 297×214, ff. 222. Variis manibus circa medium XVⁱ exaratus; provenit codex e Monasterio de Gardineto. Post tractatus S. Augustini, Sermones S. Chrysostomi et Legendam S. Mauri, refert:

(f. 219r–v) [Extractum ex **Verbis aureis B. Fr. Egidii**].

Rubr. De omnibus religionibus. *Incip.* De omnibus religionibus et religiosis quidam... *des.* Quia qui sibi bona que Dei sunt appropriat Deus non appropriat, et qui nichil appropriat, se totum Deo attribuit. huic Deus bona sua que ipsius sunt appropriat. — *Rubr.* Expliciunt verba aurea sancti Egidii ordinis fratrum Minorum. = Concordat omnino cum cap. 18 praecedentis codicis n. **160.** = Cf. edit. Ad Cl. Aq. 1905. 85: *Appendix* ex classi B.

V. — Cod. n. 43. Papyr. mill. 147×111, ff. 295 (praeter 1 et 1 insititium); plenis lineis et quidem nitidissima unica manu conscriptus ineunte saec. XV°. Ultimum quaternium desideratur, sicque opus mutilatum exstat.

[Libri II et III **Fr. Davidis ab Augusta** O. F. M.].

1. (f. 1r-5r) Tabulae capitum. *Rubr.* Incipiunt capitula primi libri de profectu religiosorum. De quatuor in quibus... — 2. (f. 6r-89v) Liber primus [sic, sed erronee] de profectu religiosorum. *Incip. prol.* Collaciones meas quas pro exhortatione ad novicios... *des.* pergat ad Deum. *Rubr.* De quatuor cautelis noviciorum. Capitulum 1. — *Incip.* Quatuor autem sunt in quibus... — *des.* ad terrena eas remittimus, hostis roboratur. — 3. (f 90r-295v) Liber secundus. *Rubr.* Finito libro primo sequitur liber secundus(!) profectuum religiosorum. Quod proficientes reli-



giosi septem processibus distinguuntur. Cap. 1... *des.* que bona preterea, quia in scripture pluribus locis inveniuntur. = Cf. Fr. David ab Augusta, *De exter. et inter. hom. composit.*, Ad Cl. Aquas 1899, 63 sqq. MS. nostrum desinit mutilatum in paragr. 3° cap. LXX. In edit. dicta citantur codices Namurc. n. **43** et **105**, cf. et S. Bonav. *Opera omnia*, 1898, VIII, p. CXV-VI.

VI. — Cod. n. 105. Partim membr. partim chart., mill. 226×130, ff. 112. Sat nitido charactere, plenis lineis, et unica quidem manu exaratus est codex. Tituli et Initiales minio ornata exstant. Ad calcem haec notula legitur: « Fr. Ioannes de Monte, de Landen, hunc scripsit librum in Herlaimont; Anno a Nativitate Domini M°.CCCC° ».

[De hominis exterioris et interioris compositione Fr. David ab Augusta, O. F. M.].

f. 1r *Rubr.* Incipit liber primus qui intitulatur formula noviciorum. *Incip.* Primo semper debes considerare ad quid... *des.* (f. 15v) nec ullam reverentiam ei exhiberi. Explicit liber primus. — f. 15v. Incipit liber secundus de Reformatione mentis. *Incip.* In priori formula noviciorum.. *des.* (f. 40r) dimittimus, hostis roboratur. Explicit liber de reformatione mentis. — f. 40r. *Rubr.* Incipit tertius liber de profectu religionis, qui distinguitur in septem processus. *Incip.* Profectus religionis in septem. *des.* (f. 112v) acceptis vel promissis, que nobis concedat Deus... Amen. Deo gratias. Explicit liber tertius de profectu religiosorum. = Demptis Epistolis et praefationibus auctoris, quae hic desiderantur, et capitulatione quae est diversa, textus noster concordat cum editione recenti supracitata.

VII. — Cod. n. 104. Membran. et chart., mill. 210×142, ff. 117 (1 insititium initio); unico ab amanuensi, monacho uti videtur, nitide conscriptus ante finem saec. XVi. Omnes rubricae, initiales litterae, uti et adnotationes marginales, minio sunt exaratae. F. 62 v. exhibetur Symbolica « Arbor Vitae ». Codex est miscellaneus, qui sequentes habet tractatus ad nostram spectantes rem:

1. (f. 1r–34v) [Soliloquium S. Bonaventurae].

Rubr. Incipit prologus soliloquii bonefortune quod dicitur ymago vite. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. — *Incip. prol.* Flecto genua mea... finis et complementum. — *Rubr.* Explicit prologus. Incipit Soliloquium. — *Incip.* Anima. Dic, quaeso, o homo... *des.* ac si hodie eum videre cepissent. — *Rubr.* Explicit soliloquium bonefortune, seu dyalogus anime et hominis interioris. = Inter non collata MSS. codicem nostrum enumerant PP. Editores S. Bonav. *Op. omn.*, VIII, p. XXXIV et XLVI.

2. (f. 60r–60v) [Ex sermonibus incerti doctoris O. F. M.: De Missarum senario].

Rubr. Quicumque sex missas infrascriptas cum devota intentione pro anima in purgatorio existente legerit, etiam si usque in diem novissimum puniri deberet, liberabitur. Et hoc quidam egregius *Doctor de ordine fratrum Minorum* in sermone publico predicavit. Eundem vero sermonem due matrone honeste audientes invicem promiserunt, ut una



pro alia, quae primo moreretur, predictas missas ordinare deberet. Quod et factum est. Mortua autem una et missis pro ea lectis, reversa est anima in tanta claritate, quod alia pre nimio gaudio tribus diebus sine omni refectione cibi et potus remansit.

Incip. Prima missa. In prima igitur missa admonendus est Dominus noster Ihesus Christus, ut per suam innocentem captivitatem, quam pro nobis et pro omni genere humano sustinuit, dignetur liberare animam ab omni captivitate et pena purgatorii, qua se propria voluntate et peccatis suis exigentibus tradidit captivam.

Secunda. In secunda missa admonendus est Dom. noster I. C. de innocenti iudicio, quod iniuste et innocenter sustinuit pro nobis et pro omni genere humano, ut ipse liberare dignetur animam de iudicio in quo ipsam tradidit voluntarie iudicandam.

Tertia. In tertia missa admonendus est D. N. I. C. de innocenti et indigna conclavacione in cruce, ut ipse liberare dignetur animam a multa conclavacione qua se, peccatis suis exigentibus, voluntarie tradidit puniendam.

Quarta. In quarta missa admonendus est D. N. I. C. de vulneribus sui piissimi corporis et cordis, plagis flagellationis, coronationis, crucifixionis scil. pedum et manuum et aperitionis laterum (sic) et exilii mortis sue, que passus in cruce pro nobis et pro omni genere humano sustinuit, ut ipse dignetur liberare animam ab omnibus vulneribus et peccatis mortalibus, pro quibus iuste et voluntarie se tradidit puniendam.

Quinta. In quinta missa admonendus est D. N. I. C. de sepultura qua sepultus fuit in terra, cum esset Deus celi et terre, ut dignetur animam liberare de sepultura et pena purgatorii, qua se, peccatis suis exigentibus, iuste et voluntarie se tradidit purgandam.

Sexta. In sexta missa admonendus est D. N. I. C. de sua resurectione, ut animam sic faciat resurgere, ut ipsa nunquam separetur ab illo. Amen. Et debet ista missa legi de resurectione D. N. — Primo, salvo intellectu meliori, est notandum, quod quinque misse erunt pro defunctis seu Requiem etc. Prima collecta pro illa anima, demum que placuerit. Item in sexta missa, que erit de resurectione, dicetur penultimo loco pro illa anima. Item in canone, ubi fit memoria defunctorum, primo debent monitiones predicte fieri pro illa anima, demum recordatio aliarum pro quibus voluerit animabus. Item dicte misse debent continuari. Sed poterunt dividi, intervenientibus festis vel aliis impedimentis.

Item quedam anima, existens in purgatorio, in quo purganda erat usque ad diem novissimum, cuidam presbytero apparebat, predictas missas sibi insinuans, ipsum rogando, ut easdem pro ea legere vellet. Presbyter vero precibus suis acquievit, et missis completis, anima a penis liberata reversa presbytero dixit: anima pro qua iste misse lecte fuerint sine dubio liberabitur. Quod exemplo et veritate teste sit probatum. Non est abstinendum a celebratione sine causa rationali.

De hoc missarum senario Gregoriano, cf. AFH VI, 181, iuxta Ad. Franz, *Die Messe im deutschen Mittelalter,* Freiburg i. Br. 1902, 259ss., ubi narratio illa saepius commemoratur in codicibus inde ap. AFH l. c. adnotatis.

3. (f. 62v-74v) [Lignum Vitae S. Bonaventurae].

Rubr. Lignum vitae, quod composuit frater Bonaventura, ordinis Minorum minister generalis et postmodum Cardinalis. — *Incip. prol.* Christo confixus sum cruci.... *Des.* Hiis nos crucis ciba fructibus. —



Rubr. Incipit arbor vite. Ihesus ex Deo genitus. Originis preclaritas. — *Incip.* Expergiscere proinde anima Christo devota et... *des.* Sanctissimi nominis tui cui cum patre... Amen. = Praeter varios titulos capitulorum et additos textus scripturisticos, lectio nostra haec concordat cum edit. recentiori S. Bon. *Op. omn.* t. VIII, p. 68-86; vide etiam p. XXXIX.

4. (f. 75v) [**Canticum ad Lignum Vitae**].

Rubr. Quid Iesus Christus pro nobis sustinuit. — *Incip.* O crux frutex salvificus vivo fonte... *des.* ac sempiternus status. = 20 strophae, quaternorum versuum. Cfr. l. c. VIII, 86s. Ul. Chevalier, *Repert. hymnol.*, 15+4 tantum indicat, sub n. 12849.

VIII. — Cod. n. 31. Partim in membr. partim in chart. foliis; mill. 288×220, ff. 200. Volumen ex tribus saltem codicibus conflatum, non tantum scriptura sed et aetate diversis. Inter alia scripturistica continetur ad nos spectantia:

1. (f. 161ra-rb) [**Collatio Fr. Nicolai de Lyra in Paulinas Epistolas**].

Rubr. Incipit postilla Nicolai de Lira super epistolas B. Pauli Apostoli. — *Incip.* Ecce descripsi eam tibi tripliciter... *des.* est prima respectu aliarum. = Lectio haec sat dissonans a Cod. Leod. n. 142; cf. AFH V, 742-4.

2. (f. 161rb-177vb) [**Postilla eiusdem in Ep. ad Rom.**].

Incip. Paulus servus I. C. Hec epistola.... *des.* participes faciat, qui cum.... Amen.

3. (f. 177vb-196rb) **Postilla eiusd. in Ep. I ad Corinth.**].

Incip. Hic incipit secunda pars... *des.* divine benedictionis in Christo cui est... Amen.

4. (f. 196rb-206vb) [**Postilla eiusdem in II Cor.**].

Incip. Paulus ap. I. C. Postquam apostolus... *des.* in ecclesia Dei, sit cum omnibus vobis semper. Amen.

5. (206vb-211va) [**Postilla eiusd. in Ep. ad Galat.**].

Incip. Paulus ap. non ab hominibus. Hec epistola... *des.* gracia est arra glorie. Ad quam... Amen.

6. (f. 211va-215rb) [**Postilla eiusd. in Ep. ad Ephes.**].

Incip. Paulus ap. C. I. Hic incipit... *des.* ad gloriam que est gracia consummata.

7. (f. 215rb-218ra) [**Postilla eiusd. in Ep. ad Philipp.**].

Incip. Paulus et Tymotheus servi I. C. Hic incipit... *des.* sit et maneat semper. Amen.

8. (f. 218rb-220vb) [**Postilla eiusd. in Ep. ad Col.**].

Incip. Paulus ap. C. I. Hic incipit... *des.* sit que supplet omnem deficientiam. Amen.

9. (f. 220vb-223rb) [**Postilla eiusd. in Ep. I ad Thessal.**].

Incip. Paulus et Silvanus. Incipit ep... *des.* semper, supple, sit in gloria in futuro. Amen.

10. (f. 223rb-224va) [**Postilla eiusd. in Ep. II ad Thess.**].

Incip. Paulus et Silvanus. Hic incipit... *des.* Pauli. Et his dictis littera apponitur.

11. (f. 224va-228rb) [**Postilla eiusd. in Ep. I ad Timoth.**].

Incip. Paulus ap. I. C. Hic incipit... *des.* gracia Dei tecum. Et sic finitur epistola prima ad Tymotheum.



12. (f. 228va-230va) [**Postilla eiusd. in Ep. II ad Tim.**].

Incip. Paulus ap. C. Hic incipit... *des.* anime vita formaliter vobiscum. Amen.

13. (f. 330va-232ra) [**Postilla eiusd. in Ep. ad Titum**].

Incip. Paulus servus Dei. Hic incipit... *des.* cum omnibus, supple, sit. Amen. *Rubr.* Et sic est finis epistole Pauli ad Tytum. Sequitur Epistola eius ad Philemonem in folio sequenti. Explicit istud opus Nycholai de lyra super Epistolas Pauli precedentes per manus fratris Ioannis de Rethy, completum anno Domini M°CCCCIX° sabbatho infra octavam Sacramenti die iunii octava.

14. (f. 233ra-vb) [**Postilla eiusd. in Ep. ad Philemon.**].

Incip. Paulus vinctus I. C. Hic incipit... *des.* spiritu vestro, supple, sit perseveranter. Amen. = Commentarii textus sacri, qui in medio folio est, circumscripti sunt in marginibus; circa an. 1350.

15. (f. 234ra-258vb) [**Postilla eiusd. in Ep. ad Heb.**].

Incip. Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur... *des.* et in futuro. Prestante Domino nostro I. C. cui... Amen. — *Rubr.* Explicit postilla super epistolam Pauli ad Hebreos edita a fratre Nycholao de Lira ordinis fratrum Minorum sacre theologie doctore venerabili. Finita est scriptura anno Domini M°CCCLXXXIII° in profesto beate Barbare.

IX. — Cod. n. 26. Chartac., mill. 290×220, ff. 326; unica manu sat nitida, altera medietate saec. XVII[i] exaratus, in binis columnis. Initiales, tituli currentes, et nonnulli textus sacri minio sunt exarata. Comparatione instituta, videtur provenire ex celebri monasterio de Gardineto.

1. (f. 1ra-48vb) [**Compendium S. Scripturae** auctore **Petro Aureoli O. F. M.**].

Rubr. Incipit compendium litteralis sensus totius divine Scripture editum a fratre Petro Aurelii ordinis fratrum Minorum. — Commendatio Sacre Scripture in generali. — *Incip.* Venite, ascendamus in montem Domini et ad Domum Dei Iacob et docebit nos vias suas. Ys. 2° capitulo et Mych. 4°, Gregorius 22°, libros Moralium exponens, et Iob. cap. 33°.... — *des.* et pluvie benedictionis erunt, ad quod nos perducat... — *Rubr.* Commendatio Sacre Scripture. in speciali. — *Incip.* Venite ascendamus ad montem etc. ubi supra magnus ille Pauli discipulus apostolorum contemporaneus... — *des. mutil.* Et ideo dicebant alii gloriando quod ipsi erant Pauli alii vero Apollo. = Typis editum a P. Philiberto Seeböck, O. F. M., *Compendium sensus litteralis totius Divinae Scripturae,* Ad Cl. Aquas 1896.

2. (f. 49ra-51vb) [**Commendatio S. Scripturae Fr. Nicolai de Lyra**].

Rubr. Incipit primus prologus Magistri Nycholay de Lira de recommendatione Sacre Scripture. — *Incip.* Hec omnia liber vite Eccl. 24. Secundum quod dicit beatus Gregorius... — *des.* descendamus ad litteram exponendam. = cfr. Cod. Leodiens. n. 148, ap. AFH IV, 591.

3. (f. 51rb-117vb) **Postilla eiusd. in Genes.**].

Incip. In principio creavit Deus celum et terram. Omissis... — *des.* resurgere cum Christo resurgente cui... Amen. — *Rubr.* Explicit postilla Magistri Nycholai de lira doctore Venerabili sacre theologie super librum genesis.



4. (f. 118ra-177ra) **[Postilla eiusd. in Exodum].**

Incip. Secundum quod dicit Ysidorus... *des.* illa de illis superius sunt expressa.

5. (f. 178ra-213ra) **[Postilla eiusd. in Leviticum].**

Incip. Vocavit autem Dominus Moysen. Sicut dictum fuit... *des.* dicens: Hec sunt mandata etc. et patent.

6. (f. 213rb-225vb) **[Postilla eiusd. in Numer.].**

Incip. Locutus est Dominus. Ex predictis in libris... *des.* et iudicia quantum iudicialia.

7. (f. 253ra-291rb) **[Postilla eiusd. in Deuteronom.].**

Incip. Declaratio sermonum tuorum... Sicut dictum fuit in principio... *des.* non sunt facta per alium prophetam in veteri lege. *Rubr.* Explicit postilla super Deuteronomium et per consequens sequitur penthateucum Moysi edita a fratre Nicholao de lira ord. fr. Min. sacre theologie doctore.

8. (f. 301ra-b) **[Prologus in moralizationem S. Scripturae Fr. Nicolai de Lyra].**

Incip. Vidi in dextera sedentis super tronum... *des.* in principio litteralis expositionis. Cfr. Cod. Leodiens. n. 95 ap. AFH V, 108sq.

9. (f. 301va-311vb) **[Moralizatio eiusd. in Genesim].**

Incip. In principio creavit Deus celum et terram. In hoc capitulo... *des.* dixerunt servi tui sumus etc.

10. (f. 312ra-319ra) **[Moralizatio eiusd. in Exodum].**

Incip. Hec sunt nomina filiorum Israel. Per filios... *des.* arbitrium ad consecutionem vere beatitudinis. Amen.

11. (f. 319rb-324vb) **[Moralizatio eiusd. in Levit.].**

Incip. Vocavit autem Dominus Moysen. In hoc libro... *des.* secundum testimonium Salvatoris Mat. 12 et Luc. 21.

12. (f. 324vb-326vb) **[Moralizatio eiusd. in Numer.].**

Incip. Locutusque est Dominus. In hoc capitulo describitur... *des. mutil.* cernens asina angelum stantem in via. Per hoc... — Cum folium 326 laceratione dimidiatum existat, non nisi partim exhibet moralizationem capitulorum 3, 16, 17, 21 et 22.

X. — Cod. n. 73. (1) Chart., mill. 284×205, ff. 208, duplici columna nitide exaratus saec. XV in monasterio de Gardineto. Inter alia hagiographica continentur ad rem franciscanam facientia:

1. (f. 118rb-120vb) **[Vita S. Yvonis Trecorensis, III Ordinis S. Francisci].**

Rubr. Incipit vita Beati Yvonis. — *Incip.* Temporibus nostris in quibus fines seculorum devenerunt, stellam quandam novam produxit altissimus... *des.* fideli testimonio dinoscitur et probatur. Incipit vita. Igitur beatus Yvo a nobilibus... *des.* multa fiunt et facta sunt miracula ad laudem et gloriam Dei, qui est benedictus in secula. Amen. = Haec vita prodiit ex hoc codice ap. *An. Boll.*, II, 324-30; cum ommissis et mutatis ap. Surium, *Historiae seu vitae Sanctorum,* V, Taurini 1876, 601-7. Cf. *Bibl. Hag. Lat.* n. 4631.

(1) Apud: *Catal. Cod. hagiogr. civ. Namur,* describitur 520-4; sep. pp. 40-44.



2. (f. 123rb-126va) **[Vita et miracula S. Ludovici regis Franciae].**

Rubr. Vita beati Ludovici. — *Incip.* Beatus Ludovicus quondam rex Francorum illustris patrem... *des.* miracula et contingunt frequenter beati Ludovici meritis et precibus, ad laudem et gloriam Redemptoris... Amen. = Edita in *Rer. Franc. Script.* t. XXIII, 160-7. Circa medium adest: Instructio b. Ludovici ad filium: Care fili, primum documentum... ipsumque laudare et videre sine fine. Amen. Vid. *Catal. Cod. hag. Namurc.,* 523, sep. ed. p. 43.

XI. — Cod n. 32. Chart., mill. 168×112, ff. 331, (praeter 1 et 1 f. ad custodiam), plenis lineis, unica nitida manu exaratus, circa medium saec. XVI, in celebri coenobio Cameracensi, prope Bruxellas. Saeculo vero XVIII ad finem vergente, volumen erat conventus Dionantensis Capuccinorum. Continentur:

[Sermones Flandrici Ioannis Mahusii, O. F. M.].

Rubrica. Dese naevolghende sermoonen hebben ghenomen die religieusen des godshuus vander Cameren buiten Bruussel, uut den prekenden mont vanden zeer weyzen discreten gheleerden Pater heer Ian Mahuysius minderbroeder tot Brussel anno XV^c^LXIII, den XI^en^ Augustii, opden pater noster nemende voor zijne teme, oportet semper orare et non deficere, Luc. 18. *Incip.* Men moet altijts bidden ende nimmer ophauden. Wij moeten weten dat naer... — *des.* ende tonen. God die Vader, god die zone. ende gode die heylighe geest. Amen. — (f. 315v-331v) *Incip.* Beatius est magis dare quam accipere, Act. 20. g. Tes meer zalegher te gheven dan te ontfanghen. Dese worden bescryft Sent Lucas... *des.* Sal meer dan men saude connen uutspreken. Dat es den Heer bekent. = Est series 26 collationum, quas habuit P. Ioannes Mahusius († 1572), religiosis Cameracensibus, in textum Evangelii: Oportet semper orare. — Illustrissimi huius viri notitiam biographicam habes apud: Steph. Schoutens, O. F. M., *Martyrologium Minor-Belgic.*, Hoogstratae [1902] p. 168. Cfr. etiam Serv. Dirks, O. F. M., *Hist. litter.* p. 70.

XII. — Cod. n. 65. Papyr., mill. 176×118, ff. 336, (insuper 1 f. insit.); unica manu, plenis lineis conscriptus ineunte s. XVIII°. Haec notula in fol. ad custodiam: « Theologia conscripta a Fratre Deodato Namurano Capucino, sub V. adm. P. Antonio Athensi lectore meritissimo ».

[P. Antonii Athensis, O. M. Cap., Cursus theol. scholaris].

Incip. In nomine D. N. I. C. prosequitur cursus theologiae Moralis. Tractatus quintus. De iure et iustitia. Celebrem non solum... *des.* poeniteat confessarius et poenitentem in sua bona fide relinquet.

XIII. — Cod. n. 66. Chart., mill. 162×111, ff. 144. Ab unico amanuensi, clerico scilicet Fratre Minore, conscriptus circa ann. 1700. In fol. insititio haec notula: « Theologia speculativa V. P. Egidii Givetensis, ex guard. qui obiit in conventu Sonegiensi 12^a^ maii anni 1719 ».

[P. Egidii Givet, O. F. M., Cursus theol. scholaris].

Incip. In nomine Dom.... Elapsis spatiis limitum scientiae naturalis, aggredimur studium... *des.* epiphanum, qui corripit eos qui statuas ho-



minum mortuorum ita adorabant, ut eisdem sacrificium offerrent. *Rubr.* Laus Iesu, Mariae, Francisco, toties quoties te aperio vel claudo.

XIV. — Cod. n. 182. Chart., mill. 180×147, ff. 196 (28 alba exstant), unica manu, sat diligenti conscriptus, in fine saec. XVIIi. Fol. 1r haec leguntur: « Bibliothecae fratrum Minorum Conventualium Dionantensium adscripsit R. P. Ludovicus Lipsin (1), in alma universitate Montis-Pessulani sacrae theologiae Doctor ».

[Cursus scholaris Theol. ad mentem Scoti].

Incip. Tractatus primus. De Deo uno... *des.* coronato nobilitatur opus, ad maiorem Dei, S. Francisci gloriam. = Volumen verisimiliter continet lectiones P. Antonii Blavier, O. M. Conv., quas legit clericis Leodii (2).

XV. — Cod. n. 184. Chart., mill. 198×165. ff. 432. Nitide unica manu exaratus, medio saec. XVIIIi.

[Commentarius lib. 2i et 3i Sentent. ad mentem Io. Duns Scoti].

Rubr. Laudetur I. C. Liber secundus sentent. ad mentem Scoti Doctoris Subtilis. — *Incip prol.* Postquam Scotus absolvit suum librum in primum... *Incip.* Tract. 1. De creatione mundi, angelorum et hominum. Disputatio... Circa opus primae diei sic sonat... *des.* vel alio modo non spirituali. (f. 298r) *Rubr.* Praefatio in librum tertium Sententiarum. *Incip.* Tractatus Primus De Verbi incarnatione. Hic liber a Doctoribus... *des.* et charitate, quas Dominus Deus in nobis augere dignetur. — *Rubr.* 10 Augusti finitus.

XVI. — Cod. n. 77. Papyr., mill. 189×114, ff. 134 (praeter 2 et 1 ad custodiam); nitide exaratus saec. XVIIIo (circa 1734). Provenit codex e biblioth. Conventus Dionantensis Capuccinorum; et aliquando usui fuit P. Stephano ex Hemptinnes.

[P. Elzearii Vervii, O. M. Cap., Cursus theol. scholaris].

Rubr. In nomine D. N. I. C. Incipit theologia Capucino-seraphica. Praefatio... *Incip.* Tractatus primus. De Deo ut uno. Deum esse... *des.* Die quo in ecclesia cantatur, o clavis. Theologiae speculativae adest finis. *Rubr.* Finis theol. specul. capucino-seraphicae, quam scribebat Frater Philippus Dinantensis, Sacerdos Capucinus indignus, in conventu S. Michaelis fratrum Min. Capucinorum Leodiensi, sub Patre Elzeario Vervio, lectore anno Dom. 1734.

XVII. — Cod. n. 97. Papyr. mill. 220×158, ff. 109. Non sine cura, ab unico amanuensi mediante saec. XVIII exaratus. Videtur pertinuisse conventui Dionantensi O. M. Cap.

[Eiusdem P. Elzearii, O. M. Cap., Cursus theologicus].

Rubr. In nomine D. N. I. C. Incipit theologia capucino-seraphica. Crastina festivitas, dilectissimi... *Incip.* Quaestio proaemialis. De natura, qualitate... — *des.* Haec sufficiant de Deo uno, et trino, creatore, redemptore, ... — *Rubr.* VIgILIa DIVI thoMae aquInatIs — speCVLatIVae est eXItVs (= 1744). — Fr. Adolphus Episcopi, Montanus, capucinus, studiosus theologus sub Rev. Patre Elzeario a Vervio definitore

(1) Cfr. AFH V, 749 sq. (2) Cf. l. c.



actuali, nec non meritissimo ac vigilantissimo lectore 1748. = Videtur hic codex de verbo ad verbum lectiones Patris Elzearii exhibere.

XVIII. — Cod. n. 40. Chart., mill. 151×95, ff. 65. Accurate conscriptus post medians saec. XVIII. Provenit ex biblioth. Conventus Capuc. in Dinant.

[Vade-mecum tironum Ordinis Capuccinorum].

Rubr. Absit gloriari nisi in Cruce. Au nom de N. S. I. C. commence l'Exercice de la Journée d'un parfait Capucin... *Incip.* De l'office. Dès le moment qu'on m'éveille... *Rubr.* Prières et méditations dévotes pour l'entretien d'un religieux qui veut tendre à la perfection, à l'usage du P. Emmanuel de Vervier, Cap. indigne. = Libellus totius diei exhibet exercitia novitiorum apud Capuccinos belgicos.

XIX. — Cod. n. 40. (in fol.). Papyr., mill. 235×188, ff. 211. Medio saec. XVIII sat diligenter descripsit Frater studiosus Martinianus ex Charneux.

[P. Gerardi Eupensis, O. Cap., Cursus theol. scholaris].

Rubr. In N. D. I. C. Incipiunt compendiosi tractatus in universam theologiam iuxta inconcussa Bonaventurae ac Thomae inclytorum Theologiae coriphaeorum dogmata in conventu nostro Namurcensi FF. Minorum Capucinorum S. Francisci sub Reverendo P. Gerardo Eupensi bis lectore, scripti a Fr. Martiniano ex Charneux, hac 20 Iulii anno 1746. — *Incip.* Elapsis philosophiae spatiis limites scientiae... — *Rubr.* Errare potero, haereticus non ero. Anno 1748, 18 martii. = Tomus II (**num. 40 bis**) ff. 274; eiusdem mensurae et scripturae. *Rubr.* In nomine I. C. Incipit tractatus sextus. De Sacramentis et censuris... *des.* Index rerum.

XX. — Cod. n. 27. Chart., mill. 350×186, ff. 281. Altera medietate s. XVIII[i] conscriptus a P. Norberto, O. Cap. Est manuscriptum miscellaneum, prout refert Titulus.

[P. Norberti Dionantensis, O. M. Cap., Miscellanea historica].

Rubr. Soit loué I. C. Courtes remarques sur l'Ecriture et l'histoire sainte, depuis la creation du monde jusqu'à I. C., au simple usage de Frère Norbert de Dinant, capucin jubilair, qui a colligé ces remarques des divers autheurs orthodoxes. — *Incip.* Epigrammata Divi Prosperi. De lectione Scripturae sacrae ac de multis aliis rebus... *des.* Rimes sacrés sur divers sujets... = Tomus II (**num. 27 bis**) ff. 183. *Rubr.* Abbregé de l'histoire ecclesiastique depuis la naissance de I. C. jusqu'à nos jours. = *Incip.* Les principaux mystères et les plus notables... *des.* haec tria: mens hilaris, requies, moderata dieta. — Chronica terminatur anno 1746.

Namurci.

P. Hugolinus Lippens, O. F. M.





BIBLIOGRAPHIA

Balthasar Karl, Dr. P., Priester der sächsischen Franziskanerprovinz. — *Geschichte des Armutsstreites im Franziskanerorden bis zum Konzil von Vienne.* — *(Vorreformationsgeschichtliche Forschungen* hsg. von HEINRICH FINKE, Vol. VI). — Münster i. W., Aschendorffsche Verlagsbuchhandlung, 1911. — In-8° pp IX, 284. (M. 7,50).

Quaestionem paupertatis in Ordine Minorum, scopo practico et theoretico saepissime agitatam, P. Balthasar iterum hocce libro serio discutit intra spatium primi centenarii ab Ordinis fundatione. Ea vero quaestio, cum ipsa Ordinis fundamenta atque intimam naturam respiciat, quinimo etiam actionem eius externam in non paucis regulet atque determinet, tractari vix potest, quin reliqua Ordinis fata cognoscantur atque tractentur. A. proinde recte thema sibi praefixum largius tractandum esse censuit, ita ut opus eius historia interna Ordinis intra a. 1209-1310, speciali ad paupertatem habito respectu, iuste dici queat. Magna diligentia congessit undique A., discipulus clmi Professoris Finke, quae ad rem pertinent, atque oculo critico documenta officialia (Regulas, bullas pontificias, Constitutiones Generales etc.) et textus S. Francisci sociorumque Vitarum necnon Chronicarum scrutatus est. Ex fontibus adhibitis patet A. non uni vel alii favere fractioni litigantium, sed exponere historice ea quae evenerunt et quibus de causis evenerint, utrobique distribuens umbram et lucem, uti ex fontibus critice examinatis veritas et iustitia postulare videbantur.

Novem capitulis universa absolvitur materia, quae ad quatuor etiam puncta principaliora revocari posset: Cap. I: *Ideale* S. Francisci de paupertate; cap. II: Conceptus et praxis paupertatis apud Communitatem; cap. III-VIII: Historia Fratrum pro paupertate zelantium; cap. IX: Conflictus utriusque partis ad Curiam pontificiam delatus. In cap. I igitur, 1-27, conceptus *(ideale)* S. Francisci de paupertate variis sub aspectibus tractatur: pars, quam ipsa in Fundatoris conversione habuit, discutitur, Regulaeque successivae et S. Francisci obiter dicta analysi submittuntur. A. cum Ehrle aliisque recentioribus altissimum S. Francisci *ideale* in praxi pro magno Ordine et diuturno temporis spatio plenae executioni mandari vix possibile opinatur, unde dissidium inevitabile. Evolutio in paupertatis conceptu et observantia apud Ordinis Communitatem usque ad a. 1310 argumentum est prolixi cap. II, 27-102, quo ea in medium afferuntur, quae ad remissiorem modum vivendi quoad paupertatem aliaque connexa, uti studia, exemptiones, curam animarum etc. conduxerunt. Fontes potissimi sunt, praeter Ordinis Constitutiones, bullae pontificiae, tum momenti generalis universum Ordinem respicientes, vitamque Fratrum regulantes, tum particulares personas vel loca pri-

vata tangentes, saepe vero, praesertim si crebrius repetuntur, valorem typicum habentes. Indicatur S. Bonaventurae, qui moderatiorem et saniorem Ordinis partem repraesentat, salutaris his in rebus auctoritas; demum ulteriora privilegia concessionesque post mortem Doctoris Seraphici obtenta, et Statuta Generalia a. 1292 in examen revocantur.

Historia Spiritualium, uti consentaneum est, longe maiorem libri partem obtinet, et quidem in cap. III, 116-132, eorum fata narrantur usque ad a. 1274, seu usque ad conflictum apertum utriusque partis. Dicitur de modo se habendi ad paupertatem etc. et ad eius asseclas Fratres zelantes, Ministrorum Generalium Fr. Eliae, Alberti de Pisa, Haymonis de Faversham, Crescentii ab Aesio, Iohannis a Parma et S. Bonaventurae. Funestos, quos Ioachimismus in quaestione paupertatis habuit, effectus, A. cap. IV, 132-154, describit, qui Ioachimismus quinto saec. XIII decennio in coetum zelantium irrepsit, cuique attribuendus est infelix totius quaestionis exitus; speciatim agitur, 146-154, de P. I. Olivi Postilla in Apocalypsim, de eiusque in Ubertinum Casalensem influxu. De eiusdem P. I. Olivi doctrina circa usum pauperem, de eius repressione et de Spiritualium proprie dictorum in Provincia Provinciae primordiis agitur in cap. V, 155-174. De origine Spiritualium in Marchia Anconitana a. 1274, de eorum passionibus et a Gaufrido Min. Gen. obtenta liberatione, in Armeniam missione et ab Ordine separatione a Coelestino V concessa a. 1294, habes in cap. VI, 174-189. De eorum ulterioribus fatis sub Bonifatio VIII, de depositione Min. Gen. Gaufridi, de Ubertino Casalensi et Iacobo Tudertino *(Iacopone)* in cap. VII, 189-224, agitur. Spiritualium relationes ad sectas quasdam illius temporis, ut Apostolicorum, Dulcinistarum, Spiritus libertatis, cap. VIII, 225-247, examinantur, et protectores describuntur, quos Spirituales intra ecclesiam invenerunt, uti Arnaldum a Villanova et quosdam Principes ex dynastiis Aragonensium et Andegavensium, in Sicilia, Maiorica, Neapoli sedentium, Cardinales quoque Iacobum de Columna et Neapoleonem Ursinum. In cap. finali IX, 247-274, Spiritualium Italiae historia a tempore post Bonifatii VIII mortem perducitur usque ad initium magnae illius apud Curiam pontificiam inter Communitatem et Spirituales habitae disceptationis, cuius duplex occasio et prima phasis (1309-10) usque ad mortem Fr. Gaufridi narratur, quacum opus quasi abrupte desinit.

In libro P. Balthasar maxima cura scripto vix aliquid maioris momenti correctione dignum invenimus; vere historia critica litis de paupertate in Ordine Minorum dicenda est. Paucas quasdam secundarii valoris observationes cl. A. nobis concedat.

Forsan ex natura et limite thematis propositi A. ad quaestionem theoreticam de paupertate, quae saec. XIII haud secus ac saec. XIV agitata est, non sat attendit. Non tamen erat praetereundum, quod etiam auctores Communitatis altissimam praedicant FF. Min. paupertatem et maximam perfectionem, sed id faciunt ad exaltationem Ordinis imprimis contra Doctores Parisienses et deinde contra alios Ordines, praesertim Praedicatores; cf. documentum ex anno 1269 editum a Little, *The Grey Friars in Oxford,* 320-35 et notam ap. AFH III, 685 n. 5; IV, 151; V, 21. De Crescentio ab Aesio, p. 119, dicta pauciora et minus exacta sunt. Imprimis ipse non fuerat Minister Marchiae Tarvisinae, sed Anconitanae. Deinde A. neglexit duas parvas monographias, quas de eo habemus, quarum una utique sat rara est, scil. Melchiorri, O. F. M., *Biografia di Fr. Crescenzio de' Conti Grizi di Iesi dall' anno*

1244 al 1247 sesto Generale Ministro de' Francescani, Roma 1868, pp. 34, 8°; et Sabatier, *Fr. Crescentius de Iesi et son Généralat,* apud *Opuscules de critique historique,* I, Paris 1903, 109-134.

Angelum Clarenum fontem esse principalem pseudoprophetiarum S. Francisci, p. 143, alibi refellimus; cf. *Expos. Reg. auctore Fr. A. Clareno,* p. LXX, nota 1; ibidem, p. LXVI-LXX, habes eorum textuum historicam evolutionem. Dictis de Hugone de Digna († 1255 vel 1256), p. 143, nunc adiungendus est eius tractatus *De finibus paupertatis,* ed. Cl. Florovsky ap. AFH V, 277-90, quo tractatu primum Spiritualium doctrina circa Regulam Frat. Min. exponitur.

Inter Fratrum Minorum sedes Romae antiquissimas esse praeter S. Franciscum ad Ripam etiam S. Iohannem in Olio (seu ante Portam Latinam) p. 41, n. 4, falsum est. Apud ecclesiam S. Iohannis ante Portam Latinam Spirituales initio saec. XIV fuisse testatur Angelus Clarenus, ALKG I, 538, sed nullum vestigium apparet testimonii ibi conventum fuisse Frat. Min. saec. XIII. Praeter ecclesiam S. Francisci ad Ripam, Fratres habitabant ecclesiam SS. Crispini et Crispiniani trans Tiberim, circa medium saec. XIII ab eis derelictam, *Bull. Franc.* I, 521s., et post a. 1870 destructam; cf. Armellini, *Le Chiese di Roma,* ed. 2, Roma 1891, 674. Demum in literatura thematis omittendum non erat opusculum critice editum: D. Saville Muzzey, *Were the Spiritual Franciscans Montanist heretics?,* Chicago 1908, extractum ex *Journal of Theology,* vol. XII, 1908, n. 3 et 4.

Concludendo non possumus quin doleamus cl. A., cum quaestio paupertatis contra Spirituales ab auctoritate ecclesiastica iamiam decidenda erat, librum abrupisse. Maxime cupimus ut A. historiam hanc ulterius prosequatur usque ad saec. XV, seu usque ad Observantiae Regularis ubique introductionem, quacum lis illa per duo saecula agitata logice terminatur.

P. Livarius Oliger, O. F. M.

1. **Nolan, Edm., & Hirsch, S. A.** — *The Greek Grammar of Roger Bacon and a Fragment of his Hebrew Grammar. Edited from the MSS. with Introduction and Notes.* — Cambridge, at the University Press, 1902; in-8°, LXXVI, 212 pp. — (12 sh.).
2. **Steele, Robert.** — *Opera hactenus inedita Rogeri Baconi. Fasc. I: Metaphysica Fr. Rogeri Ordinis Fratrum Minorum: De Viciis contractis in studio Theologie, omnia quae supersunt nunc primum edidit.* — London, Alex. Moring, 32 George Str., Hannover Square, W. [1905]; in-8°, VIII, 56 pp. — (5 sh. 6 d.).
3. **Idem.** — *Opera hact. in. R. B. Fasc. II: Liber primus Communium Naturalium Fratris Rogeri, partes prima et secunda, edidit.* — Oxonii, E typographeo Clarendoniano, [Henry Frowde, M. A., Publisher to the University of Oxford, London etc.], [1910]; in-8°, XVI, 137 pp. — (10 sh. 6 d.).
4. **Idem.** — *Op. hact. in. R. B. Fasc. III: Liber Communium Naturalium Fr. Rogeri, partes tertia et quarta,*



edidit. — Ibidem, MCMXI; in-8°, IV, 137-308. — (10 sh. 6 d.).

5. **Duhem, Pierre.** — *Un Fragment inédit de l'Opus Tertium de Roger Bacon précédé d'une étude sur ce Fragment.* — Ad Claras Aquas (Quaracchi), ex typ. Coll. S. Bonaventurae, 1909; in-8°, 199 pp. — (3 Fr.).
6. **Rashdall, H. & Little, A. G.** — *Fratris Rogeri Bacon Compendium Studii Theologiae ed.* **H. Rashdall,** *una cum appendice: De operibus Rogeri Bacon, edita per* **A. G. Little.** — Aberdoniae, typis academicis, MCMXI; in-8°, 118. pp. — (10 sh. 6 d.). — *British Society of Franciscan Studies,* vol. III.
7. **Little, A. G.** — *Part of the Opus Tertium of Roger Bacon, including a Fragment now printed for the first time.* Aberdeen, the University Press, 1912; in-8°, XLVIII, 92 pp. — (10 sh. 6 d.). — *British Society of Franciscan Studies,* vol. IV.
8. **Vogl, Sebast.** — *Die Physik Roger Bacos. (13. Jahrhundert). Inaugural-Dissertation der philos. Fakultät der Universität Erlangen.* — Erlangen, Junge & Sohn, 1906; in-8°, 106 pp. — (2 Mark).
9. **Hoever, Hugo,** Dr. P., S. O. Cist. — *Roger Bacons Hylomorphismus als Grundlage seiner Philosophischen Anschauungen. Mit unedirten Texten aus den Communia Naturalium Fr. Rogeri Bacon und 6 erläuternden Tabellen.* -- Limburg a. d. Lahn, Gebrüder Steffen, 1912; in-8° VIII, 264 pp. — (5 Mark).

1. Grammaticae graecae Fr. Rogeri Bacon an. 1900 partes quasdam ediderat I. L. Heiberg, *Die griechische Grammatik Roger Bacons,* ap. *Byzantinische Zeitschrift,* X, Leipzig 1900, 479-91, hinc inde e MS. Oxoniensi sumptas (480-9) subnotando locos parallelos aliorum operum Rogeri, recte iudicans hanc grammaticam partem fuisse Scripti Principalis Fr. Rogeri (490). — Grammaticam mox postea ediderunt Edm. Nolan et S. A. Hirsch; huius est Introductio p. XIII-LXV et editio fragmenti *Grammaticae hebraicae* (p. 202-8), quod adest in MS. *Ff. 6. 13* Bibl. Univ. Cantabrigae; illius vero reliqua huius voluminis. Cl. Hirsch de Rogero hebraista olim egerat in commentatione *Early English Hebraists. Roger Bacon and his predecessors,* ap. *Jewish Quarterly Review,* 1899, XII, 34ss., quam diss. illinc recusit ap. S. A. Hirsch, *A book of essays,* London 1905, 1-72. Grammaticalia habes quoque ap. Baconis, *Opus Min.,* 350ss., *Op. Mai.* I, 74ss., III, 88ss.

In eodem MS. *Ff. 6. 13* habetur compendiolum quoddam *grammaticae graecae* Fr. Rogeri, quod editur 185-196. — Grammatica graeca (maior) quae editur p. 1-182, habetur in *MS. 148* Colleg. Corporis Christi Oxonii, membran., saec. XV, palimpsesto, quod describitur LXV-LXX. — MS. 47 Colleg. Univ. Oxonii non est nisi copia mutila MS[i] praecitati, e qua copia MS. Duacense (Douai) *691* deinde promanavit; quae duo MSS. saec. XVI exemplata fuerunt. MS.



autem Musaei Britan. Lond. *Cotton. Jul. F. VIII* tantummodo folium unicum grammaticae continet. — Grammatica graeca non moderna utique methodo composita est, et ubique ad voces graecas in latinum idioma (speciatim in liturgiam) assumptas, respicit, ut ea interpretetur, quomodo accentuentur explicet, et quaenam vocales corripiantur, quaenam producantur, etc., etc. Usui ergo practico Latinorum grammatica haec adaptata fuit. De qua re, deque Rogeri sententiis optimis circa linguas et res biblicas hoc in AFH disseruit P. Theoph. Witzel, III, 1-22; 185-213; ibi quoque de Fr. Bacone bibliographiam copiosam habes: III, 9-14.

In praefatione primum Bacon auctor demonstratur utriusque grammaticae hic editae (XIII-XXXVII), deinde disseritur de notitia linguae graecae apud Anglos medii aevi, ubi etiam de Rob. Grossatesta (LIII-LVIII), de Fr. Guill. de Mara, O. F. M. (LVIIIs.); pag. XXII de Fr. Britone, O. F. M., quem in genere Bacon dure increpat. Postea expanduntur quaedam de ipsa grammatica (LXV-LXXV).

In grammaticae principio, postquam Bacon dixit de litteris alphabeti (3-71), de diphthongis, accentibus etc., Pater Noster, Ave Maria, Symbolum Nicaenum, Magnificat, Canticum Simeonis et Zachariae (17-24) graece, latinis litteris transcriptis, atque latine verbotenus omnia versa profert. Hic ithacismus clare apparet; cf. AFH III, 189s. Mirum autem, quod in Symbolo legat: « ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον »: « ex patre procedentem »; omittens scil. « filioque ». Haec formula certe insinuat Baconem grammatica quadam byzantina usum esse, uti Heiberg, l. c. X, 490s., induxerat, id quod Hirsch, LXss. tamen denuo negavit, unde Heiberg editionem grammaticae huius apud idem periodicum: *Byzant. Zeitschr.*, XII, 1903, 343-7, in crisim severam vocans, hoc iterum induxit. Grammatici byzantini adhibebant et ipsi antiquas grammaticas, v. gr. Theodosii Alexand., *Canones,* ed. A. Hilgard, Lipsiae 1889 (*Grammatici graeci,* IV, 1). Plures quoque auctores Latinos ipse Bacon citat (28ss. 108ss.). — Caeterum in recensione praeallegata cl. Heiberg, plura congerit quae male intellecta, maleque reddita in hac editione non omnino laudanda, grammaticae graecae leguntur. — P. 11s. Bacon de contractionibus seu siglis graecis tractat; p. 78 de contractionibus nominum sacrorum χρς, ιης. P. 106, cap. V, l. 12 pro: « *Tetra sillaba et ultima breviat usus, ut Athalia* » etc., legendum: « *Tetrasyllaba et ultra* »; p. 180 not. 1 ουκλ agitur de siglo pro οὐκ ἔστιν: Heiberg, l. c. 344; p. 174 l. 1: κανόνισον legendum pro κανονίσοη, etc. etc., Quomodo Bacon *Omnes* nomen proprium graecum existimaverit (LXXIV, 40, 95), iam apparuit ap. Priscianum, *Inst. Grammat.*, ed. Hertz, I, 4, [Keil, *Grammatici Latini,* II], ubi versus ille Callimachi: τῶς μὲν ὁ Μνησάρχειος ἔφη ξένος ὧδε συναινῶ in codice quodam (L), qui a monachis hibernicis glossatus fuit, sic verba illa (falso divisa habentur: TOCMEN OMNHS APXEIOS etc., supra quae glossator valde imperitus scripsit: « *proprium mneticus antiquus* »; cf. Heiberg, l. c. 343. Huiusmodi ergo MS. Bacon ad manus habuisse videtur.

2. Rogeri Baconis opera plura nondum edita suscepit vulganda cl. ROB. STEELE, eorumque fasciculus I inscribitur *Metaphysica: De viciis contractis in studio theologiae.* Tituli altera pars, quae operis generalioris sectionem, hic primo typis cusam, insinuat, tenori opusculi — caeterum mutili in fine — reapse correspondet. Tenor autem operis magni, *De Metaphysica* coniecturari tantummodo hactenus potest; iuxta ea quae Rogerus in *Com. natural.* l. I, c. 1, [c. infra n. 3] innuit, *Metaphysica*



et *Moralis* volumen IV[m] *Scripti Principalis* efformare debebant. — « Intentio principalis (huius operis, ait Baco) est innuere vobis [sic legas pro *nobis*] vicia studii theologici, que contracta sunt ex curiositate philosophie, cum remediis istorum ». Quae vitia sunt: 1) Philosophorum contradictiones continuae; 2) omnium occupatio circa dubitationes et opiniones; 3) « non est aliquis modernorum qui aliquam partem sapientie dignam... sciat supplere per inventionem, nec ab alia lingua transferre », i. e. investigationes antiquorum nimis negliguntur; 4) moderni item negligunt veritates divinas, « iam a 1250 annis » complete revelatas, illustrare doctrinis antiquorum philosophorum, qui tamen plurimas veritates noverant (6ss.). Hic Baco erudite, sed et plurimum exaggerando, veritates illas recenset: scil. SSmam Trinitatem (8), Messiam (9), creationem mundi ex nihilo (10-2), Angelos (12-4), aeternam beatitudinem (14-7), vitia et virtutes (18-21), moralem philosophiam (21ss.), necessitatem revelationis divinae (36ss.) per Christum (39ss.), Astronomos iam probasse religionem christianam optimam fore (42-52). Hic autem, media in re, tractatus mutilus in MS. abrupte cessat. — In appendice editor ex aliis Baconis operibus tum editis, tum ineditis, plures allusiones ad Metaphysicam collegit (53-6); in praefatione locos parallelos huius operis cum aliis breviter indigitat (V).

Pars operis *De vitiis* hic primum vulgata, nititur in solo MS. *lat. 7440 Bibliothecae Nation. Parisiensis.* Editor strictissime MS[o] inhaerere studuit, unde saepius *c* pro *t*, scribit, v. gr. *quesciones* pro *questiones* habet, quae formae magis in notas ablegandae erant, immo et in praefatione enumerari commode poterant, deinde in textu ipso negligendae. Sed saepius minime MS[i] formas contractas assecutus est editor, unde lector ubique falsis lectionibus offenditur. Si vero adeo revera deficiebat MS., editor illud corrigere debuit, lectiones plane erroneas in adnotationes reiiciens. P. 10 l. 9 legas *12* pro *72*; p. 11, l. 28 *communis opinio* pro *concepcio*; p. 14 l. 9 *divitiis* pro *diciis*; 16 l. 7 *imitati* pro *mutari*; etc., etc. Alias huiusmodi lectiones erroneas recensuimus plura ap. *Etudes Francisc.*, XVII, 545-7. — Plurimi auctores a Bacone allegantur, in quos inveniendos editor longe plus laboris impendere potuit. Locus Ciceronis (p. 29) non legitur in *Quaest. Tuscul.* sed apud *De finibus bon. et mal.* V, 5 (11). P. 9 occasione commentarii [Pseudo] Boethii inepte remittitur ad commentarium S. Thomae Aquinatis. Caeterum istud opus non iam S. Thomae ascribendum est; cf. I. Fr. Bern. M. De Rubeis, *De gestis et scriptis ac doctrina S. Thomae Aq.*, Venetiis 1750, Diss. VIII, c. 4, p. 95; quod opus recusum est ap. S. *Thomae Aq., Opera*, I, Romae 1882, p. CXXXVIs. Mandonnet, *Des écrits authentiques de S. Thomas d'Aquin*, Fribourg 1910, 152. Baco hic Platonem in sepulchro inventum fuisse narrat et « super eius pectus laminam auream, in qua scriptum fuit: Credo in Christum nasciturum de virgine » etc. (9). Addimus Baconem hoc legisse ap. *Chronicam Richardi Cluniacensis*, quam citat p. 45; ex qua in Chronicon Martini Poloni vulgatissimum transiit; cf. hoc ap. MGH SS XXII (1872) 461, ed L. Weiland (cf. l. c. 392; et ap. v. gr. *Neues Archiv*, XII, 44ss.). Legitur autem haec fabula ap. Zonaram, Migne, P. Gr. 134, 1342s.; cf. quoque Th. Reinach, *Un intrus byzantin dans le Panthéon hellénique: Le faux Dieu Kyropalates*, ap. *Byzantinische Zeitschrift*, t. IX, fasc. 1. — P. 21 l. 30ss. recte allegatus est Averoes in *Ethic.*, X, c. 11 (al. 9), et p. 29 l. 21ss. ad eundem locum remittendus erat lector: cf. *Aristotelis opera cum Averrois paraphrasibus*, III, Venetiis 1550, f. 79ra-b. Quoad locum memorabilem p. 29 l. 12ss.

«*neque complete habentur libri Aristotelis qui immediate sequuntur 10 libros Ethice*» remittendus fuit ad p. 22 l. 6s.: «*quoniam in 10 libris Ethice qui continent primam partem civilis scientie*». In editione citata anni 1550 continetur versio Hermanni Alemanni facta 1240; cf. l. c. 79rb. — Locus Senecae p. 18 l. 20 videtur esse ille Epist. 22, n. 12: *peiores morimur quam nascimur*, unde in editione *peius* pro *prius* legas.

Metaphysicae saltem pars hic vulgata pro papa Clemente IV (1265-8) composita esse apparet ex ipsius principio [cf. 562, l. 1sqq.] et ex dictis p. 3: «*Sed propter rerum inestimabilem difficultatem... et propter multitudinem et pondus occupationum non potui citius transmittere quod voluistis, nec adhuc complere possum in particulari et in propria disciplina*» etc. Quae omnino cum aliis eadem occasione saepissime a Bacone repetitis quadrant. -- Methodus vero quam hoc in opusculo Bacon sequitur, illam Apologetarum priorum saeculorum Christianismi redolet.

3. Fasciculus secundus a cl. R. STEELE editus *Librum I Communium Naturalium* Fr. Rog. Baconis continet, qui tractatus volumen III *Operis principalis* (forsan) efformat. Plurima in eo auctor pertractat de ordine, numero, modo (methodo) scientiarum naturalium (1-15), de specierum seu imaginum (radiorum) agentibus, multiplicatione fractioneque iuxta lineas fractas etc., iuxta figuras circulares et pyramidales, etc., de earum actione geometrica (16-49), etc. Pars altera agit de communi omnium compositione ex parte formae et materiae (60-7), cui differentiae specificae accedunt (57-64), de materia in generatione substantiae (65ss.), de forma (72-7), de privatione et potentiis materie et rationibus seminalibus (77ss.), etc., de universalibus (72ss.), de causa individuationis (98ss.), de natura et modis eius (108-20), demum de causis naturalibus (121-37). Quae omnia philosophice evolvuntur, in commodum et philosophorum et theologorum, uti auctor pluries protestatur. Plurimi philosophi graeci et arabes ad probandum afferuntur, quorum locos editor hinc longe diligentius adnotavit, harum rerum, textusque tersius edendi iam peritior effectus. Quae peritia usu crevit etiam in fasciculo tertio [infra n. **4**], unde laudes quoque praedictae gradatim augendae veniunt. Longe saepius quam alii, Aristoteles citatur a Bacone, conquerenti etiam hic de erroneis versionibus operum Stagyritae (11s., 102s., etc.).

Textus constitutus est ope trium MSS., scil. M = Mazarin. 3756, qui saeculo XV medio exemplatus est; F = cod. Musaei Britannici 7 *F VII*, qui circa an. 1290 scriptus est; D = Bodleian. *Digby 70*, qui paulo post an. 1400 descriptus fuit. D cum F sat stricte cohaeret, quin D ex F promanaverit. In F rubricae marginales sunt, quas circa an. 1320 additas fuisse editor censet (p. III s.). Principium operis et aliqui loci in MSS. inter se differunt (1, 13, 35, 65, 78), unde editor duas «editiones» seu recensiones *Communium Naturalium* distinguit (13, 47). — Divisio capitulorum in MSS. accurate perfecta non fuit. — In adnotationibus editor saepe ad locos parallelos aliorum Baconis scriptorum apte remisit lectorem — P. 36ss. circa multiplicationem specierum *sphericam* etc. Baco contraria proponit illis quae in *Op. Mai.*, I, 118ss. disseruerat. Baco ipse tractatum suum *De Communibus Mathematicae* citat (1, 3, 5, etc.). De scientiis naturalibus «*magnum* (ait) *composui tractatum in Metaphysica*» (9; cf. 104), hic vero compendiose ea colligere voluit, quae circa scientias illas necessaria sunt (10, 13). «Destructio harum opinionum... patet in tractatu meo *De Speciebus* metaphysico (38)»; «de principio efficiente scripsi satis in tractatibus *De Speciebus et virtutibus agentium naturalium*». Hic editor lectorem



remittere poterat ad p. 16 sqq. huius fasciculi. P. 13 Baco dicit: « Cupio tamen tractatum compendiosum *De Perspectiva* componere, quia hec est pulchior aliis » etc.; unde editor inducit *Communia Nat.* composita fuisse ante *Opus Maius,* cum F, quod recensionem postmodum mutatam illorum praebet, hunc locum omittat. P. 105 l. 29 dicit: « quia multos sermones et longos facit (Avicenna) de ista materia in *Methaphysica* et in *Logicalibus,* ideo supersedendum est nunc, donec fiant *Scripta principalia....* ». — P. 11: « Sed duo (ait) moderni gloriosi, sicut non audiverunt scientias de quibus affirmant, sic nec alias nec legerunt nec exercitati sunt, ut apparet ex eorum scriptis »; cf. 12 l. 20 ss.). Quinam illi fuerint auctor non inquisivit; cf. infra n. **9.** — P. 12 l. 13 legas *nunc,* cum F D (sic), pro *tunc;* p. 13 l. 5 *scientiam* pro *notitiam* etc. Plures auctoritates a Bacone allatae inquirendae remanent. V. gr. ad p. 104, l. 25 ss. cf. Aristot., *Metaph.* VII, (II) c. 5: Arist.-Averroes, *Opera,* VIII. Venet. 1553, 76 vb. etc.

4. Tertius fasciculus a cl. R. STEELE typis editus *partes III et IV Communium Naturalium* Rogeri praebet. Qui in parte III diffuse de motu, quiete, instanti, aevo, loco, vacuo etc. tractat; in parte autem IV de rerum productione et generatione, de generatione elementorum. mixtorum, brutorum etc., partium animae, de generatione monstruosa etc. (240-308). — Fasciculus iste eodem modo conscriptus et editus est ac Fasciculus II; innititur eisdem MSS., quibus editor tamen addidit lectiones quasdam parallelas *Operis Tertii* (signat. B), et aliorum codicum, partes operis huius continentium, scil. Musaei Britan. *add. 8786* (sign. S) et Bodleianae *Digby 190* (sign. P). Editor opera in S et P contenta conscripta fuisse opinatur ante *Communia Naturalium.* Utrumque MS. plura continet quae postmodum *Communibus Naturalium* inserta non fuerunt, atque saepius a forma ibi exhibita discrepant. S prior videtur quam P [cf. fasc. II, p. 57 l. 3 et 7]; sed F (i. e. recensio prior) magis ad S et P accedit quam ad M (cf. p. III s.). Loci communes inter *Opus Tertium* et *Communia Natural.* habentur pag. 173-9, 225-39, 275-308, e quibus editor 2^m et 3^m scriptos esse censet pro *Opere Tertio,* unde Bacon eos in *Communia Nat.* postea transsumpserit. — Editor claro P. Duhem, pro fragmento ab eo detecto congratulans (cf. n. **5**), se plane a reconstructione *Operis Tertii* a Duhem proposita, dissentire brevius adnotat (IV). Quam rem ergo alias fusius eum explicaturum fore confidimus. Pluribus aliis in locis, ubi Baco prius iam exposita expresse tangit, editor locos istos subnotare debuit (163. 256 etc.), uti aliquando fecit (271, 274 etc).

Malas antiquorum translationes etiam hoc in opere Bacon indefesse carpit (158, 165, 192, 208, 304 s.). Ipsius Aristotelis argumentationes spernit (211, 215 ss.), itemque Commentatorem, i. e. Averroem (158 ss.). P. 247 « Quorundam theologorum positio famosa Parisius » circa actionem substantiae spiritualis immobilis a Bacone exploditur. P. 281: « Omnes (dicit) ante 20 annos posuerunt, quod sola anima intellectiva detur (in generatione) et adhuc theologi de Anglia et omnes philosophantes hoc celebrant »; item p. 283. P. 284: « Sed capita vulgi philosophantium Parisius in alios errores nephandos cadunt... Ab annis decem inolevit opinio per hominem erroneum et famosum. quod ante animam rationalem presupponitur differentia substantialis specifica educta de potentia materie, que ponit hominem sub specie animalis » etc., sed de his « temporibus meis.... fuit manifestum, quod heretica fuerunt... » (286). Editor vero minime inquisivit, quis-



nam innovator ille fuerit. Cf. tamen infra **9.** — P. 282 aperte Baco negat libros *De spiritu et anima* et *De ecclesiasticis dogmatibus* esse Augustini, Gregorii vel alicuius auctoris famosi. Editor recte adnotavit librum illum esse Alcneri Claraevallensis: Migne, P. L. 40, 779-832, hunc vero Gennadii Massiliensis, P. L. 58, 979-1054.

Ex dictis p. 298: «*....omitto hec et multa, quia tempus non habeo. Nam in aliis considerationibus meis certificavi de his, sed non habeo scripturam ad presens. Et in tractatu alkimistico, quem divisim Iohannes habet ab operibus, tanguntur radices circa ista* » hic quoque liber *Comun. Nat.* ad Papam Clementem IV destinatus fuisse apparet.

5. Cum anno 1908 cl. P. Duhem, Professor p. o. universitatis Burdigalensis, in codice Bibliothecae Nat. Parisiensis *lat. 10264,* miscellaneo, astronomica praesertim continenti, sub nomine Alpetragii absconditum fragmentum *Operis Tertii* F. Rogeri Baconi detexisset, hoc in AFH I, 238-40, rem primum publice enuntiavit. Anno vero sequenti fragmentum ipsum evulgavit, praemissa de eo, necnon de ipsius relatione ad alia scripta Rogeri, praefatione erudita et diligenti. Ibi, MS. et novo textu accurato descriptis (6-22), inter Fragmentum novum et partem *Operis Tertii* vulgatam a S. I. Brewer, *Fr. Rogeri Bacon opera quaedam hactenus inedita*, ubi *Opus Tertium*, (pp. 1-310 et 75 capita complectitur) ostendit lacunam adhuc adesse (22-9). Insuper in novo MS. post tractatum *De Alkimia* (181-90) alius tract. *De rerum naturalium generatione* incipit, sed iam post tres paginas mutilus desinit, quia uti ait codicis scriba, scil. Arnaldus Bruxellensis: «*In exemplo sic caduco non repperi plus* ». Ergo *Opus Tertium* mutilum adhuc iacere concludit editor (29-35, 51-64). Accurate quoque investigatur quidnam novum fragmentum circa alia opera Rogeri Baconis prodat, quos locos commode collectos, docteque discussos habes p. 36 ss. — Fragmentum ipsum de Optica agit (79-96), de motibus corporum caelestium (98-137), de scientia experimentali (137-51), de quinta essentia (151-7), de scientia civili seu morali (157-79), de Alkimia (181-90); inseriturque tenor *Operis Minoris* (179-81). — Pro notitia accuratiore aliorum operum Rogeri, proque pluribus sententiis et experimentis, magni certe momenti hoc fragmentum aestimandum est. — Textus hic editus nititur in MS. citato; porro a p. 99-137 editor contulit quoque MS. *Mazarinum 3576*, quod *De communi naturalium* continet, et quo etiam R. Steele usus est; cf. n. **2, 3** et **4.** — P. 100 legendum esse videtur *circulus* pro *cingulus zodiaci;* p. 102 l. 17 *hee* pro *hec;* p. 106 l. 1 *totum* pro *totus;* l. 16 *assimilatur* pro *assimilantur;* p. 110 l. 11 *incurtantur* pro *incurtant;* 123 l. 14 *fides occulata* pro *occulator* etc. — Quodsi editor, talium rerum et auctorum peritissimus, singulos locos philosophorum et naturalistarum Graecorum, Arabumque, profuse a Rogero citatorum indicasset, maioris etiam utilitatis volumen doctum suum reddidisset. — P. 64-9 cl. D. primus agit de *Tractatu super Astrologiam* Fr. Bernardi de Virduno, O. M., in MSS. *lat. 7333 et 7334* Bibl. Nat. Paris. In eo Fr. Bernardus obiectiones Baconis contra systema Ptolemaei refutat. De hoc auctore agebatur tantum ap. *Hist. litt.,* XXI, 1847, 317-20.

6. Cl. H. Rashdall, usus codice *Reg. 7 F VII* Musaei Britannici [cf n. **3**], in vol. III collectionis *Societatis Britannicae studiis Franciscanis promovendis* primum publici iuris fecit Fr. Rog. Baconis *Compendium studii theologiae,* ultimum scil. opus Fr. Rogeri, quod an. 1292 conscripsit. Opus istud duas in partes Bacon divisit, in quarum altera omnes causas errandi in hoc studio excutit, in altera vero ve-

ritates singulas stabilire voluit, ad errores illos praecavendos. Postquam Bacon edisseruit scientiam aliis libere esse communicandam (25-8), causas errandi generaliores enuntiat, scil.: indignum auctoritatis cultum, consuetudinem diuturnam, demumque sensum multitudinis imperitae (28-34). Tunc statim ad secundam partem tractatus progreditur. « A quinquaginta annis theologi principaliter occupati sunt circa questiones, quod patet omnibus per tractatus et summas et onera equorum, a multis composita, non sic [vero] circa sacratissimum textum Dei » (34). Quae « tota occupatio questionum [?] theologorum est iam philosophica » (35). Unde Bacon breviter « de terminis et orationibus et argumento » (36) tractare vult, ad divagationes infinitas theologorum compescendas. Agit proinde de significatione generali (38-42), de significatione vocis (42-6), de connotatis etc. (46 ss.), de voce cadenti a sua significatione (59), de equivocis et analogicis (64-9). Ibi vero codex Londinensis mutilus desinit. Neque alterum quod novimus MS., scil. Oxoniense: *Coll. Univ. 47,* longius se protrahit, quippe quod e codice Londinensi exemplatum sit.

Quae superest pars, a celebri editore erudite publicata est. Bacon vage commemorat Aristotelis libros « *ante annum 1237* » Parisius prohibitos fuisse (33); « B. Edmundus Cantuariensis archiepiscopus primus legit Oxonie librum Elenchorum temporibus meis, et vidi magistrum Hugonem, qui primo legit librum *Posteriorum;* et verbum [recte: *librum*] eius conspexi ». Paucissimi Aristotelem plene noverunt immo « *fere nulli usque in hunc annum Domini 1292* » (34). De tali lectura sive opera B. Edmundi editor nihil adnotat; neque apparet quisnam magister ille Hugo fuerit. Fuitne forsan Hugo de Petragoris, O. M., de quo Sbaralea, *Supplem.*, 361; I² 383?

In introductione (1-24) editor *MS.* 7 *F VII* describit [cf. quoque ap. Steele, supra n. **6** l. 1sqq., et p. 563 l. 36s.] (1-2), deinde tenorem operis evulgandi accurate expandit (3-20), de eius momento quaedam subiungens (20-4), paucis ideas quasdam Rogeri, scil. de pluralitate formarum (20-1), de principio individuationis (21 s.), et realismum Scoti et nominalismum Occami apud Baconem iam inveniri insinuans (22-3), et data quaedam historica in hoc tractatu contenta indigitans. Quibus iam supra expresse relatis accedit locus ille increpatorius in Fr. Richardum Cornubiensem, O. F. M., quem olim iam hinc retulimus: AFH IV, 798.

In Appendice (71-112) cl. A. G. Little catalogum erudissimum tum Codicum, tum Editionum operum omnium Rogeri Baconis, necnon et earum partium et extractorum texuit, longe ampliorem quam illum quem viginti abhinc annis collegerat in libro suo celebri: *The Grey Friars in Oxford,* Oxford 1892, 195-211. Cui Catalogo longe perfectiori subnexuit quoque *Initia* operum in eo recensitorum (113-8). Pro quo duplici labore improbo legentes omnes maximas ei gratias proculdubio habebunt.

7. Vix autem catalogum istum cl. Little compilaverat, cum ipsi felici sorte accidit aliud Fragmentum *Operis Tertii* invenire pluribus in MSS. saltem partim contentum; cf. AFH V, 611 s. Quae MSS. felix editor primum describit, scil. 1° in Collegio Wintoniensi Oxonii, i. e. Winchester College *MS. 39,* quod plura opera (mutila) Baconis, aliaque continet (XI-XIII); 2° Bodleianae *Tanner 116,* plura opera Baconis habens (e quo *MS. 1036 Coll. SS. Trinit.* Cantabrigae apographon mutilum est, itemque, uti videtur, *MS. 153 collect. McClean* Musaei Fitzwilliam); 3° Cantabrigae *Bibl. Univ. Ff IV 12,* quod alchimicas res continet, scriptum an. 1528-29.



Constat primo Fragmentum istud a cl. L. repertum *Operis Tertii* esse: et videtur quoque partem a Brewer, l. c. 1-310 editam (quasi) immediate sequi, agendo de utilitate Mathematicae (i. e astrologiae et astronomiae) ad rem publicam dirigendam (1-4), de iudiciis astrologicis (5-9), de locis mundi (9-13), de bonis promovendis et malis impediendis (13-9). P. 18 Baco refert se non omnia ista posuisse, neque in *Opere Maiore,* neque in *Op. Minore,* « *volens festinare propter vestre sanctitatis* (= Clementis IV) *mandatum* ». Tunc (scil. inde a p. 20) fragmentum novum hic primo editum coincidit cum illo a cl. Duhem vulgato, cuius editionis variantes inde quoque subnotantur. 20-89 = Duhem, 75-98, 137-8, 148-190. Unde Fragmentum novum ea omittit quae sunt ap. Duhem 1) 98-137: i. e. *Tract. De motibus corporum caelestium;* 2) tractatum *De halo,* 138-48; 3) partem parvam et mutilam *De rerum nat. generatione,* 190-3. — Little (p. XVI s.) contra Duhem (28) opinatur tractatum *De Musica sacra* postea additum fuisse Operi Tertio etc. Item de tribus locis, supra tamquam omissis recensitis, agens (XXI ss.), Little contra Duhem probare intendit primum et secundum postmodum econtra additos fuisse; scil. additiones esse in recensionibus posterioribus huius *Operii Tertii* (XXI s.); tractatum vero *De rerum nat. generatione* nequaquam partem *Operis Tertii* fuisse (XXII ss). Econtra aliae partes *Operis Tertii* nos adhuc deficiunt, scil. *Peccatum VIII*[m] *studii theologiae* et alia huius tractatus (XXV ss.), necnon et forsitan digressio *De partibus animae,* etc. Insuper, adversus Duhem, Little opinatur nullum tractatum de SS. Trinitate et Incarnatione *Operi Tertio* inserendum fuisse (XXVII s.), neque *Metaphysicam,* quae opus speciale constituerit, scriptum ante *Opus Maius,* cui summa rerum ipsius inserta fuit (XXVIII-XXX).

Quibus propositis, editor summarium novi Fragmenti lectori proponit (XXXI-XLVIII), et in fine indicem subiecit (91-2). Quae de locis mundi hic a Bacone proponuntur, in *Op. Mai.* I, 288 ss., fusius ipse edisseruerat. E loco: « *ut patet de ultima invasione Damiete per dominum regem Francie Ludovicum* » tempus quo hoc fragmentum compositum fuerit, vago tantum modo circumscribitur, scil. intra annos 1254-1270. — Editor recte aestimat magni momenti esse ea, quae hic (17-8) Bacon Papae proponit, de recte et catholice ordinando studio magiae et astronomiae (mathematicae). Cui loco conferendus est tractatus *De scientia V*[ae] *essentiae* (47-54, = Duhem, 151-7). — P. 13 s. « Posui (ait) ergo... loca mundi astronomice in scripto et figura et deinde copiosius omnes nationes, secundum Sanctos et Naturales et eos qui propria experientia mundum pervagati sunt », e quo loco inducimus Baconem chartam quoque geographicam confecisse. Subdimus etiam hoc apparere ex *Opere Maiore,* I, 296, 300, ed. Bridges. — P. 51, l. 4 legas *mira* (sic etiam ap. Duhem, 154 l. 14) pro *miri;* p. 77 l. 7 *videretis* pro *videritis,* etc.

8. Postquam de textibus scriptorum Fr. Rogeri Baconis recenter editis egimus, alia quaedam opera circa ipsius sententias inquirentia recensemus. Cl. SEB. VOGL opiniones experimentaque physica Baconis accurate exposuit, ubique, quoad fieri potuit, ea distinguens quae Rogerus a rerum naturalium peritis, Graecis et Arabibus praesertim, mutuatus sit, quaeque ipse nova adiecit ope observationum, laborumque a se susceptis. Hoc, ut via et ratione expandat, auctor praemisso brevi Rogeri vitae curriculo (2-8), de eius magistris agit, scil. de Roberto Grossatesta (8-10), de Fr. Adamo de Marisco O. M. (10 s.), de



Petro Peregrino (11-4) [de quo cf. modo AFH IV, 436-55, 633-43, 22-40]. Tunc quid Bacon de scientiis empiricis, de physica praesertim, laudabiliter senserit, exponit (14-9), eiusque scripta enumerat (20-4). Pars II auctores recenset, quibus Baco in scriptis suis de physica agentibus usus sit, nempe graecis (24-9), latinis (28-9), arabicisque (29-36), singulorum opera erudite indicans. — In parte III, ubi singularum theoriarum evolutio adumbratur, Physica Rogeri expanditur: 1) circa opticam, ubi de « speciebus », de oculo, de flexione radiorum, de speculis, de refractione, de iride, etc. (36-88); 2°) de calore (88); 3°) de acustica (89 s.); 4° de mechanica, ubi de libra, de gravitate aeris, de forma orbiculari universi et orbis, de fluxu et refluxu maris (90-6); 5°) de magnetismo (96-8); demum 6°) de Bacone inventionum modernarum praesago tractatur (98-100). Quae mirae res iam apud auctores ipso antiquiores leguntur. Omnibus perpensis, A. non dubitat Baconem rerum naturalium investigatorem sollertem et suo aevo peritissimum edicere, qui, libris experimentisque antiquorum cum crisi usus, quamvis pauca nova ipse invenerit, tamen normas recte investigandae naturae optime cognovit, defenditque (101). Caeterum Bacon, qui pro instrumentis conficiendis plurimas expensas solvit, plura ob adiuncta, nova instrumenta a se concepta opere exsequi omnino nequibat (7, 19).

9. R. P. Dr. HUGO HOEVER, O. Cist., Fr. Rogeri Baconis hylomorphismum quem conceptuum ipsius philosophicorum basim censet, undique investigare et excutere sibi proposuit. Quod ut melius praestaret, praemisit bibliographiam Baconis (1-3), eiusque vitam paucis comprehendit (7-10), itemque pauca de ipsius operibus disseruit (11-20), et e MS. *Mazarino 3576* (saec. XIV), cuius partes plures iam sibi exemplaverat antequam Fasciculus II Roberti Steele (cf. p. 18) typis prodiret (cf. n. **3**) textum denuo edidit a f. 69 vb-90rb (p. 22-59 = Steele, *Fascic.* III, 240-308. Hoc nulli admirationi erit, cum textus a Steele editore, cui alia quoque MSS. ad manus erant, facile correctior constitui potuisset. Cui textui p. 60-6 subnexuit sex tabulas, materiarum divisiones ostendentes in MS. cit. f. 23ra-24vb (ap. Steele, Fasc. II, 87-9).

Quibus praelibatis de doctrinis Rogeri agit, circa mundum (66-78), de ipsius Hylomorphismo (78-196) et quidem fuse de materia (82-107) et forma (108-196), atque de rerum naturalium generatione (197-237). Postea in capitulo IV paucis exponit, quaenam relationes intercedant inter hylomorphismum Avencebrolis (239 s.), Alexandri Halensis (240), S. Bonaventurae (240-2), Henrici Gandavensis (242) et Ioh. Duns Scoti (242 s.). Sic vero Baconis hylomorphismi summa enuntiari potest (238 s.): Substantiae creatae omnes, tam spirituales quam corporales, e materia et forma compositae sunt. Per differentias specificas, utrique accedentes et perfectibiliores, substantiae ad perfectionem specificam ascendunt. Quae materiae et formae evolutio in ordine quoque physico invenitur, unde principia essendi et cognoscendi Baco confunderet. Materia prima creata (corporea non caelestis) iam formam quamdam habet, est vero pura potentia, quatenus penitus inactiva sit, sed esse actuale, licet imperfecte habeat. Ex quo sequitur pluralitas formarum, etc. — Nostrum non est heic philosophica discutere, sed adnotamus (cum auctore) ex dictis vel admissis nihil concludi contra dogma aliquod. — Auctor vero in genere tantum abest, ut Rogero tantisper faveat, ut magis ea omnia insistenter proponat, quae in quasdam theorias scholae thomisticae aliquatenus offendunt: ubique porro Rogeri dicta iuxta Aristotelismum « scholastico-thomisticum » commetitur.

qui tamen non omnium ibi discussorum norma recta et inflexa dicendus est.

Ultimo in capitulo (244-62) notas distinctivas ingenio doctrinaeque Fr. Rogeri colligere A. studuit: Licet Bacon Aristotelem summis laudibus extulerit, tamen omnes opiniones Aristotelis amplecti noluit (!), immo verba Aristotelis insonare faciebat, quin ipsius ingenium et sensum assecutus esset. Saepe Aristotelis verba in sententiam suam deflectit, versiones librorum Aristotelis erroneas (iniuste) proclamans (245s). Aristotelismum progredi nequaquam fecit Bacon [intellige in sensu supra dicto] (247). B. Albertum et S. Thomam Aq. dirius circa hoc Bacon increpavit (248), sed neque Alexandro Halensi [neque aliis sui ipsius confratribus] pepercit (249). Bacon Platonismum Augustinianum prosecutus est, Arabes quoque Philosophos nimis est aemulatus (249-56). Laus tamen ei tribuenda est, quia scientias empiricas, tunc generatim neglectas, maxime coluit (256 ss.), quas tamen mysticismo quodam imbuere studuit (252 ss. 256 s.). = Singula discutere huius non est loci, auctorem vero, cuius scriptum dissertatio inauguralis universitatis Friburgensis (Helv.) est, quaedam nimis exaggerare cuilibet apparet. — Norunt etenim omnes circa sensum plurimorum locorum Aristotelis (ipsiusque Commentatorum) doctos inter se discussisse et adhuc discutere. Neque omnes loci Baconis, quos A. vult, contra B. Albertum invehunt; v. gr. locus ille p. 248, not. 708, i. e. *Op. Tert.*, 327, qui econtra certe Fratrem Minorem quemdam (ignotum) spectat. Bacon non omnes libros Aristotelis, sed eorum malas versiones tantum comburendas vult (246). Baconis sententiam de libris Aristotelis A. certe male explicat (245). Quid mirum quod Bacon, vulgatae sententiae adhaerens, tractatum *Categoriae decem* erronee S. Augustino tribuerit, quem tamen plures [ante Prantl (245)] non genuinum esse cognoverant; cf. Grabmann, *Gesch. d. schol. Methode*, I, 1909, 127. Baconem *an. 1277* a Fr. Hieronymo Asculano condemnatum fuisse minime constat (9), neque in opere citato: P. Mandonnet, *Siger de Brabant*, 1899, 261, [I², 1911, 246 s.] hoc probatum est. — In editione partis *Communium Nat.*, editor auctorum allegatorum locos inquirere penitus neglexit. P. 22 l. 24 legas *ibi* pro *nisi* (sic et Steele, III, 241); p. 22 l. 35 *si* pro *similiter;* p. 23 l. *praecedit natura ipsum accidens* pro *naturam ipsius accidentis* (sic etiam Steele); l. 23 l. 3 recte (contra Steele: *ibi*) habet *in* pro *ibi;* p. 23 l. 16 ex homoioteleuto omissum fuit: *generatio* [simplex vel simpliciter et generatio accidentis que vocatur generatio] *secundum quid;* etc., etc. Bibliotheca Bodleiana Oxonii extat, non Londini (19). = Opus istud, separatim editum fuit e periodico *Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie,* XXV, Paderborn 1911, 202-20, 277-388; XXV, 2-53, 188-225, 368-405.

P. **Michael Bihl**, O. F. M.

The Catholic Encyclopedia. — *An international work of reference on the Constitution, Doctrine, Discipline and History of the Catholic Church.* — New York, Rob. Appleton Company; in-8° max. — XV vol. [1912], XVI, 800 pp. *(Tourn.-Zwirner. Errata).* — (27 shill.).

Volumine XV, quod iam in titulo primi tomi tanquam ultimum seriei totius evulgandae annuntiabatur, opus permagnificum et gloriosum reapse in finem felicem, immo felicissimum deductum est, sollertia, di-



ligentiaque in istiusmodi operum editione rarissima. Constat aliunde successum operis, ut ita dicamus materialem, omnem exspectationem longe superavisse.

Ultimo in hoc volumine dissertationes franciscales nec numero nec momento praecellunt. Prae aliis notamus notitias circa Annalistam Ord. Min. percelebrem P. LUCAM WADDING (521-24): auct. P. *Gregorio Cleary,* O. F. M.; de Fr. FRANCISCO XIMÉNEZ DE CISNEROS (129-31): auct. *G. Cyprian Alston,* O. S. B.; de Fr. IOH. DE ZUMARRAGA, episcopo Mexici († 1548): auct. *Camillo Crivelli,* S. I. (767-9), et de Fr. UBERTINO DE CASALI, (116-7): auct. *P. Hier. Golubovich,* O. F. M. Tres priores diss. effigiebus Fratrum illorum ornatae sunt. — TUNDSTED SIMON, († 1369) minister Provinciae Angliae, cui *Edw. C. Philips* (92) tamen abnegat vel potius contendit *Quatuor principalia musicae,* iuxta Davey ap. *Diction. of Nat. Biogr.*, s. v. [Sbaralea, 661]; ANDR. DE VEGA, tractatur a: *P. Mich. Bihl,* O. F. M. (319 s.); LA VERNA, i. e. Alvernam (358): *P. Paschal. Robinson,* O. F. M., VERONICAM GIULIANI (SANCTAM) († 1727): *P. Cuthbert,* O. M. Cap. (363); VIEL NICOLAUS (416): *Art. Mélançon,* S. I., quin tamen hunc Fratrem, an. 1625 ab Indianis occisum, expresse O. F. M. fuisse dicat; WAIRE, an. 1539 in Anglia pro fide suspendio necatus (525): *John B. Wainewright* (fueritne martyr iste O. F. M., dubitatur adhuc); WALL, JOHN, pro fide item in Anglia necatus an. 1679: *J. Fr. Whitefield* (537 s.): WALSH, PETER († 1688), auctor Valesianorum in Anglia, sed postea facti poenitens (541): *J. Hagan;* WARD HUGH († 1635) hagiographus Hiberniae eruditissimus (550 s.): *Greg. Cleary,* O. F. M.; WILD (= FERUS) IOH., celeber concionator Maguntiae († 1554): *idem* (621); ZIERIKZEE, CORNELIUS VAN († 1462), qui Observantes in Scotiam induxit (758; cf. AFH IV, 153ss.): *idem;* WILLIAM OF OCKHAM (636): *Will. Turner* (dissertatio parum accurata; cf. AFH VI, 209ss.; 439ss.); eiusdem est quoque parva notitia de WIL. DE SAINT-AMOUR (637s.), ubi *Introductio in Evangel. aeternum* denuo erronee B. Ioh. Parmensi tribuitur; WILLIAM OF WARE (Guaro, Waro, Varron): auct. *P. Pasch. Robinson* (640); WOODCOCK, JOHN, martyr Lancastri, occubuit an. 1646: *John B. Wainewright* (702): ZALVIDEA, IOS. MARIA DE, missionarius in California, obiit 1846: *Zephyr. Engelhardt,* O. F. M. (746); VIADER, IOS. († post 1826): *idem* (397): ZEGERS, NIC. TACITUS († 1559), exegeta celebris: *Leo T. Butler,* S. I. (753).

Sub voce VIVARINI BARTH. († c. 1499) ipsius effigies *S. Iohannis Capistranensis,* (Parisiis, Louvre) refertur; ex Andr. Thevet, [O. M.], *Livre des vrais portraits,* Paris 1584, plures effigies (nullius utique valoris) exhibentur, 62, 353, 639, 764. — P. 708 ex Sebast. Münster, [O. M.], *Cosmographia Univers.* 1544, conspectus urbis Wormatiae producitur. = Dissertationes quasdam indolis generalis hic speciminis causa adnotamus: UNITED STATES OF AMERICA, 156-79; VATICAN, 276-311; VULGATE, REVISION OF, 515-20: ubi Rmus D. *Franc. A. Gasquet* labores Commissionis Pontif. Vulgatae corrigendae accurate enumerat; Diss.; WAY OF THE CROSS, i. e. de *Via Crucis* (569-71): *C. Cypr. Alston,* O. S B., sat manca est. — P. 776-800 *errata typographica* vol. I-XIV recensentur et corriguntur.

Directio *Encyclopaediae* novum volumen (XVIm) publicandi interim consilium cepit, additiones, aliaque continens. Ei vero pro opere, iam ad olim sibi propositum finem perducto, lubet e corde congratulari.

P. Mich. Bihl, O. F. M.



Landini P. Giuseppe, C. R. S. — *Il Codice Aretino 180. Laudi antiche di Cortona (Manoscritto della Biblioteca della Fraternita dei Laici d'Arezzo)* — **Roma,** Tipografia Editrice Nazionale, 1912. — In-8°, pp. 107.

Il P. Gius. Landini dei Somaschi si è largamente occupato del Codice Aretino 180, scritto a Cortona l' anno 1367 per i Laudesi di questa città, e contenente un ricco Laudario popolare. Si può ben dire che il dotto Autore abbia voluto darci con questa pubblicazione una monografia esauriente su questo Codice: Egli ne fa la storia racimolando le rare notizie che se ne hanno attraverso i secoli, 3-6, lo descrive ampiamente in tutti i suoi particolari, 6-15; ne fissa la data, 15-19, alla quale corrispondono i caratteri interni del Codice, 19-22. Nella rubrica seguente l'A. fa il raffronto del Codice Aretino con altri Codici toscani, che egli conosce non solamente dalla letteratura relativa, ma *de visu,* 22-27. Importante per gli studi nostri è il capitoletto dove si tratta della Fraternita alla quale apparteneva il Laudario, 28-36. L'A. vi dimostra come per l' influsso dei Francescani di Cortona (S. Francesco, B. Guido Vagnotelli e i Frati della chiesa di S. Francesco costrutta da Fra Elia) e specialmente per l'opera di S. Margherita da Cortona, il terz'Ordine e le Compagnie si formavano e fiorirono nell' ambiente popolare Cortonese. Dal terz' Ordine si formava per opera diretta di S. Margherita la Fraternita di S. Maria della Misericordia, i cui Statuti, del 1286, furono pubblicati dal dottissimo P. Lodovico da Pelago, O. F. M., nell' *Antica Leggenda della Vita e de' miracoli di S. Margherita di Cortona,* Lucca 1793, parte II, 150-54, e secondo l'A. « dallo stesso 3° Ordine si raccolsero i primi elementi che costituirono la Compagnia dei Laudesi di S. Maria », alla quale in origine apparteneva il Laudario, e che si radunava in un Oratorio della Chiesa di S. Francesco. Dal quattrocento in poi il Codice era della Compagnia di S. Nicolò di Bari fondata per opera di S. Bernardino da Siena nel 1440. Tra gli anni 1840-1850 il Codice scomparve da Cortona, ma più tardi riuscì al Com. Gamurrini di Arezzo di acquistarlo, ed egli nel 1882 lo cedette alla Fraternita dei Laici d' Arezzo, presso la cui Biblioteca si trova anche presentemente (5). — Dopo un esame della costruzione metrica, delle rime e dei vari soggetti delle laudi, 36-43, il Landini tratta in un capitolo finale dell' importanza di questo Laudario, 43-51, rilevando come questa raccolta, che contiene ben 22 laudi proprie, cioè che non si ritrovano in nessun altro Codice fin qui conosciuto, sia pregna di spirito francescano col frequente motivo della passione di N. Signore e dei dolori della SS. Vergine ed infine col suo carattere parenetico, di modo che sembra una perpetuazione del *Canticum solis* di S. Francesco, ed una repetizione in forma di laudi delle prediche di qualche Frate Francescano e delle esortazioni di S. Margherita, inserite nella di lei Leggenda. In tre appendici, 52-57, si hanno varie tavole delle laudi, concordanze con codici ed edizioni. Notiamo specialmente, app. II: *Laudi Iacoponiche del Codice, otto* in numero, benchè nel Codice non portino il suo nome, ma che tali risultano da altri Codici ed edizioni.

Nella seconda parte (*testo*) 59-96, si hanno le 22 *Laudi proprie unicamente del Codice fin qui inedite,* in doppia forma, cioè in trascrizione letterale ed in trascrizione interpretativa, il che ci sembra un po' troppo lusso; l'editore avrebbe potuto seguire le norme generalmente adottate



in tali pubblicazioni, per esempio quelle della Società Filologica Romana; d'altra parte è impossibile rendere la grana esatta del Codice. Un *Prospetto dei Dialettismi*, 101-04, un *Lessico*, 105, e l'*Indice*, 107, terminano il gustoso volumetto.

Come si vede, il dotto P. Landini ha studiato a fondo e con grande amore il suo soggetto prima di darlo alla stampa, riuscendo così a darci uno squarcio della storia sociale di Cortona attraverso il Laudario delle successive Compagnie. Data la gran cura colla quale l'A. ha lavorato, ci ha fatto un po' di meraviglia che egli non citi mai un altro documento del dialetto Cortonese, probabilmente anteriore ancora alle Laudi, cioè *La Leggenda del Beato Guido primo seguace in Cortona di S. Francesco scritta nei primi anni del secolo XIV e pubblicata da* Ugo Sernini Cucciatti, Cortona, Tip. Emilio Alari, 1900, pp. IX-31 in-8°. Nè so capire perchè a p. 48 l'A. affermi: *dal 3° Ordine... esce un santo Cortonese, il b. Guido Vagnottelli,* poichè in altre pagine l'A. dice bene che il B. Guido era del I Ordine.

Ma a parte questi due appunti, lo studio del ch. Autore merita ogni encomio, e raramente abbiam letto pagine così suggestive sull'influsso francescano nella formazione delle Fraternita laicali, specie su quelle dei Laudesi del Medio Evo. Le nostre congratulazioni al ch. P. Landini ed al Rmo P. Lorenzo Cossa, Superiore dei Somaschi, per il cui giubileo sacerdotale fu dato in luce questo bello ed utile volume.

P. Livario Oliger, O. F. M.

Gli Archivi della storia d' Italia a cura di Giuseppe Mazzatinti. Rocca S. Casciano, Ed. Licinio Cappelli. In-8°. — Vol. I, 1897-98, pp. 423; — II, 1899, pp. 461; — III, 1900-1, pp. 408; — IV, 1904, pp. 399.

Gli Archivi della storia d'Italia, pubblicazione fondata dal Prof. G. Mazzatinti, diretta dal Dott. Giustiniano degli Azzi del R. Archivio di Stato di Firenze. Ib. In-8°. — Vol. V, 1907, pp. 402; — VI, 1910, pp. XII, 357; — VII, 1911, pp. VIII, 475; — VIII, 1911, pp. 301. — (Prezzo d' ogni volume L. 10).

Non m'indugerò a dir le lodi di questa Collezione che in soli 8 volumi offre gl'inventari di più centinaia d'Archivi, pubblici o privati, sparsi per oltre 150 città d'ogni regione d'Italia, tra i meno noti ma non tra i meno importanti e ricchi per ogni ramo di storia: inventari — si comprende — piuttosto sommariamente redatti, come si conveniva allo scopo degli editori, di dare un'idea generale di prima direzione e illuminazione ai ricercatori, con principal mira alla storia civile e locale; ma che spesso anche, specialmente negli ultimi volumi, si diffondono in una minuziosità e distinzione di soggetti da offrire allo studioso lontano la sicurezza di trovare o no in un dato Archivio il documento o la somma dei documenti che egli ricerca. Neanche m'indugerò su l'idea in questi fascicoli già più volte ribattuta e dimostrata, che lo studioso di storia francescana, locale prima tutto, ma anche generale, negli Archivi principalmente deve dirigere le sue ricerche, pazienti e lunghe se si vuole, ma che sole ormai possono dare il nuovo che si desidera e il preciso che ci manca. C'è ancora, purtroppo, chi s'illude di darci una storia locale spogliando le sole storie generali o al più i

soli libri editi. A che prò? Quelli troppo spesso andrebbero corretti o almeno sempre completati; e qualcuno si lamenta che non ha materia, e i manoscritti delle Biblioteche e degli Archivi ne rigurgitano!

Non si può pretendere che questi volumi ci manifestino tutto che può interessare uno storico francescano, né che io tutto abbia a minutamente rilevare qui. Rapidamente ho scorso, e più che sommariamente indico. Ma già, quanto per gli uomini di buona volontà! — Spoglio per regione.

ABRUZZO. *Teramo.* Due iscrizioni medievali riferentisi alla chiesa di S. Francesco di Teramo, II p. 112; carte e pergamene delle monache di S. Chiara di Civitella, p. 119; per la chiesa di S. Francesco di Campli (sec. XIV) e le Clarisse di Teramo (sec. XV) cf. p. 120; per i Cappuccini di Campli (sec. XVI) cf. 122.

EMILIA. *Forlì.* Presso l'Arch. Comunale esiste il fondo delle *Corporazioni religiose soppresse,* I p. 42, che, secondo il Bonaini, *Gli Archivi dell' Emilia* ecc. Firenze 1861, contiene carte e volumi dei Francescani di Ravenna, Forlì, Cesena, Rimini e Faenza; Monte di Pietà (dal 1514), p. 44. — *Longiano.* Carte relative a quel convento di S. Francesco, I p. 57. — *Bagnacavallo.* Pergamene 147 (1209-1759) appartenute a quel convento di S. Francesco, I p. 141; cf. 142. — *Ravenna.* Volumi riguardanti i Conventuali (sec. XV ss.), le Clarisse (sec. XV ss.), gli Osservanti (sec. XVIII), I p. 282; e relative pergamene (dei Conventuali n. 62 [1257-1686]), p. 284; cf. 285. — *S. Felice sul Panaro* (Modena). Documenti intorno a quel convento di S. Bernardino, III 19. — *Argenta.* Laurenti C. F., Memorie del P. Angelico da Bologna Capp. e del P. Giacomo Domenico da Gatteo M. O. [cf. Picconi, *Centone,* II, 293s., 319], IV p. 150; P. Agostino Capp., Memorie (1742-70), 160; cf. 147, 152. — *Reggio Emilia.* L'inventario di quell'Archivio di Stato abbraccia tutto il VI volume. Non molto appare: cf. p. 82, 86, 90, 126 (Monte di Pietà, statuti 1494) 157, 172 (Cappuccini di Correggio, 1683), 273 (Clarisse, 1546-1773), 284. — *Cento.* Due lettere di Niccolò V, 31 marzo 1452 e 8 genn. 1453, per la fondazione di quel conv. di S. Francesco [cf. P. Flaminio da Parma, *Memorie* ecc., II, 254-64], VIII 281s.; « Libri octo logicalium institutionum excerptarum ex scriptis r. p. lect. fr. Thomae Casalensis O. M. Obs., 1763 », p. 296; Memorie intorno al B. Biagio da Cento M. Oss. [ignoto al Picconi], p. 299. — E' indicato il fondo delle *Corporazioni soppresse* a *Rimini,* I 68 (Memorie del conv. di S. Chiara in Mercatello, 1253-1700, p. 71), e a *Cesena,* II 29 (Conventuali 1525-1803), 30 (Clarisse, 1619-1804), 32 (Conventuali di Cervia, 1670-1753).

MARCHE. *Urbino.* Vita del B. Pelingotto (sec. XVII) e della b. Lisabetta Malatesta, clarissa (sec. XVII), II 51s., cf. 45s.; Necrologio francescano della regione Picena dal sec. XVII al XIX, p. 65; Archivio del convento di S. Francesco (pergamene e libri dal sec. XIII al XVIII), p. 71, cf. 52; Archivio del convento di S. Bernardino (sec. XVII), con notizie del Monastero di S. Chiara, del Monte di Pietà, p. 72; scritture spettanti ai Minori Conventuali, Osservanti, Riformati, Cappuccini, p. 74. — *Matelica.* Vol. VII p. 148, 200, 201, 218, 395, 396, documenti del sec. XIII che riguardano in qualche modo il conv. di S. Francesco di questa città, come altri a p. 309, 313, 361, del sec. XIV (cf. AFH VI, 267 s.); a p. 140 un atto del 1257 « apud locum S. Francisci de Macerata »; a p. 390s. le *Costituzioni generali della Marca* pubblicate in Macerata nel 1272, in fine delle quali, dopo la data, si decifra appena, con altri vescovi della regione, nominato « dno V. Episcopo Aux. ».



e bisognerebbe rivedere quel *V.*, poiché vescovo di Osimo in quell'anno era S. Benvenuto Scotivoli O. F. M. Per lo stesso Archivio cf. anche vol. II 172. — *Iesi.* Per il Monastero di S. Chiara, II p. 207. — *Fano.* Vari documenti sparsi, gia appartenuti all'Archivio di S. Francesco e riferentisi a quel convento (II p. 228, 229, 233, 238: sec. XIII ss.) rivelano la ricchezza di quell' Archivio (cf. 227); a p. 225, l'archivio del Monte di Pietà, dal 1471 (l'anno 1461 ivi indicato dev' essere un errore di stampa; i primi statuti sono del 1471): a p. 226 una Bolla di Bonifazio IX, dell' anno 1396, con la quale « dà licenza a fr. Pietro Pace da Ripalta dell' Ord. de' Minori di passare all' Ord. di S. Benedetto, e che manca al nostro *Bullarium.* — *Ripatransone.* Qualche cosa per i Min. Oss. (sec. XV), II p. 270; per le Clarisse (1560) e i Cappuccini (Catalogo della Biblioteca, sec. XVII) a p. 271; Regola Urbaniana delle Clarisse « moderata da Eugenio IV », p. 293; cf. 273. — *Pesaro.* La Bolla di Alessandro IV indicata, II p. 296, è, secondo l'Eubel, *Epitome,* n. 848, datata « II (non IX) kal. martii a. 2° », e si riferisce al convento di S. Francesco di Fano. Spoglio e repertorio dell' Archivio del *Corpus Domini* di Pesaro (Clarisse) e ricerche su la Beata Serafina Colonna, p. 313; cf. 320. — *Ascoli Piceno.* L'Archivio dei Min. Conventuali, con 78 pergamene dal sec. XIII al XIX, vol. III p. 91s. — *Osimo.* La Bolla di Innocenzo IX per il convento francescano di Osimo, che nel *Bull. Franc.* è data (da copia) come del 9 aprile 1247, qui III, 297, (e pare si tratti di originale) si fa risalire allo stesso giorno del 1245. Neanche vi si può riscontrare la Bolla del 26 giugno 1256, che qui, p. 298, si dice relativa ai conventi dei frati Minori. Ivi pure la Bolla di elezione di S. Benvenuto Scotivoli O. F. M. a Vescovo di Osimo: 13 marzo 1264. — *Ancona.* Poche cose che compariscono, ma che potrebbero nascondere assai di più, a p. 29, 33, 37, 73, 91 del vol. VII. A p. 2 e 26 documenti e statuti del Monte di Pietà dal 1491. — *Visso* (Macerata). Un accenno al conv. di S. Francesco, del sec. XVI, vol. VIII p. 86, 87.

PIEMONTE. *Torino.* Nel vol. VIII da p. 98 a 188 è il Sommario degli inventari dell' Archivio di Corte di casa Savoia. Cappuccini di Casale: Conventuali di Alba, Casale e Moncalvo; « Minoriti » d'Acqui, Casale, Conzano, Nizza della Paglia, S. Salvatore: p. 118. Cappuccini di Alessandria, Aosta, Biella, Fossano, Ivrea, Limone, Livorno, Loano, Novara, Oneglia, Pallanza, Pancalieri, Pinerolo, Torino, Vigevano; Conventuali di Castelnovo Scrivia, Ivrea, Moncalieri, Mondovì, Pinerolo, Piossasco, Santhià, Torino, Valenza, Vercelli: Osservanti di Alessandria, Carmagnola, Fossano, Gattinara, Moncalieri, Mondovì, Mortara, Pont, Savigliano, Vercelli, Voghera; Riformati di Brianzone, Centallo, Cuneo, Dorno, Felissano, Pallanza, Pavia, S. Giorgio, Torino: p. 152s. Cappuccini di Annecy, Bourg S. Maurice, Conflans, Moutiers, Rumilly, Jenne: Conventuali di Chambéry, La Chambre: Osservanti di Annecy, Belley, Chambéry, Cluse, Evian, Ginevra, Mians, Moutiers: p. 154. Tra le Monache, indicate solo con questo nome generico, non si possono distinguere le Clarisse, se non quelle di Vevey: p. 155; ma cf. ancora p. 118, 154s.

PUGLIE. *Bitonto.* Archivio del Convento di S. Francesco (sec. XIII-XIX), I 142. — *Giovinazzo* (Bari). Per la confraternita di S. Maria de la Nova nella Chiesa di S. Francesco « de Iovinatio » (sec. XVI), I 2[illegible]. — *Lecce.* « Bolla originale di Bonifazio IX che dà licenza di tenere nella chiesa di S. Caterina a Galatina [Lecce] fondata da Raimondello Del Balzo-Orsini, conte di Lecce, quel numero di frati Minori che parrà al



Vicario dell' Ordine, Bartolomeo De Alunno » (30 ag. 1391: manca al nostro *Bullarium*), II 10; Vita di S. Giuseppe da Copertino e di due frati suoi contemporanei (1650), p. 11. — *Brindisi.* « Alexandri de Hales Postillae » (MS. del sec. XV, nella Biblioteca Arcivescovile De Leo), II 17; « Sermoni e quaresimale di S. Lorenzo da Brindisi Capp. » (ivi, autogr.; cf. infra in *Cronaca Ital.* 586), p. 19.

TOSCANA. *Fiesole.* Atti riguardanti il vescovo di quella Diocesi, Fr. Filippo da Perugia, O. F. M. (1282-98), III 290-6. — *Lucca.* Vita del B. Giovanni Buonvisi dei Min. Oss., scritta da fr. Francesco Tresatti da Lugnano, V 119; Compagnia de Battuti bianchi in S. Francesco di Pescia, e Società di S. Francesco di Pescia, p. 130; cf. 67, 68 e vol. IV 85. Rilevo questa nota da un *Diario,* di cui son dati estratti: 1498. « A di 14 luglio: Nota come questo di frate Augustino di Bernabò, frate di Santo Francesco, imbasciatore, o vero segretario del Signor Lodovicho ducha di Milano, fu avelenato da un suo ragasso frate, a petissione della signoria di Vinegia. Idio li abia perdonato a l'anima », V 103. — *Grosseto.* Convento di S. Francesco, V 185. — *Arezzo.* Clarisse (1500), V 26. — *Firenze.* Pergamene Orlandini, presso la Marchesa Giulia Bufalini (privato). Testamento, del 22 dic. 1302, di d. Iacoba Pucciora de Luca, che elegge la sepoltura « apud locum et ecclesiam fratrum Min. de Lucano conventu » e lascia « fr. Cerio ord. fratrum Min. l. 2 », V 196; cf. 213. — *Pistoia.* Statuti del Monte di Pietà di Siena (1472), III 35; Statuti del Monte Pio di Pistoia, fatti da fr. Bartolomeo de Porris, francescano (1494), e del Monte di Pietà (1491), Libri relativi al convento di Giaccherino (1634-70), p. 36; cf. 51, 63; Confraternite nella chiesa di S. Francesco (sec. XVI-XVIII), V 242, 244. — *Chiusi.* Per i pellegrinanti al Perdono d'Assisi (1430), IV 138; per S. Bernardino da Siena (1451), p. 140. — Una memoria sul P. Giuseppe da Milano [da Ferno], O. M. Capp. (1538) si può trovare a *S. Sepolcro* (Arezzo), I 82.

⁂ L'étude très détaillée du R. P. RAYMUND DREILING, O. F. M., Dr. Phil.: AFH VI, 409s., vient de paraître en entier. Elle forme le fasc. VI du vol. XI des *Beiträge zur Gesch. der Philosophie des Mittelalters;* v. AFH V, 771ss. A plus tard une recension détaillée de cet ouvrage: *Der Konzeptualismus in der Universalienlehre des Franziska-*



nererzbischofs Petrus Aureoli (Pierre d'Auriole), nebst biographisch-bibliographischer Einleitung, Münster, i. W., Aschendorff, 1913, in-8°, XVI, 224 pp. (M. 7, 50).

Publication prochaine. — M. l'abbé MAX BIERBAUM publiera prochainement une étude sur *La perfection religieuse selon St. Bonaventure et plusieurs auteurs contemporains.* L'A. y mettra à contribution nombre de textes inédits. Un appendice contiendra le texte du Traité généralement attribué à Fr. Bertrand de Bayonne O. F. M.: *Manus quae contra Omnipotentem* (écrit contre Guill. de Saint-Amour) et quelques chapitres inédits du Traité *De perfectione evangelica* de Fr. Jean Peccam, O. F. M.

BELGIQUE. — L'article du R. P. VAN ORTROY, S. J., *S. François et son voyage en Orient,* dans les *Analecta Bollandiana,* XXXI, 1912, 451-62, n'est, au fond, qu'un examen du livre de M. H. Fischer, *Der hl. Franziskus von Assisi während der Jahre 1219-1221,* Fribourg 1907; cf. AFH I, 630-3. Le R. P. V. O. n'y a mis en jeu aucun texte inconnu ou passé inaperçu, voire aucun argument nouveau. Il groupe les événements de 1219 à 1221 exactement comme le fit p. ex. le R. P. Girolamo Golubovich, *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa et dell' Oriente Francescano,* I, Quaracchi 1906, 90-99. Il le cite une fois (451). Nul n'ignore, que le R. P. Golubovich a recueilli (l. c. I, 1-84) tous les textes en question. L'hypothèse avancée p. 452-3, que Fr. Pierre de Catane aurait été Vicaire général de St. François, dès 1212 (alors que le Saint partit pour le Maroc), se trouve déjà exposée, elle aussi, dans Golubovich, l. c. I, 122ss. D'après V. O. (citant Jordanus, *Chron.* n. 7), Elie serait parti pour l'Orient, au début de l'été 1218, tandis que Golubovich fixe ce départ à l'année 1217 (l. c. I, 87, 107.). Que St. François ait visité Jérusalem, le P. V. O. le croit « de la plus haute vraisemblance » (456). St. François serait retourné en Italie, non en janvier 1220 (Fischer, l. c. 43ss.), mais peu avant le 10 mars 1221, jour où Pierre de Catane mourut à la Portioncule (457; v. Golubovich, I, 97, 120, 125s.). Il est vrai (contre Fischer, 114ss.), que le *Specul. Perf.* c. 68 ne saurait prouver qu'un chapitre général eut lieu en 1220. Mais dire, d'autre part, que l'allusion faite par les *Fratres scientiati* aux règles de S. Benoît, de S. Augustin et de S. Bernard, prouve que ce passage du *Specul. Perf.* fut écrit au commencement du XIV siècle (458s.), c.-à-d. à une époque où beaucoup de Franciscains seraient passés dans les anciens ordres religieux, ceu nous semble passablement hasardé. Enfin le P. V. O. croit (contre Fischer, 83ss.) que l'entrevue de S. Dominique et de S. François eut lieu plus vraisemblement en 1215 (au concile de Latran, comme le pense aussi M. Guiraud, *Vie de S. Dominique,* 71ss.) qu'en 1220. Après le développement pris par son Ordre jusqu'en 1220, Dominique n'aurait plus guère caressé « le dessein de réunir sa petite troupe aux milices déjà beaucoup plus nombreuses de St. François » (462). — Il est peu exact de dire (451) que M. Fischer « s'est plu notamment à battre en brèche le système chronologique proposé par le R. P. J. Golubovich », car M. Fischer, n'ayant pas connu à temps le livre de celui-ci, s'est contenté de s'en occuper dans le *Nachtrag* (Appendice), 139-44.

*** Le R. P. BARTHÉLEMY VERELST, O. F. M., auquel nous devons aussi un ouvrage important sur Jean Zumárraga, premier évêque et archevêque de Mexico (1533-48), v. AFH I, 126, a publié la première grande monographie sur le *Fr. Pierre de Mura* ou *de Gand,* compagnon zélé



de Zumárraga. *Vijftig Jaren bij de Indianern of Levensschets van Broeder Pieter de Mura van Gent (Fray Pedro de Gante) door* P. BARTHOLOMAEUS VERELST, O. F. M., Brussel, A. Dewit, 1909, in-8°, XIV, 372 pp. (5 fr.). — Fr. Pierre naquit vers 1480, à Saint Pierre d'Ayghem, aux portes de Gand; il s'appellait lui-même « *de Mura* », traduction espagnole du nom d'une famille de Gand: « *de Muere* » *(de Mûre)* (9ss.). Dans ses lettres adressées à Charles-Quint, Fr. Pierre se disait en outre « du même sang » que l'Empereur (11ss., 315s.). Cependant on ne sait exactement ce que ces expressions signifient (naissance illégitime? etc.), Il semble avoir étudié à l'université de Louvain (13s.), mais, en prenant l'habit des Frères Mineurs (vers 1515?), en Belgique, il voulut rester simple Frère lai (16ss.). Le 30 août 1523, Pierre, le P. Jean de Tecto (Van Dak), et Jean d'Aora (que l'on disait être un frère naturel du roi d'Ecosse, mais qui était plutôt de la famille d'Aire, 34) abordèrent à Vera-Cruz. Le 3 mai 1524, Martin de Valence arriva avec onze missionnaires. L'A. qui s'est très bien outillé pour son livre, raconte en détail tout ce qu'il a pu trouver dans les différents auteurs sur les travaux de Fr. Pierre. Mais il ne semble pas avoir poussé beaucoup en avant quelques questions encore insuffisamment éclaircies. Dans l'énumération des sources (p. I-XIII) il n'était point nécessaire de faire figurer chacune des lettres de Fr. Pierre et de ses confrères. La majeure partie en a été éditée dans les *Cartas de Indias*, 1878, etc. Les lettres que Fr. Pierre adressa à Charles-Quint sont certes d'une valeur exceptionnelle, pour l'histoire de la conquête et des missions du Mexique. Fr. Pierre se consacra surtout à l'instruction des jeunes Indiens; il promouvait puissamment le salut matériel, moral et intellectuel des Indigènes. Il prit résolument leur défense contre les injustices et les cruautés des conquérants espagnols. En 1529, Fr. Pierre écrivit en Europe : « *baptizavimus ego cum socio fratre meo in hac Provincia Mexico ultra bis centena millia* » (198). Jusqu'à sa mort, (vers le 20 avril 1572) il aurait instruit plus le 300 000 jeunes Indiens. Il leur apprenait le catéchisme, les arts et les métiers: architecture, sculpture, etc., etc. Il résista constamment à l'Empereur, qui le voulait non seulement faire ordonner prêtre, mais aussi nommer archevêque de Mexico. Les « *cinquante ans* » de son Apostolat fécond parmi les Mexicains portèrent des fruits très abondants. Citons les deux autres monographies sur Fr. Pierre: Servais Dirks, O. M., *Le Frère Pierre de Mura; sa vie et ses travaux au Mexique,* pp. 172-237 du livre: *Voyages... du Fr. Pierre Fardé,* Gand 1878; Kieckens F., S. J., *Les anciens missionnaires belges en Amérique. Fray Pedro de Gante, Récollet Flamand, 1523-1572,* Bruxelles 1880, in-8°, 46 pp.

*** A la fin de 1912 le cercle de Gand « Dieu et la patrie » fit tenir une série de **Conférences** sur les Ordres religieux. Celle sur l'Ordre franciscain fut confiée au R. P. ALBERT LISMOND, O. F. M., qui s'en acquitta très heureusement. Sa conférence concise et positive, embrassant tout l'Ordre franciscain et son activité multiple, a été publiée en brochure: « *De Minderbroeders. Voordracht gehouden te Gent, in den Kring:* « *God en Vaderland* », Mechelen, S. Franciscus Drukkerij, 1913, pet. in-8°, 32 pp. (fr. 0,15).

FRANCE. Le R. P. UBALD d'ALENÇON, O. M. Cap., vient de publier une traduction française du *Sacrum Commercium B. Francisci cum Domina Paupertate;* v. AFH VI, 409. Le traducteur a suivi de très près, sans toutefois se gêner dans l'allure de ses phrases, le texte



latin publié par le R. P. Edouard d'Alençon, en 1900; v. AFH VI, 409. Il a aussi pris à tâche d'identifier les « citations principales » de la Sainte Ecriture, dont l'A. a émaillé cette allégorie fraîche et poétique. Il y avait,. certes, beaucoup plus de textes à relever. Prenons p. ex. le chapitre II. A la p. 4 l. 13s. allusion à Math. 16, 19; p. 5 l. 3s. = Luc. 18, 34; p. 5 l. 14s. = Gen. 37, 4; p. 6 l. 4. = Sap. 2, 1; p. 6. l. 6ss. = Is. 22, 13, etc., etc. P. 6 l. 17 lisez *dérisions* (ou bien même: *ignominies*) pour *décisions;* p. 8. l. 10 lisez *compagnons* pour *chevaliers;* p. 56 *leurs discours sans fin pour obtenir des aumônes sont à charge à autrui* ne rend pas le sens du passage: *quorum conversatio, superflua queritando, satis ceteris est molesta,* (car c'est ainsi qu'il faut ponctuer). — Les titres des chapitres sont pris dans la version italienne. — P. 78-80 l'A. a ajouté une traduction en vers français, par M. Ed. Beaufils, de la Prière pour obtenir la Pauvreté: *S. Commerc.,* c. VI. Cinq similigravures ornent le petit volume. — Dans l'Introduction il semble certain, au R. P. Ub., que le *S. Commercium* a été composé en 1227 (XI), mais qu'au fond nous ne connaissons point le nom de l'auteur (XXs.). Le R. P. Ub. énumère brièvement les MSS. (XIII-XV) et les éditions antérieures (XV-XVIII). Il croit que Thomas de Celano connaissait le *S. Commercium:* I. Cel. XIV, n. 35; de même Jacopone, Hugues de Digne, et Angèle de Foligno (*Révélat.* ch. 55 et 59). Dante, on le sait, le connut par l'*Arbor vitae;* v. U. Cosmo, *Giorn. Dantesco,* VI, 49ss. Le MS. de Giaccherino n'est point « introuvable » (XVI), mais se trouve encore dans ledit couvent. — P. Ubald D'Alençon, *Sacrum Commercium. Les Noces mystiques du Bx. François d'Assise avec Madame la Pauvreté* (*1227*). *Première traduction française.* Paris, Librairie St. François; Couvin, Oeuvre St. François, 1913, in-24°, XXII, 84 pp. (1 fr.): *Nouvelle Biblioth. Franciscaine,* 2e Série, t. XI.

⁂ Il a déjà été question ici-même (AFH VI, 341s.) de l'article du R. P. Cuthbert, O. S. F. C., *La Règle primitive de Frères Mineurs de Saint François* (*1209*): *Etud. Francisc.,* XXIX, 1913, 140-53. Ce n'est qu'une version de l'Appendice I du livre de l'A.: *Life of Saint Francis,* 393-403; v. AFH VI, 338ss. Cette reconstruction de la Règle de 1209 ne saurait nullement être appelée une tentative heureuse.

⁂ Le bel article de vulgarisation de M. J. Pacheu, *Jacopone de Todi, prédicateur populaire 1230-1306: Etud. Francisc.,* XXIX, 1913, 504-19, repose naturellement sur les poèmes de Jacopone. L'A. en traduit, en prose, plusieurs passages et ajoute, à la fin, une version en vers de la « lauda »: *Fiorito è Cristo nella carne pura;* v. *Laude di Jacopone,* ed. G. Ferri, Roma 1910, n. 100, p. 163-5.

⁂ M. J. Pacheu y communique (l. c. 505) qu'il prépare une *Etude plus complète sur Jacopone.* Elle comprendra en outre les chapitres: Le Converti; le poète mystique; l'auteur du *Stabat;* le Spirituel; sa prison, sa mort et son influence posthume.

⁂ *Une lettre inédite de Pierre de Jean Olivi,* tel est le titre d'un article publié par le R. P. Gratien, O. M. Cap., dans les *Etud. Francisc.,* XXIX, 1913, 414-22. Il s'agit d'une lettre adressée par Olivi « à Fr. Raymond Gaufridi », (ou à « *Fr. R. de Camliaco* »). Olivi y défend 20 (19) de ses opinions philosophiques et théologiques, censurées par quelque commission. Dans l'épilogue (420-2) Olivi dit sa pensée sur plusieurs dogmes, etc., en y ajoutant sa ferme croyance: « *quod ordo Francisci flagellis ac temptationibus innumeris primitus excussus, in universo orbe Domini cultum altissime reparabit* » (421), ce qu'il dit pouvoir entrevoir



moyennant la Sainte Ecriture (422). La lettre ou mieux l'apologie a été écrite « *in Montepesulano feria IV post Christi divinissimum Pascha* » (422). A son tour, Olivi y attaque plusieurs opinions d'un certain « *Fr. A. bone memorie* ». Le P. Gratien pense (419), que ce « *Fr. A.* » ne fut point Fr. Arnaud de Roccafolio (comme l'avait cru le R. P. Ehrle, ALKG III, 478), car ce Fr. Arnaud semble avoir été Provincial de Provence, encore en 1300 (Hauréau, *Bernh. Délicieux,* Paris 1877, 5, 167), mais ç'aurait été peut-être Fr. Arnauld Galhard (v. ALKG III, 16), ou Arlotto de Prato [v. l. c. III, 480]. Dans cette dernière hypothèse, il faudrait placer la date de cette apologie après 1286, dit-il (l. c.), et non pas entre 1283-1285, ainsi que le R. P. Ehrle l'avait supposé (l. c. III, 426s.). — Il faut savoir, en effet, que le R. P. Ehrle n'a pas seulement connu cette lettre soi-disant *inédite* d'Olivi, mais qu'il en signala une édition dans un rarissime imprimé: *Quodlibeta Fr. Olivi* (Venetiis, Laz. Soardus, 1509), f. 51v-53r: ALKG III, 467ss., 469 n. 7. En outre le R. P. Gr. ne publie que des extraits de cette lettre, tandis que Du Plessis D'Argentré, *Collectio iudiciorum,* I, Paris 1728, 131-2, en avait donné, lui-aussi, de plus longs passages des questions doctrinales. Le titre de l'article du R. P. Gr. est donc passablement inexact; et cela d'autant plus que l'A. n'ignorait pas les travaux de ses deux célèbres devanciers. C'est dans l'édition de Venise (v. ALKG III, 469 n. 7) que cette apologie d'Olivi est adressée au « *Fr. R. de Camliaco* » (v. plus haut, p. 592 l. 48). — La nouvelle édition partielle du R. P. Gr. est basée sur le MS. de la Bibliothèque Nationale de Paris: *Nouv. Acq. lat. 774,* du XIV siècle, 107 ff. (107×150 mm.), f. 94r-98r. Il y a dans ce MS., 1) Olivi, *Expositio in Apocal.,* f. 1-41; 2) Olivi, *Exp. in Isaiam,* f. 42-72; 3) Olivi, *Littera ad XXI sibi impositos:* Nîmes 1285, f. 72r-94, v. ALKG III, 418-21, 425, 469 n. 6; 4) la lettre en question; 5) Réponse d'Olivi à la *lettre des sept sceaux,* f. 98-100, v. ALKG III, 421s.; 6) un fragment du *Liber de laudibus* de Bernard de Besse, f. 100-1; enfin 7) un sermon (anonyme) sur la pénitence, f. 101-6.

⁂ L'historien des Franciscains en Aquitaine, le T. R. P. Othon de Pavie, O. F. M. (v. AFH I, 634 ss.), publia en 1910 une chronique historique des 50 années de vie religieuse et active de la nouvelle Aquitaine; v. AFH VI, 424s. *Cinquantenaire de la Province St.-Louis d'Anjou O. F. M., en Aquitaine 1860-1910,* Bourges, Tardy-Pigelet 1910, in-8°, 121 pp. — Le P. Joseph Aréso (1797-1878), chassé d'Espagne par la révolution de 1834, était passé en France, où il devint le premier restaurateur de l'Ordre. Il fut autorisé, en 1851, à fonder un premier couvent à Saint-Palais. Le 23 nov. 1860 il fut élu premier Provincial de Saint-Louis. Il mourut le 17 févr. 1878 (54 s.). La Province se développa rapidement; en 1892 la Province de (S. Pierre de) France en fut détachée (74 ss.). L'Aquitaine aida aussi à la restauration de la Province d'Andalousie (57ss., 78), etc. L'A. qui fut lui-même à trois reprises (1889, 1895, 1898) Provincial de Saint-Louis, parle aussi de plusieurs couvents de Clarisses et de Sœurs-Tertiaires dépendant de la Province. Son intéressant ouvrage reproduit d'ailleurs maintes pages du vol. IV de son *Aquitaine Séraphique,* IV, 490 et suiv. Le vénérable Auteur eut lui-même une grande part dans les événements racontés sobrement dans ces Annales du Cinquantenaire. Il aurait pu y entremêler, sans doute, beaucoup de souvenirs intimes et personnels.

⁂ Après avoir publié, en 1907, la jolie plaquette: *Le B. Gabriel Maria O. F. M. 1460-1532, Fondateur de l'Ordre des Annonciades,* Rodez,



1907, in-12°, 40 pp., le T. R. P. OTHON RANSAN DE PAVIE, O. F. M., prépara une grande vie de ce même Frère Mineur, disciple fervent de St. François, administrateur habile, directeur éclairé de la Bse Jeanne de Valois dans la fondation des Annonciades. La Vie de la Bse Jeanne occupe en effet une grande partie de l'ouvrage (chap. IV-IX; p. 45-160). A peine monté sur le trône de France (7 avril 1498), Louis XII s'empressa de faire déclarer nul son mariage avec Jeanne (17 déc. 1498), qui se retira à Bourges (45ss.). Le P. Gilbert Nicolaï, son confesseur (50ss.), l'y suivit. C'est lui qui écrivit la première Règle des Annonciades et plus tard un commentaire autorisé. C'est lui qui en obtint d'Alexandre VI l'approbation: bulle du 12 février 1502 (100ss.). La vêture des premières Sœurs eut lieu le 20 oct. 1502 (123). La fondatrice elle-même fit sa profession, le 26 mai 1504 (131), mais elle continua à habiter, jusqu'à sa mort, (4 févr. 1505) le palais contigu au monastère (148ss.). — Gilbert Nicolaï, lui, naquit à Riom vers 1460 (3); il prit l'habit chez les Observants de La Fond près de La Rochelle (19), dans la Province de Touraine. D'abord Gardien d'Amboise, Gilbert Nicolaï serait devenu successivement Vicaire Provincial, de Touraine, de Provence, de Bourgogne, de France et d'Aquitaine (37), (et non pas Provincial, comme s'exprime couramment l'A. 37, 163, 175ss., 182, etc.) Il fut, certainement, Vicaire Général des Observants Ultramontains de 1511-14 et de 1516-17. En 1517, il fut élu premier Commissaire général des mêmes Observants, jusqu'en 1523. Il devint alors Provincial de Touraine. Aux Chapitres de Burgos (1523) et de Parme (1529) il fut nommé Définiteur général. Il mourut à Rodez, au monastère des Annonciades, le 27 août 1532 (251ss.). L'A. raconte quantité de traits remarquables et de faits miraculeux. Quand en 1544, on ouvrit son tombeau, on trouva son corps presqu'intact; le 7 février 1625, autre exhumation et reconnaissance « des ossements de ce saint corps en entier » (283). Le P. Jean Blancone, qui avait fait reconnaître les saints restes, publia à Toulouse, en 1627: *La Vie admirable et exemplaire du vénérable P. Gabriel Maria.* Le P. Paulin du Gast, O. M. Obs., fit paraître: *Les triomphes de la piété dans la vie du Bx. Gabriel Maria,* Poitiers 1669. — Outre les ouvrages d'une nature plus générale l'A. a eu à sa disposition les travaux parus sur la Bse Jeanne de Valois et les Annonciades. Il a aussi mis à contribution plusieurs MSS. et documents d'archives (XXIII-XXVII, 281-99). Il lui était donc facile d'éviter quelques longueurs et répétitions. — Dans l'Appendice très méritoire l'A. réunit de nombreuses pièces importantes. 1) La lettre des Capitulaires (323-42) de Rabastens, notifiant l'élection de Gilbert Nicolaï comme Vicaire général: 8 juin 1511 (324s.); 2) une note sur l'Office des trois Couronnes de Notre-Seigneur et des trois Couronnes de la Sainte Vierge (324s.): deux dévotions introduites par le P. Gabriel; 3) une autre note sur le Chapelet des dix vertus de Marie (325): institué par la Bse Jeanne de Valois; 4) le Testament spirituel du Bx. Gabriel, fait en 1529 pour les Annonciades (326-31); 5) le bref de Léon X ordonnant à « *Gilberto Nicolai, commissario gli ultramont.* », le 11 juin 1517, de faire accepter aux Conceptionnistes récalcitrantes d'Espagne la Règle des Annonciades (331-3); 6) lettre du Cardinal Christophe Numaï de Forlì, (Nantes, 9 août 1518) déterminant la couleur de l'habit et du voile des Annonciades, soumises à la juridiction des Observants (334s.); 7) autre lettre de Christophe Numaï, certifiant que Léon X a changé, en sa présence, le nom de *Gilbert Nicolaï* en celui de *Gabriel Maria;* Bourges 29 juillet 1518 (335s.); 8) Lettre du P. Ber-

nard Jourdain, Provincial d'Aquitaine-Ancienne, au sujet de l'enquête à faire sur les miracles du Bx. Gabriel Maria (336-8); enfin 9) liste (de 1647) des documents pontificaux regardant les Annonciades. — Le livre contient d'ailleurs beaucoup de notices sur les monastères de cet Ordre. Mais ceux de l'Allemagne ont complètement échappé à l'A. Il y en eut, jusqu'en 1810, à Düren (fondé en 1625), à Aix-la-Chapelle (1646), à Andernach (1653), à Coesfeld (1657) et à Wiedenbrück (1669; v. AFH III, 377. Sur Coesfeld, v. Patr. Schlager, O. F. M., *Zur Geschichte der westfälischen Annuntiatenklöster* dans *Zeitschrift für vaterländische Gesch. u. Altertumskunde*, LXIV, Münster 1906, 111-130. L'A. y cite une version allemande de la Règle des Annonciades et de ses déclarations, édition faite par le célèbre P. Adam Bürvenich, O. F. M., *Die Regel des H. Ordens deren geistlichen Schwestern unser L. F. Mariä von der Verkündigung sambt den Erklärungen derselben,* Cölln 1671; et ensuite du même P. Bürvenich, *Handbuch des H. Ordens der Jungfrauen Mariae, Annuntiaten genandt, vom Ursprung, Kleydung, Privilegien und Ablässen. Item die Regel und Ordnungen dieses Ordens sampt den 40 Uebungen der 10 Evangelischen Tugenden Mariae,* Cölln 1671. Le P. Bürvenich nous a laissé (Schlager, l. c.) une chronique MS. du monastère de Düren, conservée aux archives municipales de cette ville. — Le Bx. Gabriel donna aussi une règle particulière aux Sœurs Hospitalières de l'*Institut des Tertiaires de Ste Elisabeth de Hongrie de Château-Gontier,* que Léon X approuva en 1517 (191). — R. P. Othon, O. F. M., *Le Bienheureux Gabriel Maria O. F. M. et l'Ordre de l'Annonciade,* Bourges, Tardy-Pigelet, 1913, in-8°, XXX, 349 pp. (4 fr.).

⁂ Nous devrons revenir bientôt sur le nouveau et savant ouvrage de M. J.-H. Probst, *Caractère et Origine des Idées du Bx. Raymond Lulle (Ramon Lull),* Toulouse, Ed. Privat, 1912, in-8°, XVI, 336 pp. (10 fr.).

HOLLANDE. — Le R. P. David de Kok, O. F. M., vient de nous donner une excellente version hollandaise du *Sacrum Commercium* (v. AFH VI, 409), en une brochure d'une belle impression, en rouge et noir. *Het heilig Huwelijk van den Zaligen Franciscus met Vrouwe Armoede. En boekje van Franziskaansche Poëzie. Met een inleiding van* Fr. David de Kok, O. F. M., Bussum, Paul Brand, MCMXIII, in-12°, X, 50 pp. (fl. 0, 75; relié fl. 1, 00). — Dans sa courte introduction le traducteur hollandais se limite à donner la bibliographie du sujet, en évitant toute discussion sur l'auteur, etc. Il suit, lui-aussi, le texte latin du R. P. Edouard, en empruntant à la version italienne les titres des chapitres. Il a cru devoir se passer complètement de notes. Et voulant conserver le plus possible du parfum de l'Original, il s'est attaché à le suivre de très près dans le coordonnement des mots, des membres de phrase, etc. (VIII). Ce principe une fois admis, il aurait pu, nous semble-t-il, être parfois appliqué avec plus de rigueur, p. ex. p. 4 (en bas); la petite glose p. 52 l. 19 aurait pu être mise entre crochets.

P. Michel Bihl, O. F. M.



LIBRI RECENTER AD NOS MISSI .

Quorum praecipui in *Bibliographia* huius Periodici accurate discutientur.

Historia Franciscana.

De Kok, David, O. F. M. — *Het Heilig Huwelijk van den Zaligen Franciscus met Vrouwe Armoede, En boekje van Franciskaansche Poëzie. Met en Inleiding.* Bussum, Paul Brand, 1913. In-12°, X, 58 pp. (fl. 0,75; lig. fl. 1). — Cf. 595.

Dreiling, Raymundus, O. F. M., Dr. Phil. — *Der Konzeptualismus in der Universalienlehre des Franziskanererzbischofs Petrus Aureoli (Pierre d'Auriole), nebst biographisch-bibliographischer Einleitung.* Münster i. W., Aschendorff, 1913. In-8°, XVI, 224 pp. (M. 7,50). — Cf. 589.

Engelhardt, Zephyrin, O. F. M. — *The Mission and Missionaries of California.* Vol. III: *Upper California:* Part. II: *General History. With numerous illustrations and Fac-Similes.* San Francisco, James H. Barry Co. 1913. In-8°, XVIII, 664 pp. — (3 doll.).

Giordano, Francesco, O. F. M. — *Brevi cenni storici della prodigiosa Immagine della Madre della Divina Grazia.* Milano, A. Bertarelli e C., [1913]. In-24°, 32 pp. con fig. — Cf. 585.

Golubovich, Girolamo, O. F. M. — *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa e dell'Oriente Francescano.* Tomo II. *(Addenda al sec. XIII e fonti pel sec. XIV) con tre carte geografiche dell' Oriente Francescano de' secoli XIII-XIV.* Quaracchi, Collegio S. Bonaventura, 1913. In-8° gr., VIII, 641 pp. con due facsimili d' un codice. — L. 15.

Golubovich, Girolamo, O. F. M. — *Fratris Fidentii de Padua Ord. Min. (Vicarii Terrae Sanctae) Liber Recuperationis Terrae Sanctae.* (Estr. dalla *Bibl. b.-bibl. d. T. S.* vol. II). Firenze, 1912. In-8° gr., 60 pp. — L. 2.

» » *Cipro Francescana. Dei due primi conventi di « Bello loco » e di « S. Francesco » in Nicosia di Cipro.* (Estr. dalla *Bibl. b.-bibl. d. T. S.*, vol. II). Firenze, 1912. In-8° gr., 16 pp. — L. 1.

» » *Una pagina Dantesca. Notizie inedite su frate Guido conte di Montefeltro (c. 1222-1298).* Edizione ampliata e corretta. (Estr. dalla *Bibl. b.-bibl. d. T. S.*, vol. II). Firenze, 1912. In-8° gr., 24 pp. — L. 1.

Joergensen, Johannes. — *Den hellige Frans af Assisi. En Levnedsskildring. Anden [II] Udgave.* Koebenhavn og Kristiania, Gyldendalske Boghandel, 1913. In-12°, VIII, 299 pp.

Lemmens, Leonhard, O. F. M., Dr. — *Die Franziskanerkustodie Livland und und Preussen. Beitrag zur Kirchengeschichte der Gebiete des Deutschen Ordens. Mit einer Karte von Livland.* Düsseldorf, L. Schwann, 1912. Lex. in-8°, 143 pp. (M. 7).

Probst, Jean-Henri. — *Caractère et origine des idées du Bx. Raymond Lulle.* Toulouse, Ed. Privat. 1912. In-8°, XVI, 336 pp. (10 fr.). — Cf. 595.

Schlager, Patritius, O. F. M. — *Beiträge zur Geschichte der Sächsischen Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuze, herausgegeben im Auftrage des Provinzialates.* VI Band; Jahrg. 1913. Düsseldorf, L. Schwann, [1913]. Lex. in-8°, 129 pp. (M. 6.). — Cf. 589.

Stateczny, Eusebiusz, O. F. M. — *Zywot sw. Franciszka z Asyzu opracowal na podstawie zrodlowych materyalow.* Poznán, Drukarni i Ksiegarni sw. Wojciecha. 1912. In-12°, 715 pp. — (M. 5).

Ubald, d'Alençon, [O. F. M.]. — *Sacrum Commercium. Les Noces mystiques du Bx. François d'Assise avec Madame la Pauvreté (1227). Première traduction française.* Paris, Librairie St. François; Couvin, Oeuvre St. François, 1913. In-24°, XXII, 83 pp. (fr. 1). — *Nouvelle Biblioth. Francisc.*, 2e sér. t. XI. — Cf. 591.

— — *Nella solenne consacrazione episcopale di Mons. Fr. Lodovico Antomelli dei Frati Minori Vescovo titolare di Lebda (Leptis Magna) primo Vicario Apostolico della Libia.* Numero Unico (Milano, Santuario S. Antonio, 15 giugno 1913). Milano, Casa ed. Ambrosiana, [1913]. In-4°, 59 pp. Illustr. — 587.

De licentia Ecclesiastica et Superiorum Ordinis.



DISCUSSIONES

DE SCRIPTIS QUIBUSDAM FR. IOANNIS DE RUPELLA

ORD. FR. MIN. († 1245)

Procuraturi nos Patres Collegii S. Bonaventurae editionem novam operum Alexandri de Hales, officii nostri putamus serio examinare, an eius scriptum principale, scil. eius Summa, revera ab ipso elaboratum sit. Sunt enim qui dicunt hanc Summam esse nonnisi compilationem quandam ex operibus discipulorum eius, velut S. Bonaventurae, Ioannis de Rupella, Odonis Rigaldi, Guilelmi de Melitona, immo ex operibus Alberti Magni et S. Thomae Aquinatis (1). Ad hunc finem examinavimus non solum opera iam typis mandata velut scripta S. Bonaventurae, Alberti Magni, Summam de anima Ioannis de Rupella, sed etiam aliquot tractatus nonnisi in manuscriptis conservatos ineditos. Patres Collegii iam transcripsere librum primum et secundum et tertium *Commentarii in Sententias Petri Lombardi* Odonis Rigaldi ex cod. lat. 14910 Bibl. Nat. Paris. vel ex cod. 208 Bibl. civit. Brugensis, pariter quaedam opera Ioannis de Rupella. Sed in articulo subsequenti non volo agere proprie vel ex professo de relatione eorum ad Summam Alexandri; incidenter dumtaxat observationes eiusmodi aliquas adiun-

(1) Cfr. Th. Heitz, *Essai historique sur les rapports entre la philosophie et la foi de Bérenger de Tours à S. Thomas d'Aquin,* Paris 1909, pp. 105 sq., ubi repetuntur verba R. P. Mandonnet O. Pr., ap. *Revue Thomiste,* t. IV, 1896, p. 691 in nota. — Dr. Ferdin. Brommer, *Die Lehre vom sakramentalen Charakter in der Scholastik bis Thomas von Aquin inklusive,* Paderborn 1908, p. 78. — Quod attinet speciatim relationem inter Alex. de Hales et Summam de anima Io. de Rupella cfr. Dr. I. A. Endres, in *Philosophisches Jahrbuch,* 1899, pp. 385 sq.



gam. Intentio praecipua est tractare de nonnullis scriptis Ioannis de Rupella, eorum authenticitate, amplitudine etc. (1).

Primo loco animadverto ad editionem quandam omnium operum Fr. Ioannis serio intentam, magna cum diligentia et assiduitate susceptam, at, proh dolor, non ad finem felicem perductam, non publicatam. Henry Luguet (2) tradit presbyteros Gallicos Cholet et Grasilier praeparasse talem editionem et iam permultas paginas ex variis manuscriptis transcripsisse, scil. Cholet: *De anima* 291 pp., *De articulis fidei* 780, *De decem praeceptis* 125. Grasilier: *In Matthaeum* 1498 pp., *In epistolas Pauli* 1072, *De vitiis* 780, *Sermones* 1860. Idem referunt alii nixi auctoritate dicti Henrici Luguet, velut R. P. Theophilus Domenichelli, R. P. Hilarinus Felder, O. Cap. (3). Scripta dictorum presbyterorum postea extra Galliam venerunt; eorum habemus descriptionem satis amplam et accuratam.

I. Summa de anima, etiam: Summa de anima et eius viribus. — Ex ea dantur nonnulli extractus secundum cod. quendam Parisiensem ab B. Hauréau (4). Pariter a Luguet in libris supra citatis. Praeterea integra est edita an. 1882 a R. P. Theophilo Domenichelli, ex duobus

(1) Non pauca eorum, quae in paginis sequentibus exponuntur, debemus curae et studio R. P. Egberti Smeets, O. Min. ex Provincia Germaniae Inferioris (Hollandiae). Is in nonnullis bibliothecis praeter alia opera non modica etiam lectiones variantes ex codd. infra signatis fere omnes annotavit, et sic de studiis Collegii nostri optime meritus est; pro quibus laboribus permultis iisque admodum taediosis ei maximas gratias agimus.

(2) *Essai d'analyse et de critique sur le texte inédit du traité de l'âme de Jean de La Rochelle,* Paris 1875; Avant-propos p. V. — Cfr. (ab eodem auctore): *Fratris ac magistri Iohannis a Rupella, ex eo libro hactenus inedito cui Summa de anima titulus inscribitur, psychologicam doctrinam exprompsit Henricus Luguet,* Lutetiae Paris. 1875. Praeter hos duos libros, quos prae manibus habemus, Luguet dicitur scripsisse duos alios de doctrina Rupellensis, scil. « Essai sur le traité des Vertus ou du Bonheur, de Jean de la Rochelle ». « Essai sur le traité des Vices ou du Mal, de Jean de la Rochelle ». Hi libri indicantur ut « du même auteur », in pag. II libri « Essai d'analyse et de critique » etc. modo citati. At hucusque non potuimus videre ullum exemplar eorum; an reapse publicati sint, nescimus.

(3) *La Summa de anima di Frate Giovanni De La Rochelle* dal Padre Teofilo Domenichelli, Min. Oss. Prato 1882. — P. Dr. Hilarin Felder, O. Cap., *Geschichte der wissenschaftl. Studien im Franziskanerorden,* Freiburg 1904, p. 215 n. 2.

(4) *De la philosophie scolastique,* tom. I, Paris 1850, pp. 475 sqq. Pariter in editione nova in permultis mutata et aucta, cui est titulus *Histoire de la philosophie scolastique,* Paris 1880, II p., t. I, pp. 192 sqq.



codd. scil. cod. D. IV. 970 Bibl. Nat. Florentin., qui praebuit textum, et cod. Bibl. Casanatensis Romae A. IV, 25, ex quo assumptae sunt variantes.

« Ioannes de Rupella » saepissime, etsi sine indicatione libri, citatur a Vincentio Bellovacensi († anno 1264) in *Speculo Naturali* (1), vol. 2. in libris, qui agunt de anima eiusque potentiis, velut lib. 26, capp. 2, 20, 24, 25, 85, 87, 98, 102; lib. 27, capp. 62, 64; lib. 28, capp. 9, 14, 19, 29, 33, 41, 46, 48, 53, 62, 64, 76, 82, 83, 91, 95. Paucos horum locorum excerptorum examinantes invenimus, eos sumptos esse ex nostra *Summa de anima*. Praeterea nonnulla alia capita, ubi nomen auctoris non indicatur, ex eadem deprompta sunt, velut varia capita, quae immediate sequuntur capita allegata. Pluries ad verbum cum textu a P. Domenichelli publicato concordant ita, ut ad textum revidendum adhiberi possint vel debeant.

Codices manuscripti. -- *Summa de anima* in permultis manuscriptis bibliothecarum non paucarum nobis tradita est.

a. Codices a nobis ipsis inspecti. Nos ipsi 27 eorum prae manibus habuimus examinando, describendo, lectiones colligendo. Omnes in medium proferre volumus, hinc inde aliquam notam addendo praesertim quoad nomen auctoris, cui Summa adscribitur, vel quoad authenticitatem, integritatem.

1. Paris. Bibl. Nat. lat. 3427, ex saec 13-14. *Inc.* fol. 100: « Si ignoras te, o pulcherrima mulierum ». *Des.* fol. 123: « Eo quod sit principium operabilium, et haec de viribus animae sufficiant. Explicit Summa de anima ».

2. Paris. l. c. lat. 6686 A., saec. 13. fol. 1: *Incipit.* « Summa de anima, quam dicitur composuisse frater Ioh. de Rupella ». Ignoras te etc. (ut supra). *Des.* fol. 62. « Eo quod sit principium operabilium, et haec de viribus animae ad praesens sufficiant. Explicit Summa de anima ».

3. Paris. l. c. 14891, ex saec. 13-14. *Inc.* fol. 1 ut alias. *Des.* fol. 57. « Eo quod... operabilium, et haec de viribus animae dicta sufficiant. Explicit Summa de anima magistri Ioh. de Rupella ».

4. Trecens. (Troyes), Bibl. Commun. 1891; ex saec. 13. *Inc.* fol. 331 ut alias. *Des.* fol. 373. « Eo quod... ad praesens sufficiant. Explicit tractatus de anima magistri Ioh. de Rupella ». — Hic codex forsitan ex anno 1257 sit; nam immediate ante in fine Breviloquii S. Bonaventurae scriptum est « anno Domini MCCLVII », et immediate post, ab eadem manu, Summa nostra sequitur. Etiam Luguet (p. 477) de quodam ms. Trecensi ex anno 1257 oriundo loquitur.

(1) Usi sumus editione, quae extat in bibliotheca regia Monacensi, signata « Inc. s. a. 1216 »; in neutro volumine locus vel annus impressionis traditur. Quia folia numerata non sunt, solummodo libros et capita respectiva proferre possumus.



5. Londini, Musei Britan. 22041. *Inc.* fol. 332, ut alibi. *Des.* fol. 338. « Eo quod... ad praesens sufficiant ».

6. Londini, l. c. Coll. Reg. 14. C. IV. *Inc.* et *Des.* ut alibi.

7. Cantabrigiae (Cambridge), Universit. H. h. IV. 13. *Inc.* ut alias. Sed in fine codex est mutilus, desinit verbis: « Vel ratione operationis in corpore, ut dictum est; sed anima » (ap. Domenichelli p. 211).

8. Oxonii (Oxford) Bodleian. Rawlins. 241; ex saec. 13. *Inc.* fol. 15, ut alibi. *Des.* fol. 141: « Ad explanationem autem maiorem affectionum sciendum » (ap. Domenichelli p. 279); est ergo mutilus.

9. Oxonii, Canonic. 338, ex saec. 13. *Inc.* fol. 57 ut alias. *Des.* fol. 86 verbis: « Notanda est etiam differentia quantum ad causam » (ap. Domen. p. 266 lin. 1). Codex ergo in fine mutilus est.

10. Oxonii, Exeter 9, ex saec. 15. ineunte. *Inc.* fol. 199, ut alias. *Des.* fol. 269: « Eo quod... ad praesens sufficiant. Explicit Summa de anima ».

11. Oxonii, Corp. Christi, 41, ex saec. 14 ineunte. *Inc.* fol. 84, ut alias. *Des.* fol. 114: « Eo quod... sufficiant. Explicit Summa de anima ».

12. Paris. Bibl. Mazarin. 984. *Inc.* ut alibi. *Des.* « Eo quod sit principium operabilium... et haec de viribus animae ad praesens sufficiant ». Hic codex habet inter verba *operabilium* et *et haec* tria puncta.

13. Bruxellis, Bibl. Reg. 5036-5037, ex saec. 13. *Inc.* fol. 1 ut alibi. *Des.* fol. 89. « Eo quod... ad praesens sufficiant. Explicit Summa de anima ».

14. Bruxellis, l. c. 2793-2796, ex saec. 14. Fol. 1 in margine superiore legitur: « Incipit Summa fratris Iohannis de Rupella de anima ». *Incipit:* Si ignoras, (ut alibi). *Des.* fol. 45: « Eo quod... ad praesens dicta sufficiant. Explicit Summa de anima ».

15. Bruxellis, l. c. 12014-12041, ex saec. 14; fol. 166v: *Rubr.* « Tractatus de anima et potentiis et viribus et operationibus animae compositus a magistro Iohanne de Rupella Ord. Fratr. Min. ». *Inc.* ut alibi. *Des.* « Eo quod... ad praesens sufficiant ».

16. Brugis, Bibl. Civit. 39 ex saec. 14; fol. 76r legimus: « Incipit Summa de anima ». Deinde a manu secunda, recentiori: « Author est Iohannes de Rupella ». *Inc.* Si ignoras te etc. (ut alias). *Des.* fol. 115v: « Eo quod... sufficiant. Explicit Summa de anima ».

17. Brugis, l. c. 514, ex saec. 14-15. Fol. 1 in margine superiori habetur: « Summa I. de Rupella et de anima ». In margine inferiori a manu recenti: « Summa Iohannis de Rupella Ordinis Minorum de anima ». *Inc.* ut alias. *Des.* fol. 22r: « Eo quod... sufficiant ». Sed postea sequitur: « Sed redeundum est » etc. usque ad fol. 22v.

18. Brugis, l. c. 515. ex saec. 14. In fol. 1 numerato est Rubrica a manu prima: « Summa fratris Iohannis de Rupella de anima ». *Inc.* ut alibi. *Des.* fol. 31r: « Eo quod... sufficiant ». *Rubr.* « Explicit Summa de anima fratris Iohannis de Rupella ».

19. Brugis, Bibl. Seminarii $^{87}/_{26}$, ex saec. 14. Fol. 2r incipit Rubrica: « Incipit Summa de anima fratris Iohannis de Rupella ». *Inc.* ut alibi. *Des.* fol. 45v: « Eo quod... sufficiant. Explicit Summa de anima ». Deinde fol. 46r additur tabula quaedam quaestionum: « Utrum anima sit. Quid sit secundum definitionem » etc. — Fol. 46v est altera tabula, quae desinit: « De motiva triplici, quae est per apprehensionem boni. Expliciunt problemata de Summa de anima edita a magistro Iohanne de Rupella ».

20. Atrebati (Arras) Bibl. Civitat. 537, ex saec. 14. Fol. 1 legitur in margine superiori, inter alia: « Hic auctor obiit a. 1271, fuit vero theologus Parisiensis Alexandri Halensis auditor, varia scripsit ». Dein *Rubr.:*



« Incipit Summa de anima edita a fratre Iohanne de Rupella de Ordine Fratrum Minorum ». *Inc.:* Si ignoras etc., (ut alias). *Des.* fol. 42r. « Operabilium... sufficiant ». — Sicut notatur in aliquo folio addito, scripto tertia Iulii 1856, desunt in hoc codice novem folia, quae excisa et non numerata sunt, scil. inter fol. 2-3, 7-8, 12-13, 17-18, 18-19, 25-26, 30-31, 35-36, 40-41. Et adiungitur: « Ces lacunes peuvent se remplir à l'aide des manuscrits suivants: Paris, St. Victor 538... Strassbourg n° fol. 248a-285b » etc. Hoc folium additum fuisse videtur a sacerdote Cholet; nam in eius scripto omnes codices hic dicti enumerantur, inter quos etiam cod. Strassburgensis numero non indicato.

21. Atrebati, Bibl. Civitat. 896, ex saec. 15. Hic codex mutilus quoad initium et finem est. In principio fol. 41r deest prooemium, quod habetur apud Domenichelli pag. 103. Finis sonat: « Quamvis prohibiti sint ratiocinari de sensibilibus istis » (ap. Domenichelli pag 189, lin. ult.). Etiam alius textus valde defectuosus esse videtur.

22. Trecensis Bibl. Commun. 1966, ex saec. 13-14. — Fol. 219r *Rubrica:* « Incipit Summa de anima ». *Inc.* ut alias. *Des.* fol. 266v: Eo quod... sufficiant (ut alias). *Rubr.* « Explicit Summa de anima ».

23. Trecensis l. c. 2036, ex saec. 13. In tegumento exteriori legitur: « Auctore Ioanne de Rupella Ordinis Fratrum Minorum ». Fol. 1 *Rubr.* in margine superiore: « Summa de anima ». *Inc.* ut alias. *Des.* fol. 66v: « Eo quod... ad praesens sufficiant » (ut alias).

24. In bibliotheca civitatis Montis Hanoniae, 213. ex saec. 15. — Fol. 123v in margine superiori a manu recenti: « Summa fratris Ioannis de Rupella de anima ». *Inc.* « Quoniam dictum est mihi ut meipsum cognoscam ». *Des.* fol. 142r: « Peregrinationis suae ex desiderio patriae et visionis Dei quam cernere finis. Amen ». Deinde post quatuor lineas non scriptas sequuntur, nomine auctoris omisso, excerpta quaedam ex Ioan. de Rupella *Summa de virtutibus;* de qua infra plus. Postea immediate, nova tamen linea, occurrit principium commune *Summae de animae,* scil.: « Si ignoras te, o pulcherrima mulierum ». Et fol. 200r. *Desinit commune:* « Eo quod... ad praesens sufficiant. Explicit Summa fratris Iohannis de Rupella de anima ».

25. Basileae, Bibl. Universit. F. IV. 28, ex saec. 13-14. In fol. 1r vacuo legitur: « Summa de anima Iohannis de Rupella ». Iterum ab alia manu: « Summa fratris Iohannis de Rupella de anima ». In fol. 1r numerato in margine superiori: « Summa fratris Iohannis de Rupella de anima, valde bona ». Deinde *Rubr.* « Summa fratris Iohannis de Rupella de anima ». *Incipit* textus est ut alibi: Si ignoras te, etc. *Des.* ut alibi: « Eo quod... ad praesens sufficiant. Amen ». Textus in genere cum editione nominata congruit, sed saepius defectuosus vel interpolatus esse videtur· Immediate post ipsum initium propositio quaedam intercalata est, quae in editione et in omnibus 23 codicibus, ex quibus collegimus lectiones variantes, deest. Altera ex parte desiderantur, quae legimus in editione pag. 220 lin. 6 usque ad pag. 221 lin. 7 ab infra, et etiam in omnibus tribus codicibus, quos ad hunc locum legimus, repperimus.

26. Monachii, Bibl. Regia cod. lat. 14620 ex saec 13. Fol. 108r: « Incipit magistri Iohannis de Rupella de Ordine Fratrum Minorum de anima et spiritu ». *Incipit* textus est sicut alibi: Si ignoras te, etc. *Des.* fol. 125v ut alibi: « Eo quod... ad praesens dicta sufficiant ». — Scriptura tractatus nostri est minutissima. Quia fol. 127v, etsi a manu altera, sequitur « Tractatus haeresum », in cuius fine fol. 129v legitur: « Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo. Completum est per me fratrem supra-



scriptum fideliter opus superius annotatum », forsitan concludere velis, etiam nostrum tractatum Rupellensis transcriptum esse eodem anno vel antea. At nihil aliud dictum esse videtur nisi, tractatum illum haeresum exaratum esse anno 1250, non autem eodem anno transcriptum esse. Ille enim « frater suprascriptus », Frater Rainerius, Ord. Praed. est, qui in ipso tractatu (fol. 127v col. 2) de se ipso declarat: « Ego autem frater Rainerius, olim haeresiarcha, nunc Dei gratia sacerdos in ordine fratrum Praedicatorum, licet indignus, dico indubitanter et testificor » etc. Secundum Quétif-Echard (1), hic frater Rainerius Sacconus circa an. 1258 obiit.

27. Insuper in Bibl. Civit. Trecens. cod. 1339, ex saec. 13, qui continet Rupellensis *Summam de vitiis*, fol. 127 legitur: « Incipiunt capitula in Summa de anima ». Nihil autem aliud est nisi tabula capitum Summae nostrae de anima.

Ex his codicibus tres ex integro, verbum post verbum, legimus, scil. Paris. Bibl. Nation. 3427, Trecens. 1891, Bruxellens. 5036–5037; notavimus lectiones variantes collatas ad textum editionis R. P. Domenichelli. Quoad tres alios idem ex parte aliqua fecimus, scil. quoad codd. Parisinos 6686 A et 14891 pro pp. 103–131 editionis dictae; quoad cod. Brugens. 39 pro pp. 103–152. Quoad omnes alios codices, exceptis n. 21, 25, 26, variantes annotavimus saltem quoad unam alteramve paginam in principio vel fine editionis. — Hoc scribimus, ut lector ipse iudicium ferre possit de aliquibus postea dicendis.

b. Codices, quos nos ipsi non prae manibus habuimus.

Sacerdotes Cholet et Grasilier in scriptis suis, de quibus descriptionem habemus, indicaverunt 24 codices. Inter quos soli tres sunt, qui nobis hucusque ignoti sunt, scil. 1. Florentiae, Bibl. S. Crucis scam. 36, cod. 406. At iam R. P. Domenichelli (p. 102) notat, libros ex hac bibliotheca tempore suppressionis Ordinum Religiosorum Bibliot. Nat. et Laurent. aggregatos esse, sed ibi hunc codicem non iam existere. 2. in archivo Basilicae Ss. Petri Romae. 3. Codex quidam Strassburgensis, de quo neque numerus, quo signatus est, neque bibliotheca, ubi repositus est, allegatur; suspicamur eum non iam extare, quia bibliotheca Universitatis anno 1870 tempore belli incendio destructa est. Luguet l. c. (p. 178) seriem codicum ab his sacerdotibus examinatorum in medium profert. Sed dumtaxat 23 codd. mentionem facit; oblitus est cod. Oxon. Canon. 338, quem et illi et nos ipsi perlustravimus. — R. P. Domenichelli (l. c. p. 101 sq.) tabulam apud Luguet impressam repetit, signatura bibliothecarum hincinde falso adiuncta. Sic

(1) *Scriptores Ordin. Praedicat.*, Paris 1721, tom. I, pag. 154.



falso interpretatus verba « Cambridge, University library H h. 4, 13 » dicit, in dicta bibliotheca duos codices esse, scil. num. 13 et num. 4; reapse unus solus adest, scil. H. h. IV. 13. — His adiungit Domenichelli tres, scil. duos ex Bibl Casanat. Roman. A. IV. 25, et B. IV. 14, et ex Bibl. Nat. Florent. D. IV. 970, quos describit.

Ex omnibus his codicibus hucusque dictis nonnullorum mentionem facit etiam P. Fidelis a Fanna, olim Praefectus Collegii nostri († 1881). Is enim ad praeparandam editionem operum S. Bonaventurae fere omnes bibliothecas Europae invisit, et praeter manuscripta Bonaventuriana codices multorum aliorum Scholasticorum examinavit et in catalogis suis annuntiavit et plus minusve extense descripsit. Inter codices *Summam de anima* Rupellensem continentes aliquos, quos neque Cholet neque nos ipsi inspeximus, describit, scil.

Pragae, Bibl. Capituli Metropolit., cod. LXXXVI ex saec. 15. Fol. 87r incipit prologus: Si ignoras te etc., (ut alibi). Fol. 96r *desinit:* « Et haec de viribus animae ad praesens sufficiant. Incipiunt distinctiones capitulorum libri de anima magistri Iohannis de Rupella ».

In Bibl. monasterii Gottwicensis (Austria) cod. 69 (59) ex saec. 13. Fol. 275 *Incipit:* « Si ignoras te », (ut alibi): *Des.* in fol. ultimo: « In eo quod est loqui cum intentione proferre ». Quae verba habentur apud Domenichelli p. 297 lin. ult. Codex ergo in fine mancus est.

In Bibl. monasterii Reunensis, Ord. Cisterc. (vulgo Reun, in Austria) cod. LX ex saec. 15. *Inc.* fol. 177: Si ignoras te etc. (ut alibi). *Des.* fol. 219: « Et haec de viribus animae ad praesens sufficiant, et sic est finis. Deo gratias. Explicit ».

In Bibl. monasterii Cremisani (Kremsmünster) in Austria, cod. 70, ex saec. 13-14. Fol. 202 *Inc.* ut alias: Si ignoras te. *Finis,* qui est fol. 220, est mutilus, etsi sequitur: « Explicit Summa de anima ».

Stutgardiae, Bibl. Regis privata, cod. 29, ex saec. 13. *Inc.* ut alias: Si ignoras te. *Des.* fol. 57 ut alibi: « Dicta sufficiant ad praesens. Explicit Summa de anima ».

Neapoli, Bibl. Nation. cod. VII. F. 29. Nihil aliud notatur nisi: « Summa de anima fr. Io. de Rupella. Si ignoras te ». Principium ergo idem est quod alibi.

Insuper in Bibl. Civit. Wratislaviens. in Silesia cod. I. 6, 22, ex saec. 15, fol. 196-203. In fine quidem legitur: « Explicit tractatus de Rupella notabilis de anima et eiusdem viribus ». Sed nihil aliud nisi extractus quidam esse videtur.

Praeter hos codices a P. Fideli a Fanna commemoratos nobis notus est Vindobonae, Palatina, cod. 828 ex saec. 14, fol. 40a-97b Iohannes de Rupella, « Summa de anima. *Incipit:* Si ignoras te, o pulcherrima mulierum... ». *Explicit:* « Ad praesens sufficiant ». Cfr. Catal. Vindobonae 1864, vol. I, pag. 140, n. 828.

Quoad authenticitatem ex praecedentibus evidenter liquet: Ille tractatus philosophicus, qui communiter *Summa de anima* dicitur et Ioanni de Rupella attribuitur, revera ab



eodem exaratus est. Nam multi codices ex saeculis 13, 14 et 15 eum auctorem designant, nullus codex nobis notus aliud nomen nominat. Idem ab auctoritate magna Vincentii Bellovacensis confirmatur. Illa autem Summa cod. 213 Bibl. Montis Hanoniae, fol. 123, quae incipit: « Quoniam dictum est » etc. (cfr. supra pag. 601 n. 24) et ibi adiudicatur eidem Scholastico, absque dubio spuria est. Accedit, quod haec a manu recenti ei adscribitur, et quod error ex eo ortus esse videtur, quod in linea immediate sequenti post finem eius Summae, additur Summa Rupellensis genuina.

De integritate breviter notandum est: Ex magno numero codicum apparet, *initium* sonare: « Si ignoras te, o pulcherrima mulierum » etc., et *finis:* « Eo quod sit principium operabilium, et haec de viribus animae ad praesens sufficiant ». Lectiones variantes aliquorum codicum rem potius confirmant quam negant. — Textus, quatenus ex codicibus a nobis examinatis, ex integro vel saltem ex parte lectis, concluditur, in genere bene conservatus est.

Ex magno numero manuscriptorum, qui in multis bibliothecis, praesertim Galliae, Belgii et Angliae extant, etiam apparet, Summam Rupellensem de anima creberrime transcriptam et eo ipso *magni aestimatam fuisse*, etiam saeculo 14. et 15.

De editione R. P. Domenichelli. Absque dubio haec editio pro tempore suo opus meritorium fuit, et ad cognitionem Scholasticae, speciatim doctrinae Rupellensis, meliorem acquirendam non paulum contulit. At viri docti lamentari non cessant, hanc editionem non esse sufficientem conditionibus nunc temporis requisitis, quia praeter alia in genere in solis duobus codicibus fundari videtur, scil. in cod. D. IV 970 Bibl. Nation. Florentin., qui praebuit textum, et in cod. Bibl. Casanatensi Roman. A, IV, 25, ex quo variantes annotatae sunt. Accedit quod hi duo codices iuniores sunt, imo non raro peiores, neque desunt multi alii antiquiores et in genere meliores.

Haec editio absque dubio initium rectum praebet, verbis: « Si ignoras te, o pulcherrima mulierum ». Pariter in textu, quatenus ex codicibus multis a nobis examinatis et variantibus collectis concludere licet, additiones vel omissiones maioris amplitudinis non praesefert, sed hinc-inde nonnisi linearum paucarum. At aliter quoad finem res se habet. Omnes codices supra dicti, in quantum mutili non sunt, finiunt verbis, quae leguntur in editione pag. 299, lin. 26: « Eo quod sit principinm operabilium ». Sed addunt:



« Et haec de viribus animae ad praesens sufficiant ». Aliqui omittunt *ad praesens*, vel legunt: « de viribus animae *dicta* sufficiant, « vel variant alio modo, sed substantialiter eundem finem habent. Accedit quod non pauci continuant: *Explicit; Explicit Summa de anima; Explicit tractatus de anima magistri Iohan. de Rupella; Explicit Summa de anima magistri Ioh. de Rupella; Explicit Summa de anima; Expliciunt problemata de Summa de anima edita a magistro Ioh. de Rupella*, etc. Ex quo evidenter concludatur, textum in editione a pag. 299 lin. 26: « Liberum igitur arbitrium » usque ad finem in pag. 301 esse spurium. De cetero etiam P. Domenichelli in editione a pag. 298 non iam dat variantes, et sic omnia sequentia uni soli codici inniti videntur, scil. cod. D. IV. 970 Bibl. Nat. Florent.; sed is codex est saeculi XV, sicut editor (pag. 102) ipse declarat.

Non negamus, inveniri etiam in aliis codd. aliquas *additiones*. Sic in cod. lat. 14891 Bibl. Nat. Paris. post tractatum de anima legitur: « Si quaeratur cui parti philosophiae supponitur tractatus iste » etc., sed additio complectitur solum paucas lineas, et est diversa ab additione in editione invenienda; et immediate ante scriptum est: « et haec de viribus animae dicta sufficiant; explicit Summa de anima magistri Ioh. de Rupella ». — Cod. 22041 Musei Britan. Londin. post verba: « Haec de viribus animae ad praesens sufficiant », continet duas additiones. Prior (fol. 388-394r) incipit: « Item dicit Aristoteles in libro de anima: anima est actus primus » etc. At hoc totum argumentum occurrit iam antea in textu, et quasi verbotenus congruit cum illa parte, quae legitur in editione pp. 110-111 sub num. V. Pariter plurima alia saltem secundum sensum, non pauca etiam litteraliter, ex textu antecedenti genuino sumpta sunt; verbotenus e. c. occurrunt omnia, quae in editione sub num. XXXIX pp. 295-97 habentur. — Altera additio fol. 394r-397r agit de virtutibus, speciatim de virtutibus cardinalibus. — Item in cod. Monacens. lat. 14620, fol. 125c post verba « Eo quod sit principium operabilium, et haec de viribus animae ad praesens dicta sufficiant », duae lineae vacuae sequuntur, et postea ab eadem manu continuatur: « Quaestio est de cognitione animae separatae et quaeruntur duo ». Deinde fol. 126b: « Quaeritur, utrum anima sensitiva sit immortalis ». Postea fol. 126d a manu, ut videtur, alia, sed coaeva: « Anima est substantia quaedam rationis particeps regendo corpori accommodata » (cfr. apud Domenichelli, pp. 106, 112). Usque ad



fol. 127b multae aliae sententiae breves de anima eiusque viribus et virtutibus sequuntur. — Item additiones similes vel appendices quaedam etiam in aliis codicibus, quas invisimus, inveniuntur; sed illa, quam editio indicata dat, hucusque nobis non occurrit.

De relatione inter *Summam de anima* Rupellensem et tractatus correlativos in Summa Halensi alias fusius agendum erit (1). Solummodo in genere notamus, similitudinem, immo dependentiam unius ab altero, non negari posse, velut quoad definitiones animae (2); speciatim quoad quaestiones de imagine (3) Rupellensis quasi verbotenus convenit cum Alexandro (4), et etiam alia omnia quae idem praebet de imagine, saltem ad sensum quadrant cum Halensi. Ad relationem statuendam necesse est recurrere ad opera antecedentium Scholasticorum, praesertim Philippi Grevii, ex quo Doctor Irrefragabilis absque dubio multa, etiam ad litteram, deprompsit, ut alias demonstrandum erit. Altera ex parte Summa Rupellensis amplectitur non paucos tractatus, de quibus Alexander non vel non tam prolixe vel praecise tractat, velut de vi vegetativa, de affectibus, de vi motiva etc. At apud Rupellensem desiderantur multa, e. c. de corpore humano, de vita, quae fusius exponuntur in Summa Alexandri, qualis nunc est, sed non ab Alexandro ipso exarata esse videntur.

Summa de anima, brevis amplitudine, sed copiosa et pretiosa rebus tractatis, absque dubio digna est nova editione critica. Verum est, quod ait Hauréau (l. c. p. 476): « Le traité de l'Ame de Jean de la Rochelle est un écrit digne d'estime, qui contient la matière de tous les écrits donnés plus tard á l'école, par Albert et par saint Thomas. On va l'apprécier (5) ». Ad quam suscipiendam quae et quanta – praeter alia – a nobis iam praeparata sint, ex praecedentibus elucescit. Ad eam quam primum procurandam studia nostra continuabimus.

(1) Cfr. Dr. I. A. Endres, in *Philosophisches Jahrbuch*, 1888, pp. 43 sqq., 203 sqq., 257 sqq. (2) Io. de Rup. editio, pp. 105 sqq; Alex. pars II, qu. 59, p. 191 sqq. (3) § XXV-XXXII in ed. Rupell. pp. 138 sqq.

(4) Pars I, qu. 61 membr. 1, pp. 292 sq. Cfr. pars II, qu. 20, membr. 3, § 1; qu. 62, m. 5. pp. 68 sqq., 204 sqq.

(5) Cfr. etiam G. M. Manser, O. P. « *Johann von Rupella † 1245. Ein Beitrag zu seiner Characteristik mit besonderer Berücksichtigung seiner Erkenntnislehre*, in *Jahrbuch für Philosophie u. speculative Theologie*, XXVI 1912, pp. 290-324; ibidem legas etiam varia quoad vitam et scripta Rupellensis.



II. Tractatus de anima. — Ioanni de Rupella attribuitur etiam Tractatus de anima isque diversus a Summa de anima. Inter alia legimus apud Oudinum (1). « Aliud porro opus de anima in eadem bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis manuscriptum inscriptum De Rupella, Littera I. 14 pag. seu fol. 109, quod incipit: *Sicut dicit Ioannes Damascenus Theologus, Medicus et Philosophus, anima est substantia vivens, simplex et incorporea etc.* Tractatus iste est omnino alius ab altero antedicto, licet sub nomine eiusdem auctoris, vel nullam vel modicam tam in methodo quam in quaestionibus tractatis similitudinem habens, mihique videtur esse recentioris scriptoris ». Clari Cholet et Grasilier etiam de hoc scripto investigaverunt; notant enim, manuscriptum S. Victoris indicatum fuisse a Ca. Oudin, et addunt notam: « ce manuscrit s'est perdu ». Etiam Hauréau, etsi fuit conservator MSS. bibliothecae nationalis, nihil scivit de existentia dicti codicis vel tractatus; repetiit dumtaxat verba Oudini (2). An reapse exstet, hucusque nescimus. Sed Bruxellis, Bibl. Reg. duos codices invenimus, de quibus breviter referamus.

1. In cod. 12042-12049, ex saec. 15, fol. 224r Rubrica dicit: « Incipiunt rubricae primae partis libri de anima et de multiplici definitione potentiarum eius secundum theologos, medicos, philosophos venerabilis magistri Iohannis de Rupella ». Postea incipit tabula questionum: « De definitione animae secundum Iohannem Damascenum... ». Deinde sequitur *Rubrica:* « Incipit tractatus venerabilis magistri Iohannis de Rupella Ordinis Minorum de anima et multiplici districtione (sic) potentiarum eius. Capitulum primum: de definitione Iohannis Damasceni ». Textus ipse incipit: « Sicut dicit Iohannes Damascenus magnus theologus, medicus et physicus (?): anima est substantia » etc. Fol. 225v *Rubr.*: « Sufficientia duodecim definitionum animae. Cap. secundum ». Fol. 226v: « De explanatione primae definitionis rationalis animae. Cap. tertium » etc. — *Desinit* fol. 285v: « Vivis et regnas Deus per immortalia saecula saeculorum. Amen ». — Tractatus noster inter alia in eo cum *Summa* Rupellensi *de anima* congruit, quod etiam ibi, saltem in cap. 2, aliquae definitiones proponuntnr, quarum in capp. sequentibus « explanatio » datur. At hoc fit etiam ab aliis, velut ab Alexandro Halensi, Alberto Magno. De cetero a Summa Rupellensi prorsus differt, et eum spurium esse, eo ipso concludi videtur, quod duodecim definitiones animae proponit et explanat, Ioannes de Rupella autem solas septem, post quas propositas expresse notat: « Septem ergo sunt positae definitiones » (ap. Domenichelli pag. 106, lin. ult.).

2. In cod. 12014-12041, ex saec. 14, fol. 159v-163v tractatulus anonymus occurrit, qui incipit: « Sicut dicit Damascenus, impossibile est facultatem esse expertem aliqua naturali operatione », et desinit: « Fa-

(1) *Comment. de scriptor. ecclesiast.* tom. 3, Lipsiae 1722 p. 160.
(2) L. c. p. 176. *Histoire* etc. l. c. p. 193.



cultas rationis est voluntas quo bonum etc. ». — In principio agitur de differentia inter animam et eius potentias, ubi declarat: « Unde opinio aliorum qui dicunt, quod non est potentia idem quod ipsa, sed sunt plures potentiae differentes secundum essentiam, licet non secundum substantiam, solemnior est et verior videtur ». Talis decisio etiam ab Ioan. de Rupella et Alexandro Halensi dari videtur (1).

De cetero a Summa Rupellensi et etiam a tractatu, qui in cod. Bruxellensi priore continetur, differt. A quo oriatur, nescimus.

Pariter usque modo nos fugit, an hic tractatus *De anima* Ioan. de Rupella adiudicatus reapse exstet, an sit extractus quidam a Summa de anima, an redactio quaedam compendiosa, an contineat additiones supra ex aliquibus codd. indicatas; rem examinare non cessabimus. Eo ipso ignoramus, an Rupellensis ulterius agat de viribus animae. Verba enim, quibus desinit *Summa de anima:* « haec de viribus animae ad praesens sufficiant », permittunt suspicari, eundem auctorem alibi plus de viribus animae protulisse vel prolaturum esse. De cetero etiam in eius *Summa de vitiis*, pariter in *Summa de virtutibus*, de quibus modo mentio fit, non modica de viribus animae, specialiter de voluntate, disserta sunt.

III. Summa de vitiis. — In aliquibus mss. habetur denominatio: *Theologia moralis*, *Summa de vitiis et peccatis*, *Quaestiones super vitiis*.

a. Codices, quos nos ipsi inspeximus.

1. Brugensis, Bibl. Comm. 228, ex saec. 13–14. Fol. 1. numerato in margine superiori Rubrica: « Incipit Summa fratris Iohannis de Rupella de vitiis et eorum annexis secundum definitionem et divisionem et effectum ». *Incipit* fol. 1r: « Cum summa theologicae disciplinae divisa sit in duas partes, scil. in fidem et mores, secundum quod fidelis Domini Nostri I. Chr. propheta David ait: rectum est verbum Domini » etc. *Desinit* fol. 41v: « Quasi quaedam notae bonorum operum, ex quibus etiam poterunt denosci anteacta bona opera. Si alicui melius videatur, non contendo ».

2. Trecensis, Bibl. Comm. 1339, ex saec. 13. *Inc.* fol. 5. « Cum summa theologicae disciplinae divisa sit in duas partes » etc. (ut supra). *Des.* fol. 96: « Si alicui melius videatur, non contendo. Explicit ». Deinde infra legitur: « Iohannes est nomen eius ». Quibus verbis nomen auctoris innui videtur.

3. Ravennae, Bibl. Classensis, 133 (olim 138. 3. R) ex saec. 13-14. Fol. 1r Rubrica: « Quaestiones fratris Ioannis de Rupella super vitiis ». *Inc.* et *Des.* ut supra.

4. Oxonii, Bodleian. Rawlin. 241 ex saec. 13. fol. 22 « Incipit Summa fratris Iohannis de Rupella ». *Inc.* et *Des.* ut alias.

(1) Io. de Rup. ap. Domenichelli p. 219. — Alex. Hal. Summa, pars II. qu. 65, memb. 1; ed. Colon. 1622, pag. 212b.



5. Oxonii, l. c. Exeter, 9, ex saec. 15 ineunte. Fol. 2: « Iohannis de Rupella Summa theologiae moralis ». *Inc.* ut supra. *Des.* « Ex quibus etiam poterunt dinosci anteacta bona opera. Explicit ». In fine ergo desunt sola verba: « Si alicui melius videatur, non contendo ».

6. Oxonii, l. c. Canonic. Codd. Miscell. 271, ex saec. 14. *Inc.* ut alias. Sed in fine desunt lineae paucae. Catalogus autem confectus a H. O. Coxe, (pars III, Oxonii 1854, pag. 640), falso scribit: « Desinit in cap. De sacramento altaris cum verbis: *officio diligenter attendat ut ad officium* ». Nam ultima folia codicis (foll. 182-184) continent partem operis alterius, cuius initium deest.

7. Oxonii, l. c. Laudian. Codd. Miscell. 221 ex saec. 13-14. Fol. 1. « Iohannis de Rupella, Ord. Minor. Summa de vitiis ». *Inc.* et *Des.* ut alibi. In calce fol. 76v: « Explicit Summa de vitiis magistri Iohannis de Rupella ».

8. Paris. Bibl. Nation. 16417. « Quaestiones Ioh. de Rupella super vitiis ». *Inc.* ut alibi. *Des.* fol. 69, ut alibi: « Non contendo. Explicit ».

9. Paris. Bibl. Mazarin. 984 (olim 1049). « Incipit Summa de vitiis et peccatis ». *Inc.* et *Des.* ut supra. In fine additur: « Explicit hoc opusculum ».

10. Cantabrigiae, Coll. Pembroke, 21. *Inc.* et *Des.* ut alibi. In fine adiungitur: « Explicit Summa fratris Iohannis de Rupella ».

b. Codices alii a nobis non examinati.

Sacerdotes laudati Cholet et Grasilier in scriptis suis praeter codices dictos enumerant alios scil.: Romae, Vatican. 4293; Assisii, Bibl. S. Conventus; Ulissibonae, Bibl. Nation. K. 2. 58; Cantabrigiae, Coll. SS. Trinitat., « Lambeth Palace » 206 et 580 (id est Bibl. Archiepiscop. Londin.). Scripti ab iis confecti *initium* sonat. « Cum summa theologicae disciplinae divisa sit in duas partes » etc. (ut supra). *Finis* autem: « Quasi quaedam notae bonorum operum... non contendo. Explicit ». Ergo idem *Incipit* et *Explicit*, quod codices a nobis perlustrati monstrant.

Etiam P. Fidelis a Fanna aliquos codices breviter descripsit, ex parte eos, quos nos vel dicti sacerdotes Gallici enumeravimus. Descriptionem demus eorum, qui nondum sunt descripti.

1. Ulissibon. Nation. codex modo Z. 3. 13 (olim K. 2. 58) in 8°, ex saec. 13. « Incipit Summa de moribus secundum Ioh. de Rupella ». *Inc.* « Cum Summa theologicae disciplinae » etc. In fine mutilus. *Des.* fol. 184: « Quia tamen omnia nota omnibus de se poterunt iudicare et de aliis, sed constat quod tunc... ». (Folia desunt).

2. Romae, Vatican. cod. 4293, ex saec. 13. « Summa fratris Ioh. de Rupella de vitiis ». « Cum summa theol. disciplinae ». « Habet 362 quaestiones breves ». Ergo idem *Incipit.*

3. Lucernae in Bibl. Cantonali. codex sine indicatione, in fol. grandi; membr., saec. 13. fol. 1r *Rubr.*: « Incipit Summa fratris Ioh. de Rupella de vitiis ». *Incipit.*: « Summa theologicae disciplinae divisa est in duas partes ». *Des.* fol. 80: « Si alicui melius videatur, non contendo ».



4. Stutgardiae, Bibl. regis privata, 29. in 4°; ex saec. 13. *Inc.* fol. 134: « Cum summa theologicae disciplinae ». *Des.* « Si alicui melius videatur, non contendo ». « Explicit Summa Ioh. de Rupella de vitiis ».

Praeterea Dom. Bibliothecarius Bibl. Civitat. « Salins » in Gallia descriptionem hanc benignissime nobis misit: Salins, Bibl. Civitat. n. 10. Fol. 1. « Incipit Summa de vitiis magistri *Alexandri de hallis*. Cum Theologia divisa sit in duas partes » etc. *Des.* « Et si alicui melius videatur, non contendo ». Ex anno 1468. Habet 130 foll.

Haec Summa inedita est, et usque modo nihil de ea vel ex ea publicatum fuit. Patres Collegii nostri eam transcripserunt, paginas in fol. 572, ex codice 228 Bibl. Brugensis. Praeterea habemus lectiones variantes annotatas ex 8 aliis codd. pro paginis primis et ultimis scripti nostri. Hi codd. sunt Paris. Bibl. Nat. lat. 16417; Paris. Bibl. Mazarin. 984; Cantabrig. (Cambridge) Pembroke Coll. 21; Oxon. (Oxford) Bodleian. Rawlins. 241; Oxon. Colleg. Exoniens. 9; Oxon. Laudian. Miscell. 221; Oxon. Canonic. Miscell. 271; Trecens. 1339. (Ex duobus codd. Parisiensibus assignatae sunt variantes pro pp. 1-14).

Authenticitas et integritas. Ex praecedentibus satis patet, fr. Io. de Rupella reapse auctorem esse *Summae de vitiis* ei attributae. Nam auctor in codicibus supra descriptis undecies nominatur: *Frater (magister) Ioh. de Rupella Ord. Min.* Cod. n. 10 Bibl. de Salins dicit: « Incipit Summa de vitiis magistri *Alex. de Hallis* »; similiter in fine. At hic cod. est ex iunioribus; scriptus est « anno incarnationis divinae 1468 die 5 mensis octobris ». — Item quoad integritatem luculenter apparet, eius Summae initium et finem sonare, ut supra in descriptione codicis Brugensis annotavimus.

In prooemio Summae nostrae occurrit *locus, qui est maximi momenti* ad iudicandum animum auctoris, immo ad iudicandam affinitatem, quae est inter scripta eius et scripta correlativa Alexandri de Hales. Hic locus quin sit authenticus, vix dubitari potest; habetur enim in omnibus 9 codd., ex quibus transcripsimus textum vel variantes, quae variantes non mutant sensum. Citamus secundum transcriptionem nostram, lectionum variantium unam alteramve addimus in parenthesi: « *De peccatis vero, Deo actore, cui honor et gloria, tractabimus, non novitates adinventas, sed magistrorum nostrorum non solum summas* [*sententias* (?); sic forsitan legendum sit in unico cod.] *sed et verba sequentes et modum tractandi per modum inquirentium et disputantium ad quaestionem. Siquidem mihi valde dif-*

ficile fuit propter duo: unum est quia imperitus revera, quasi praesumptuosus; per oboedientiam tamen supra vires opus istud incepi; aliud est quia quam confuse, quam inordinate, quam diminute notitia peccatorum tradita sit, norint qui student circa huiusmodi. Nunc autem absit a me [ut me] artificiose, ordinate, sufficienter tractare dixerim... sed ad intelligentiam minorum et parum intelligentium puto aliquantulum utilem esse tractatum ». Reapse Summa saepius non solum easdem sententias, sed etiam verba eadem ostendit quae Alexander in quaestionibus de malo et peccato. In genere invenimus utrobique eandem divisionem et ordinem quaestionum. Sed circa finem tractatus etiam illae quaestiones tractantur, quas velut de homicidio, duello, tyrocinio, rapina, usura, fraudulento contractu et furto, Halensis tractandas annuntiat, sed revera non tractat (1).

Pariter reperimus interdum, ea quae dicit Io. de Rupella, verbotenus occurrere apud Doctorem Irrefragabilem. Sic quaestio (in cod. Brugensi fol. 37v): « Quid sit dimittendum propter scandalum », concordat quasi in omnibus ad litteram cum Summa Alexandri (2), aliquibus omissis, velut auctoritatibus ex SS. Patribus sumptis. In genere sunt quaestiones apud Fr. Ioannem multo breviores quam quaestiones parallelae apud Halensem. — Ex hoc et aliis rationibus forsitan concludatur, Rupellensem ex Halensi hausisse. At obstare videntur eius verba: « Mihi valde difficile fuit propter duo... supra vires opus istud incepi; aliud est, quia quam confuse, quam inordinate, quam diminute notitia peccatorum tradita sit, norint qui student circa huiusmodi ». An ita loqui potuisset Rupellensis, si Summam Alexandri cognovisset? Forsitan magistri illi, quorum non solum sententias, sed et verba fr. Iohannes sequitur, alii sint; et Summa Alexandri quoad tractatum de malo reapse incompleta est, non solum in fine, sicut diximus, sed etiam alibi. Rem iniudicatam relinquimus.

IV. Summa de virtutibus. — Waddingus (3) inter opera Rupellensis enumerat « Summam virtutum et vitiorum; habetur ms. in Bibliotheca Assisii PP. Conventualium et in Bibliotheca Vaticana ». Eius verba repetit Oudinus (l. c. p. 160) nihil aliud addens. P. Domenichelli (l. c. p. 82) indicat: « III. Summa de vitiis. IV. Summa virtutum et vitio-

(1) Cfr. Alex. Hal. *Summa*, pars II qu. 171 in princ. (secund. ed. Coloniens. an. 1622, pag. 771).

(2) L. c. pars II membr. 6, pagg. 774 sq.

(3) *Scriptores Ord. Min.*, Romae 1806, p. 153.



rum. V. De decem praeceptis. VI. Summa de anima. VII. Tractatus de anima ». — Sacerdotes Cholet et Grasilier loquuntur de opere, cui est titulus « De virtutibus et beatitudinibus »; dicunt hoc opus contineri in duobus codd., scil in cod. Paris. St. Victor. 538 (nunc Bibl. Nat. lat. 14891), ubi revera invenitur, et in aliquo cod. Brugensi vel Trecensi (?). — Bibliothecam Brugensem Patres aliqui Collegii nostri iteratis vicibus perscrutati sunt, etiam quoad scripta Rupellensis investiganda, sed nihil invenerunt. — In Bibl. Trecensi secundum catalogum (anni 1855) pag. 557 in cod. 1339 exstat « Incerti Summa de vitiis et virtutibus ». Sed codicem ipsum inspicientes invenimus hanc Summam idem esse cum Summa de vitiis Rupellensi. — Forsitan cod. Vatican., quem citat Waddingus, est cod. 4293 secundum catalog. P. Fidelis a Fanna, et secundum hunc continet et ipse Summam de vitiis. — Sed cod. Bibl. Nat. lat. 14891, quem nos ipsi inspeximus, absque dubio post Summam de anima Io. de Rupella fol. 57-78 tradit ab eodem auctore tractatum « De gratiis, virtutibus et beatitudinibus » *Incipit* fol. 57 sonat: « *Quoniam post diffinitionem potentiarum animae, quales habet anima secundum se, determinat Augustinus de virtutibus, ideo et nos* » etc. *Explicit.* fol. 78r: « *Unde Aristoteles: speculativus intellectus extensione fit practicus. Explicit.* ». — Fol. 57 legimus indicem sequentem quaestionum:

De divisione gratiae communiter et lineae iustitiae.

De divisione gratiae proprie sumptae.

De multiplici diffinitione virtutum et distinctione et sufficientia.

De divisione virtutum secundum Plotinum philosophum.

De divisione virtutum secundum Tullium philosophum.

De divisione virtutum secundum Aristotelem consuetudinalium et intellectualium.

De divisione virtutum secundum theologos, specialiter secundum Augustinum.

De divisione virtutum secundum Dogma philosophorum.

De beatitudine communiter secundum sanctos et philosophos quid sit.

De septem diffinitionibus beatitudinis secundum Boetium in speciali.

Cuius sit beatitudo ut subiecti.

A quo sit beatitudo utrum a libero arbitrio vel natura.

De responsione ad obiecta secundum ordinem.



Quae habentur a fol. 75v usque ad finem fol. 78, potius videntur esse additiones vel notae (pars eorum impressa est apud Luguet pp. 479-485 sub titulo: Extraits du De virtutibus), velut: Nota quod *rationale sive ratio* sex modis accipitur....

Intellectus sex modis accipitur..

Spiritus multis modis dicitur..

Notandum quod duplex est *voluntas*..

Intelligentia accipitur dupliciter..

Imaginatio dupliciter accipitur..

Hae additiones vel notae, iam ab Luguet publicatae, etiam in codice Bibl. Civit. Montis Hanoniae n. 213 fol. 142r-144r reperiuntur. Incipiunt etiam hic: « Nota quod rationale seu ratio sex modis accipitur », et desinunt pariter: « Unde Aristoteles: speculativus intellectus extensione fit practicus ». Sed ordo vel series earum in hoc codice partim diversa est. Locum tenent in hoc codice inter *Summam de anima* Ioanni de Rupella falso attributam et *Summam de anima* reapse ab eo oriundam (cfr. supra pag. 601 n. 24), et ab eadem manu scriptae esse videntur. Hoc saltem innuitur, hanc partem adscribendam esse dicto Scholastico.

Nonnullae aliae *Summae de virtutibus* anonymae, quas in codicibus diversis bibliothecarum aliquarum invisimus, cum Summa Rupellensi adscripta non conveniunt.

Ex brevitate scripti et indice allegato apparet primo aspectu, tractatum de virtutibus, qualis in dicto codice repositus est, omnino differre quoad materias et modum dicendi ab amplis quaestionibus Halensis de gratia et virtutibus, quae exponuntur in Summa theologica eius (pars III. qu. 61 sqq.). In Summa de virtutibus autem, falso Halensi adscripta, plurimae nostrarum quaestionum tractantur idque multo prolixius quam apud Rupellensem factum esse videtur. Haec Summa autem voluminosa absque dubio hausit non pauca ex Summa de bono Philippi Grevii, cancellarii Parisiensis, sicut statui ex collatione cum cod. Laurentian. pl. 36 dext. 4 (1).

De virtute et de beatitudinibus quaestiones quaedam breves habentur etiam in codd., quos infra indicamus quoad Summam de articulis fidei, et Summam de decem praeceptis.

(1) Cf. *Festgabe zum 60. Geburtstag Clemens Bäumker*, Münster 1913: Minges Parth. *Philosophiegeschichtliche Bemerkungen über die dem Alex. von Hales zugeschriebene Summa de virtutibus* (pp. 129-38).



V. Summa de articulis fidei. — Henry Luguet tradit, Cholet transcripsisse « De articul. fidei, 780 pp. », et sic credas, agi de opere quodam voluminoso. At facto scriptum ab eo compositum non habuit plus quam 45 paginas. Usus est tribus manuscriptis, nempe Taurinens. Bibl. Univ. I. VI. 13 (olim 783); Mediol. Bibl. Univ. Collectio Brera, A. D. IX. 13; Matrit. Bibl. Escorial. C. VI. 2. De his aliisque codicibus paulum dicamus.

1. Cod. Taurin. Bibl. Univ. I. VI. 13 (olim 783) proh dolor, incendio anno 1904 periit. Nihil aliud de eo scimus nisi quod eum antea inspicientes reliquerunt. Catalogus codicum bibliothecae a Pasino elaboratus, (Taurini 1749, tom. II, p. 257a) in descriptione cod. 783 vel E. II. 16 ex saec. 14 notat: « Fol. 50. *Summula articulorum Fratris Ioannis de Rupella,* quae incipit: Summa catholicae disciplinae in duobus consistit, in fide et moribus etc. ». Plura P. Fidelis a Fanna tradit, scil.: « Cod. I. VI. 13 (olim 783). m. in 8. s. XIII folior. 94, binis columnis exaratus... fol. 50r col. 1 in sup. marg. Summula articulorum fratr. Io. de Rupella. — *Inc:* « Summa catholicae disciplinae in duobus consistit, in fide et moribus, sicut dicitur in prologo super psalm. Fides autem dupliciter accipitur, sicut dicitur in Sententiis ». Tunc declarat, expositionem esse trium symbolorum, scil. symboli apostolici, illius quod cantatur in Missa, et symboli Athanasii. *Des.* fol. 52v col. 2 in fine: « Laus, honor et gratiarum actio beatae Trinitati vivo et vero Deo, cuius fides in trino symbolo scripta est per Iesum Chr. in s. s. amen ». Etiam *Cholet* titulum dat: « Summula articulorum Fratris Ioan. de Rupella ». Haec inscriptio ergo absque dubio in codice ipso legenda fuit.

2. Matriti, Bibl. Escorial. cod. E. 97. IV. c. 2 (haec signatura differt ab illa, quam Cholet exhibet.) in 8°. ex saec. 14. Fol. 1r: « Incipit Summa de articulis fidei edita a fratre Io. de Rupella ». *Inc.:* « Summa theologicae disciplinae in duobus consistit, scil. in fide et moribus etc. » (Etiam hic addit, expositionem trium symbolorum esse, ut supra). *Des.* fol. 18r: « Cuius fides in trino symbolo scripta est per Iesum Chr. in s. s. amen ».

3. Mediolan. Bibl. Univ. Collectio Brera, A. D. IX. 7. Hic codex ab eodem P. Fidele descriptus et etiam a nobis inspectus est. Ex saec. 14. est, habet *Incipit* et *Desinit* idem quod duo alii codices. In principio fol. 75r. Rubrica: « Incipit Summa de articulis, quam fecit fr. Iohannes de Rupella de ordine fratrum minorum ». In fine additur a Rubrica: « Explicit expositio symboli ».

Idem P. Fidelis duos alios describit, scil.

4. Romae, Bibl. Casanat. A. V. 43 (olim AB. IV. 68), ex saec. 13. « Incipit Summa de articulis fidei edita a fratre Ioanne de Rupella de ordine minorum ». *Inc.* « Summa theologicae disciplinae in duobus consistit » *Incipit* ergo ut alibi, *Desinit* non indicatur.

5. Bruxellis, Bibl. Regia, 21865, ex saec. 15. Fol. 30v in margine: « Incipit liber de articulis fidei secundum fratrem Iohannem de Rupolla (Zupolla?) de ordine fratrum minorum » *Incipit:* « Summa theologicae disciplinae » etc., ut alibi. *Desinit* fol. 33r verbis: « Articulus non est ». Est fragmentum.



Praeterea deteximus:

6. Londini, Musei Britann. 22041. fol. 397 r *Inc.:* « Summa theologicae disciplinae in duobus consistit » etc., ut alias. *Des.* fol. 406 v: « Item filius dicitur vita propter creationem »; finis ergo mutilus est. Is codex anonymus est, sed, sicut supra (p. 600 n. 5) dictum est, *Summam de anima* Rupellensis continet, finit eam fol. 397 a, et immediate post (fol. 397 b) continuat idque eadem scriptura: « Summa theologicae disciplinae » etc. Simile de codice sequenti dicendum est.

7. Monachii, Bibl. Regia, cod. lat. 14620. Codex est idem, quem supra (p. 601 n. 26) descripsimus. Examinando *Summam de anima* Rupellensem ibi legendam invenimus (fol. 130 r-134 v) expositionem anonymam symboli, quae prae se fert idem *Incipit* et *Desinit,* ut alibi, scil. *Inc.:* « Summa theologicae disciplinae » etc., *Des.*: « Laus, honor .. cuius fides in trino symbolo scripta est per Iesum Christum in saecula saeculorum Amen ». Additur: « Explicit expositio symboli ».

Tractatus noster est secundum intentionem auctoris pars compendii cuiusdam, quod continet in forma brevi et facili gravissimas doctrinas dogmaticas et morales in usum simplicium sacerdotum, parochorum vel religiosorum, quibus pecunia ad Summas theologicas voluminosas et pretiosas acquirendas vel tempus, animus et facultas ad earum studium deest. Hoc ex ipso exordio sequi videtur. Quod exordium sumpsimus ex codice Monacensi, unum alterumque verbum corrigentes secundum codices Mediolanensem et Bruxellensem. Variantes codicum singulorum sensum substantialiter nullatenus mutant. Etiam codex Matritensis congruere videtur, quatenus ex descriptione P. Fidelis erui potest.

« Summa theologicae disciplinae in duobus consistit, in fide et moribus, sicut dicitur in prologo super psalterium. Fides autem dupliciter accipitur, ut dicitur in Sententiis. Est enim fides qua creditur, et haec est fides virtus, de qua infra dicetur suo loco; et est fides, quod creditur et haec fides nihil aliud est quam articuli fidei, de quibus est prima intentio huius tractatus. Mores autem dividuntur in duo, in peccata et in remedia peccatorum. Similis enim est consideratio moralis medicinae. Sicut enim tota intentio medici consistit in cognitione aegritudinis corporalis, quae expellenda est, et in cognitione sanitatis corporalis, quae conservanda est, sic tota intentio theologi moralis in cognitione aegritudinis spiritualis, quae est peccatum, et in cognitione sanitatis spiritualis, quae est peccati remedium. Illud fugiendum, istud quaerendum. Unde in psalmo: declina a malo et fac bonum. Remedia vero peccati sunt quatuor. Nam peccatum, quod est aegritudo spiritus, quatuor damna animae ingerit: vitiat enim naturales potentias et reddit infirmas per infir-

mitatem, obtenebrat rationem per ignorantiam, maculat per malitiam, dissipat naturalem pacem sive ordinem carnis et spiritus per concupiscentiam. Et hoc est quod dicit Beda, quod quatuor sunt inflicta homini per peccatum: infirmitas, ignorantia, malitia, concupiscentia. Cum igitur peccatum animam quadrupliciter vulneret, necesse erat, ut Dominus quadruplex remedium adhiberet ... Quatuor ergo sunt remedia: donum, praeceptum, virtus et sacramentum. In sex ergo tractatibus Deo adiuvante praesens opusculum terminabitur, quorum primus est de fide quod creditur sive de articulis fidei, secundus de peccato, tertius de dono, quartus de praecepto, quintus de virtute, sextus et ultimus de sacramento. De omnibus praedictis proponendae sunt quaestiones et earum solutiones, secundum quod a sanctis et magistris nostris determinatae sunt ».

Reapse unus alterve codex, qui hanc Summam Rupellensem *De articulis fidei* continent, etiam eius tractatulos de praeceptis etc. habere videntur, ut infra videbimus.

Eiusmodi compendia seu Summulae theologicae non raro manuscriptis relictae nobis occurrunt. E. c. in cod. Brugensi 303, ubi fol. 1 talis « Summula theologiae » incipit verbis: « Ad instructionom minorum, quibus non vacat opusculorum variorum prolixitatem perscrutandi de dictis catholicorum magistrorum sequentia compilanda sunt. Summatim ergo ponetur expositio articulorum fidei et decem praeceptorum, septem petitionum, septem sacramentorum, septem virtutum, septem donorum, octo beatitudinum, septem vitiorum tam naturae quam voluntatis. Circa tractatum articulorum, primo quid sit symbolum, et unde dicatur, quid articulus » etc. — Similiter in cod. 27/26 Seminarii Brugensis, fol. 70 sqq. tales expositiones breviculae dantur: « Articulus est... Praeceptum est... Sacramentum est... Virtus est... Cum dona sunt... Beatitudo est... Peccatorum tria sunt genera » etc. Hi tractatuli vel Summulae compilationes compendiosae ex Summis aliorum prolixis esse consueverant, sicut hic insinuatum est.

Codicis Monacensis habemus reproductionem photographicam; Londinensis et Bruxellensis, quae sunt fragmenta, transcriptionem confecimus; ex Mediolanensi toto lectiones variantes annotavimus. Aliorum saltem descriptione, cui fides habenda est, gaudemus. Ex quibus sequuntur haec:

Auctor Ioan. de Rupella esse videtur. Tractatus quinquies explicite ei adscribitur. Codices Londinensis et Monacensis idem innuunt, eo quod eius Summam de anima continent. Nullibi alii Scholastico adiudicatur.

Incipit ubique sonare videtur: « *Summa theologicae disciplinae in duobus consistit, in fide et moribus. Fides autem*



dicitur dupliciter; est enim fides qua creditur, et haec fides est virtus; et est fides, quod creditur, et haec fides nihil aliud est quam articulus fidei ». *Desinit*, quatenus codices non sunt mutili: « *Cuius fides in trino symbolo scripta est per Iesum Christum in saecula saeculorum. Amen* ». Omnes codd. etiam in eo conveniunt, quod praebent tractatum brevem sive Summulam exponentem tria symbola, scil. Apostolicum, illud quod cantatur in Missa, et Athanasianum. Codices quatuor diligenter examinavimus et vidimus tractatum maxima ex parte, etiam saepissime verbotenus, concordare cum declaratione trium symbolorum, quam Alexander dat in fine partis tertiae suae Summae, qu. ultima.

Quid dicendum est *de hac relatione ad Alexandrum?* Una ex parte codd. satis demonstrant Rupellensem esse auctorem. Altera ex parte non minus constare videtur esse Halensem. Pro parte tertia Summae eius noti sunt nobis usque modo 44 codd., ex quibus legimus 5 integros verbum post verbum, annotantes lectiones variantes; quoad alios 31 examinavimus saltem *Incipit* et *Desinit* omnium et singularum quaestionum, membrorum, articulorum; quoad reliquos ex descriptionibus, quas nos ipsi fecimus, vel alii viri rei periti pro nobis, habemus cognitionem saltem sufficientem. At invenimus valde plurimos codd. (aliqui sunt incompleti) habere hanc ultimam quaestionem, prout iacet in omnibus editionibus; pariter multos codd. expresse opus adscribere Doctori Irrefragabili, nullum autem Ioanni de Rupella aut alii auctori. Praeterea cod. 12 Bibl. Oxon. Bodleian. Laudian. Miscell. fol. 106–124 habet solam hanc ultimam quaestionem, incipiens a memb. 5 (ed. Colon. p. 544 b). Fol. 106 v legendum est: « De distinctione et expositione articulorum fidei secundum Alexandrum de Hallis in fine sui tertii ». Postea fol. 107 r incipit ut Alexander l. c.: « Notandum igitur quod cum tria sint symbola » etc. Fol. 124 v deinde sonat *Explicit* ut apud Alexandrum: « Et sic terminatur istud symbolum », et Rubrica addit: « Explicit expositio trium symbolorum fidei catholicae secundum magistrum Alexandrum de Hallis in fine sui tertii ». Haec Rubrica videtur esse a prima manu. Codex omnino litteraliter continet textum Alexandri sine additione vel omissione; lectiones variantes non sunt magni momenti. — Hic forsitan praebeatur nobis aliud exemplum, quo Rupellensis sequitur « *magistrorum nostrorum non solum summas* (vel *sententias*), *sed et verba* » (cfr. supra p. 610 sq.), praesertim cum in omnibus quatuor codicibus, quos



ipsi invisimus, legatur: « De omnibus praedictis proponendae sunt quaestiones et earum solutiones, secundum quod a sanctis et magistris nostris (1) determinatae sunt ». Accedit quod, sicut innuimus, tractatuli tales ex Summis prolixioribus compilari solebant. Praeterea alluditur ad locum quendam, qui occurrit apud Alexandrum in principio partis I. Summae.

Nam in exordio Summulae verba leguntur: « Primus tractatus (scil. de fide quod creditur seu de articulis fidei) dividitur in duas partes, secundum illud apostoli Rom. X: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ideo prius agendum est de articulis fidei, secundum quod corde credenda sunt; deinde secundum quod ore debent confiteri locutionibus catholicis et veris (2) ». Quae verba valde congruunt cum Alexandro part. I. in initio qu. 3, pag. 18: « Cuius inquisitionis sunt duae partes secundum verbum apostoli: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Est igitur inquisitio bipartita de unitate et trinitate deitatis, prima de ipsa re quae est unitas trinitatis ordinata ad credulitatem cordis; secunda de nominatione ordinata ad confessionem oris, ut sciamus quod credimus confiteri locutionibus catholicis et veris ». Sed haec pars certe opus Alexandri est; nec probabile videtur, Halensem hanc divisionem ex Rupellensi hausisse. — Rem decidere nunc non intendimus.

De cetero Rupellensis ex *Philippo Grevio* hausisse videtur, similiter atque Alexander, qui in suo tractatu de fide, non modica, etiam ad verbum, ex eo sumpsit; saltem quoad attributionem duodecim articulorum Symboli Apostolici ad singulos duodecim apostolos, eum sequitur, non Alexandrum.

Ex antecedentibus simul liquet, Summam de articulis fidei esse opus differens a Summa de vitiis eiusdem Rupellensis. Quia uterque tractatus habet simile *Incipit*, interdum putatum est, unum et alterum esse eundem librum (3).

VI. Summa de decem praeceptis. — Ex praedictis patet, Ioan. de Rupella reapse intendisse conficere eiusmodi tractatum idque in connexione quadam interiore

(1) *Nostris* deest in cod. Londinensi.

(2) Secundum cod. Bruxellens., cum quo substantialiter conveniunt cod. Mediolan. et Londin.

(3) Cfr. P. Ignat. Jeiler, in *Wetzer u. Weltes Kirchenlexicon*, ed. II, t. VI. 1889, col. 1761.

cum *Summa de articulis fidei.* Revera eam scripsisse ex sequentibus elucescere videtur. In cod. Casanatensi A. V. 43 post Summam de articulis fidei secundum descriptionem P. Fidelis prosequitur: « Incipit Summa de praeceptis edita a fr. Ioh. de Rupella ». Initium sonat: « Dicturi de praeceptis adiuvante Deo volumus haec declarare ». Idem *Incipit* scriptum, quod Cholet transcripsit, prae se fert. *Desinit* sonat: « Cum per eadem, per quae ordinatur in Deum, ordinatur ad seipsum ». Ex quo codice sumpserit, non clarescit. Transcriptio 48 paginas habet. Postea usque ad pag. 125 tractatuli varii adduntur, scil.: De consiliis, De peccato, De virtute, De beatitudinibus, De fructibus, De donis, De sacramento. Luguet (l. c. pag. V) minus praecise nuntiat, scriptum *De decem praeceptis* 125 paginas complere. — Etiam in codice Matritensi supra descripto post *Summam de articulis fidei* explicite Rupellensi adscriptam continuatur: « Incipit Summa de praeceptis ». « Incipit Summa de septem sacramentis ». Sed ex descriptione, quam P. Fidelis fecit, non satis liquet, an eadem opuscula sint, quae Cholet transcripsit. Item cod. Mediolan., de quo supra mentio fuit, ante *Summam de articulis fidei* Rupellensem tractatus de decem praeceptis, et de virtutibus continet. Sed uterque opus diversum praebet; in priore imprimis S. Thomas Aquinas explicito nomine citatur. — Pariter scripta varia anonyma de decem praeceptis etc. a nobis in aliquot aliis codicibus examinata, velut in cod. Brugensi 217 etc. discrepant.

VII. Summa theologica. — Apud P. Domenichelli inter alia opera Rupellensis signata sunt: « Summa theologica, vel De articulis fidei ». Similia alibi legenda sunt. — De « Summa de articulis fidei » iam tractavimus et invenimus, nullatenus agi de propria Summa theologica, sed nonnisi de expositione brevi symbolorum fidei, quae summatim impressa est in Summa Doctoris Irrefragabilis. — Non est certum, Ioannem de Rupella elaborasse Summam theologicam proprie dictam. Scripta eius magni aestimata erant apud posteriores Scholasticos, sicut apparet ex codicibus multis, in quibus extat eius Summa de anima etc. At de aliqua Summa theologica usque modo tacent catalogi bibliothecarum, et verisimiliter etiam codices. Ansam ad statuendam eiusmodi Summam videntur dedisse *Incipit* Summae de articulis fidei, et Summae de vitiis. Illa enim incipit: « *Summa theologicae (catholicae) disciplinae in duobus consistit* »; haec autem: « *Cum summa theologicae disciplinae*



divisa sit in duas partes » etc. Exinde ortae esse videntur annotationes falsae in aliquibus catalogis, et ex catalogis his minus rectis conclusio facta est falsa. Sic etiam bis in indice de catalogis P. Fidelis a Fanna, quem prae manibus habemus, mentio est de « Summa theologica »; at reapse agitur nonnisi de « Summa de articulis fidei » in codice Bruxellensi 21865, et de « Summa de vitiis » in cod. Ulissibon. Nat. Z. 3. 13.

VIII. Commentarius in libros Sententiarum. — Rupellensis fertur talem composuisse. Luguet (p. XXVI) enumerat aliquot auctoritates velut Barthol. de Pisa, Trithemium, Bulaeum, qui attribuunt hoc opus nostro Scholastico. Sed addit: « Le livre où Jean de la Rochelle commentait les sentences de P. Lombard, serait bien précieux pour marquer la transition entre ses travaux théologiques et sa philosophie. Malheureusement, personne jusqu'ici n'a pu le retrouver ». In scriptis suis Cholet et Grasilier enumerant opera Rupellensia; inter opera theologica ad verba: « In 4 libr. Sent. », notarunt: « à trouver »; ergo nec ipsi ullum codicem cognoscere valuerunt, etsi adierint bibliothecas praecipuas Galliae, Italiae, Britanniae, Belgii, Hispaniae, Portugalliae. Pariter nec P. Fidelis a Fanna nec nos. An Rupellensis elaboraverit dictum Commentarium nescimus; praeter tractatus philosophicos et theologicos necnon Postillas in S. Scripturam et Sermones etc., de quibus modo loquemur, nobis notae sunt aliquae quaestiones theologicae in catalogis indicatae, quae forsitan sint extractae ex Comment. in Sententias. In cod. 124 (olim 737) Bibl. Tolosan. (Toulouse) inter quaestiones similes parvas ex Alexandro, Odone Rigaldo, Guilelmo de Melitona occurrunt etiam nonnullae attributae Rupellensi, velut De transfiguratione Domini, De Dominica ascensione, De sanctificatione B. M. V. gloriosae. De his mentionem fecerunt Cholet et Grasilier, sed etiam P. Fidelis a Fanna. Secundum catalog. Bibl. Regiae Taurin. a Pasino confectum, vol. II p. 6, in cod. XXVII (d. III. 19) post Postillas Io. de Rupella in Isaiam, Ieremiam, Iobum, Ezechielem, Danielem, Abdiam, Habacuc, Sophoniam, Aggaeum, Malachiam, Ioelem, Ionam, in libr. Numerorum, in epistolas S. Pauli et in quatuor Evangelia, a fol. 73–102 habentur eiusdem tractatus De aeternitate Dei et mundi creatione, De praedestinatione, De resurrectione mortuorum. Sed etiam hic codex anno 1904 flammis periit. — In cod. lat. Monacensi 9003 ex saec. XIV–XV fol. 39 v occurrit brevis tractatus De ieiunio Ioanni de Rupella adiudicatus. In cod. Paris. Nat. nouv. acquis. lat. 1470 fol. 147v

datur « Generalis introitus ad s. doctrinam a fr. Ioh. de Rupella », sed is non convenit cum Alexandro. — De cetero una alterave quaestionum nominatarum potius tractari solet in aliqua Summa quam in Comment. in Sentent. — De hac re, speciatim an dictae quaestiones revera a Rupellensi oriantur, utrum partes Commentarii in Sentent., an quaestiones singulae disputatae sint, inquisitiones nostras continuabimus, data occasione etiam Commentarios in Sentent. et Summas anonymas perscrutaturi.

IX. Postillae in S. Scripturam, Sermones. — Secundum Luguet (p. V) sacerdos Grasilier transcripsit varias Postillas et Sermones Rupellensis (cfr. etiam p XXVI), id quod verum est. Ex cod. Taurinensi modo citato videmus, quot et quales Commentarii in S. Scripturam ei attribuantur. Absque dubio is nonnullos tales libros confecit et praesertim permultos sermones habitos in scriptis reliquit. Nam fere in omni bibliotheca maiori secundum catalogos eiusmodi opera continentur. Ex Bibl. Nation. Paris. nominentur codd. latini 15593, 15597, 15602, 15536, 15939, 15940, 16477, 16502, 15568 (1). — Quod attinet Sermones, Denifle (2) fert, magnam affinitatem reperiri inter quosdam sermones Rupellensis et quosdam *Fr. Guerrici de S. Quintino*, O. Praed. (uterque obiit an. 1245), sed utrumque hausisse videri ex *Hugone de St. Charo*. Item declarat, methodum quandam dividendi et considerandi textum biblicum in sermonibus, hucusque adscriptam S. Thomae, iam apparere in sermonibus Ioannis et Guerrici. — Certum est, Rupellensi adscribi opus quoddam « De arte praedicandi ».

X. De arte praedicandi. — Luguet p. XXVI scribit: « La théorie dont les Sermons nous offrent l'application est contenue dans deux ouvrages: l'*Art de prêcher* et les *Procédés oratoires* ». In scriptis sacerdotum Cholet et Grasilier reapse mentio facta est de his tractatibus; locuti sunt de quodam codice Ulissibonensi, et de hoc codice P. Fidelis a Fanna habet observationes has: Olyssipone, Bibl. Nation. cod. 130 in 8° saec. XIII, foll. 4 priora non numerata; fol. 5–179 Sermones; fol. 179 « Explicit Summa [id est Sermonum] composita a fr. Pelagio Parvo Ord.

(1) Cfr. etiam Hauréau, *Notices et extraits de quelques manuscrits latins de la bibliothèque nationale,* Paris 1890 sqq., tom. 1-6, ubi etiam alii codd. enumerantur.

(2) *Die abendländischen Schriftausleger bis Luther über iustitia Dei* etc., Mainz 1905, pp. 122 sqq., n. 36; cfr. etiam 111 sqq., n. 34; 117 sqq., n. 35.



Praedicat. et scripta ad preces Domini Petri Ioannis abbatis Sancti Iohannis de Tharauca per manus Dominici Petri Ulixbon. Alcobaciae monachi Mense octobris Era MCCLXXXVIII (1). Postea ab eadem manu « f. 180r lin. 1 *Incipit processus Iohannis de Rupella* ut credo fris. Ordinis Minoris. Cum plures sint modi negotiandi circa themata, ut melius pateat qualiter vitia sint vitanda et qualiter circa singula sit operandum, primum de primo hic notatur. Primus modus est, quando de proposito themate assumitur una radix in hac forma: Ponatur pro themate: *Sobrie et iuste et pie:* eliciatur talis radix, scil. quod verbis propositis describitur perfectio viri iusti; de assumpta radice producuntur immediate rami, qui de ipsa radice artificialiter exeunt et pro sufficientia. Verbi gratia dico, quod in verbis propositis describitur perfectio viri iusti, assumendum ut ita; sed quia perfectio viri iusti potest esse per ordinationem sui ad se sive ad proximum et ad Deum, ita tria dicuntur scilicet., [P. Fidelis adnotavit auctorem loqui de 7 vel 8 modis formandi sermones]. *Desinit* fol. 185 v: « Pleni sapientia, intelligentia, doctrina, ut sic mereamur vocari a Domino. Amen. Explicit processus (2) ».

Notandum est, in cod. Brugensi 228 (cfr. supra pag. 608 n. 1) fol. 1 in margine inferiori scriptum esse a manu recenti: « Summa Iohannis de Rupella Ord. Min. de vitiis. Item forma praedicandi eiusdem authoris. Quodlibeta Petri de Alvernia » etc. In hoc codice de facto Rupellensis *Summa de vitiis* invenienda est, quae desinit fol. 41 v. Et postea fol. 42 r incipit prologus novi tractatus: « Dominus mihi astitit et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur ». Fol. 42 v incipit textus: « Ostendendum est imprimis, quid est praedicatio » etc. *Des.* fol. 56 v: « Et est contraria quinta. Explicit ». Quid de origine huius et illius artis vel formae praedicandi censendum sit, hucusque ignoramus.

Ex praecedentibus patet, quot bibliothecae et codices quoad scripta Rupellensis inspecti sint. Certe articulus noster praebet multa nova, dilucidat quaestiones quasdam difficiles. Natura rerum secum fert, nonnulla adhuc manere dubia et imperfecta. Quare studia nostra de scriptis Io. de Rupella persequemur, dicta supplentes vel etiam corrigentes, quoad eius fieri potest.

P. PARTHENIUS MINGES, O. F. M.

(1) Id est secundum aeram hispanicam; secundum nostram anno 1250.

(2) Cfr. cod. Toletan. *Opp. S. Bonav.* IX, p. 5 sq. n. 4.

UNA VITA DEL BEATO NOVELLONE FAENTINO

TERZIARIO FRANCESCANO († 1280)

COMPOSTA NEL SECOLO XV (a)

I. — Età e autore della Vita.

La Vita del b. Novellone faentino, di cui prendo a trattare, si trova in un codice dell'archivio del comune di Faenza, codice descritto dal ch. Gaetano Ballardini a p. 3-8 del suo *Inventario critico e bibliografico dei codici e delle pergamene dell'archivio del comune di Faenza* (1). Il codice è composto di tre fogli di pergamena scritti in colonna. Esso costituirebbe un libercolo a parte, ma è stato anteposto e unito a un altro codice contenente gli statuti e le matricole dell'arte dei calzolai di Faenza, con le successive aggiunte, dal 1331 al 1589 incirca (2).

Forse perchè la numerazione, probabilmente del secolo XVII, comincia nella Vita e continua nel codice, cui detta Vita è anteposta, il Magnani (3) fu indotto a ritenere di compulsare un unico documento, e credette la Vita anteriore al 1330. Ma l'agiografo faentino è caduto certamente in errore. Il codicetto contenente la Vita non è del secolo XIV, come quello degli statuti e delle matricole, ma appartiene al seguente.

(a) Summarium: Editor anedoctae Vitae B. Novellonis faventini eremitae Tertii Ordinis S. Francisci, in hoc praevio commentario inquirit: I. de eiusdem legendae tempore et auctore, argumentis tum externis tum internis determinans eam exaratam esse neque post ann. 1474 neque ante 1415, sed, quod est probabilius, parvo ab hoc anno spatio intermisso, a quodam clerico Faventiae degenti; II, de ipsius momento ad historicam veritatem relatae, quod, antiquioribus fontibus et documentis conlatis, minimum probat, quippe quod auctor sola vulgi traditione innixus plura contra hos fontes et documenta asseruerit; reliqua vero ab aliorum sanctorum legendis facile mutuatus.

[Nota Directionis].

(1) Faenza, Montanari, 1905. (2) Il medesimo Ballardini pubblicherà gli statuti dei calzolai e delle altre arti di Faenza.

(3) *Vite dei santi... della città di Faenza,* Faenza 1741, pag. 148-149.



Essa è una copia, come può facilmente arguirsi e dai molti e madornali errori che contiene, e da qualche lacuna (vedi specialmente il § 22 in fine), lacuna che non può attribuirsi se non alla sbadataggine di un trascrittore. È tutta della stessa mano.

Il Magnani (1) dice che questa Vita esisteva a suo tempo anche nell' archivio capitolare tra i manoscritti di certo Paolo Pasi, faentino: ma oggi questi manoscritti non esistono più. Tra i medesimi, secondo lo stesso autore (2), si trovava pure copia di altra Vita del b. Novellone, scritta da un « anonymus antiquus ». Dalle citazioni fattene dal Magnani si deduce che questa seconda, quantunque non contenesse nè il prologo nè il capitolo *De nomine*, che si leggono nel nostro codice quattrocentesco (§§ 1 e 2), tuttavia nel rimanente conveniva in sostanza colla prima. Il Grilli (3) ne riferisce un passo, dal quale si rileva che questo « anonymus antiquus » non aveva fatto altro che rifare e compendiare la Vita del nostro codice (4).

Nel cod. H 3 della biblioteca Vallicelliana di Roma si conserva un manoscritto della fine del XVI o del principio del XVII secolo contenente (fol. 148–149) alcuni Miracoli di santi faentini, trascritti da una cronaca latina a mano della libreria dei frati di San Domenico di Faenza. A fol. 148–148v si leggono i *Miracula beati Nevoloni* e a fol. 148v i miracoli *post mortem*. La prima parte contiene quasi tutta la materia dei §§ 5–16 del nostro manoscritto quattrocentesco, spesso colle medesime parole; la seconda riproduce nello stesso modo, più o meno, i §§ 17–26. Forse questi due brani sono stati desunti dall' « anonymus antiquus » del Magnani.

La Vita contenuta nel codice quattrocentesco dell'archivio del comune di Faenza non è anteriore al secolo XV. Infatti:

Essa, come vedremo, conosce la Vita della beata Umiltà, monaca vallombrosana faentina morta in Firenze nel 1310; vita che fu scritta alcuni anni dopo il decesso della beata.

Nel § 7 vi si legge: « Mansio quoque sua post omnium bonorum suorum alienationem et in pauperum distributionem fuit prope cellam in certa domuncula iuncta ecclesie predicte celle, que *pro tunc vocabatur* cella fratris Laurentii,... in qua cella *ad presens sunt moniales* ». Per intendere questo passo è da sapersi che nel 1253 certo Lorenzo di Egidio,

(1) Loc. cit. (2) Loc. cit.

(Clemens (1) *episcopus, etc.). Habet antiquarum scripturarum prolixis texta sermonibus series, qualiter postquam hostis ille antiquus humani generis qui primum scisma suscitavit in celo, Grecorum populum a sacrosancta Romana Ecclesia matre omnium fidelium et magistra, sua calliditate nequissima per fermentum venenosi scismatis, pro dolor! procuravit disiungi, circa reductionem [Christia]ni populi ad sinum eiusdem Ecclesie, piissime matris sue, [nec non] reunionem Latinorum et Grecorum salutiferam, tam pie memorie Clementis et Gregorii quam aliorum Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum multipharie multisque modis extitit laboratum. Sed eiusdem hostis, qui saluti humane invidet et in animarum perditione locatur, malitia obsistente, nondum ex multis et variis laboribus huiusmodi fructus colligi potuerunt votivi; propter quod incomoditates multiplices spirituales et temporales quas scisma huiusmodi a sui principio introduxit et subsequenter continuo secum traxit, creverunt et crescunt continue, sicut liquidius rei evidentia manifestat. Nam ex divisione Latinorum et Grecorum,* A g a r e n i *hostes fidei christiane superbientes non modicum, assendentes currum presumptionis et fastus, insevire audatius in Christicolas partium illarum acrius et inferre non manserunt sepius multa dampna; qui si vidissent et viderent Latinos et Grecos unitos, invicem non solum timuissent inferre dampna huiusmodi, ymmo cogitare talia facere nullatenus, sicut pro certo credimus, presumpsissent. Tenet siquidem nostra memoria, et a tua non credimus exidisse, in nostre promotionis ad sumum apostolatus apicem primordiis, tue Magnificentie litteras per dilectum filium nobilem virum* P h i l i p p u m d e S a n t o G e r m a n o, *militem nuncium tuum presentatas nostro Apostolatui recepisse, per quas nobis eadem Magnificentia intimabat, quod* A g a r e n i *sive* I s m a e l i o t *perfidi, qui* T u r c h i v u l g a r i t e r n o m i n a n t u r, *cunctorum Christianorum hostes et persecutores crudeles interficiendo, destruendo et capturando Christianos tam in partibus imperii tui quam in aliis, ubi magis nocere poterant eis, molestare ac affligere multipliciter conabantur; et quod hostes ipsi erant in tanta potentia et multitudine, quod per te tuumque imperium adhiberi nequibat remedium oportunum, nisi nos manum apponeremus super hoc adiutricem. Quare nobis, sicut pueri patri et gubernatori Christicolarum omnium, amore Domini nostri Ihesu Christi filii Dei vivi et pietatis intuitu supplicabas humiliter et devote, ut in premissis adiutrices manus porrigere dignaremur. Nos autem litteris receptis huiusmodi, et tam contentis in illis quam in hiis que dictus Nuncius nobis explicare viva voce curavit plenius intellectis; cum super iniuriis et offensis gravibus huiusmodi, quas ab infidelibus sic Christicolis in nostri Redemptoris contumeliam audiebamus inferri, tacti dolore cordis intrinsecus et paterna compassione conpuncti, non volentes pietatis viscera claudere, moti fuimus et inducti ad ordinandum quod certo tam predicte Romane ecclesie quam aliarum catholicorum armato sufficienti numero [galearum], ad defensionem Christianorum et maxime* G r e c o r u m, *quos audiveramus offendi*

suis litteris super certis negotiis destinavit, benigne recepimus, et super hiis que nobis natus tuus scripsit et idem miles pro parte sua nobis exposuit favorabiliter duximus, sicut cum Deo per nos fieri potuit, respondendum; et nichilominus eidem militi certa tibi verbotenus explicanda imposuimus, super quibus sibi auditum benignum prebeas, quesumus, et plenum cum executione operis, quantum in te fuerit, accomodes intellectum. Dat. Avinione, VI kal. Novembris, anno secundo » *Reg. Vat. 137, n° 424.*

(1) Instrum. Miscell. an. 1343, n. 7. A. cartaceo; misura mm. 1356×152, in tre pezzi riuniti.



durius in partibus illis, essent; ex quibus quidem galeis et auxiliis per nos et ipsam Ecclesiam super hiis ordinatis, illius cohoperante gratia qui sperantes in se non deserit, sic felix est sortitus effectus, quod ex tunc non solum ab offensis duris et intolerabilibus Turchi cessaverunt predicti, quin ymmo in personis et rebus suis per armatam galearum huiusmodi dampna, ut evidentia rei notuerat, receperunt.

Rursus nos cupientes predictum defensionis Christianorum et repressionis Turchorum predictorum negotium amplius prosperari, adversus eos in plerisque mundi partibus, concessis remissionibus et indulgentiis omnibus fidelibus, arma contra Turchos ipsos sumentibus, predicari sollempniter ordinavimus et mandavimus verbum crucis. Sane per predicatores eosdem accensi fideles innumerabiles, Latinorum, assumpto venerabili signo crucis, tanquam viri ac constantes, fortes et strenui, zelum Dei habentes et fidei, iam multi ad partes accesserunt predictas, et quamplures cum magna devotione, indesinenter accedunt; per quorum strenuitatem et potentiam Greci ab huiusmodi suis oppressionibus intollerabilibus defenduntur.

Subsequenter autem nos sintillam devotionis tue huiusmodi quam ad eandem Romanam ecclesiam matrem ac reunionem Latinorum et Grecorum salutiferam laudabiliter ostendisti, sperantes in flammam lucis clarioris tam tuam quam aliorum Grecorum irradiantis et illuminantis animas accensuram, sicut desideriis affectabamus et affectamus intensis, tue Magnitudini ac nonnullis aliis tam clericis quam laicis imperii tui litteras nostras exhortatorias, prodeuntes de fonte caritatis paterne direximus, inter cetera continentes; ut tu, Princeps inclite, ipsique diligentius attendentes, quod extra gregem Dominicum, cuius est tantummodo pastor unus, Romanus videlicet Pontifex, Christi vicarius et successor beati Petri apostoli eterne vite clavigeri, non est aliter gratia neque salus, et nichilominus intra precordia revolventes quam gloriosus erat status partium Grecie, dum in sinu eiusdem matris Ecclesie foveretur, qualisque post divisionem illam pestiferam fuerit et existat; ante quidem Grecia, tam militie strenuitate quam scientiarum profunditate pre alii mundi nationibus prefulgebat, sed quidem postea quasi destituta veteri virtute oppropriose prostrata videtur sub pedibus aliorum; illud vaticinium Ieremie prophete dicentis (1): *Cecidit corona capitis nostri, ve nobis! quia peccavimus, pro dolor! de se lugens* (2).

[Nos volentes indubie tenere quod] a vobis fetore scismatis infectivo nobilitatis et decoris Grecorum populi, reiecto celeriter et excusso, ad unionem eiusdem sacrosancte Romane ecclesie redire, vosque in uno ovili et sub uno pastore prefato, scilicet Christi Vicario, recludere curaretis; nichilominus dilectum filium Bartholomeum de Urbe canonicum Nigropontensem, cum eisdem litteris ad partes illas et tue Sublimitatis presentiam, qui predicta posset plenius explicare verbotenus destinando, certas deinde sublimitatis eiusdem recepimus litteras super hiis responsales aurea bulla imperialis tiparii communitas, in quibus humiliter et devote sacrosancte ac universalis ecclesie Romane pontificem nos appellans, litteras easdem [Sedis] apostolice gratiosas, grato

(1) Thren. 5, 16.

(2) Questo astruso periodo, e in parte il seguente, è così reso nella Bolla all' Imperatore « Volentes indubie tenere, quod tu ac Grecorum clerus et populus, reiecta infectione illius execrandi et dampnabilis scismatis quod eos dampnabiliter a sacrosancta Romana ecclesia matre omnium fidelium et magistro divisit, per unionem salutarem *etc.* rediretis ». Baronn. Ann. ad an. 1343, n. 12. *Reg. Vatic. 137, n. 414. Dat. Avin. XII. kal. nov. an. II.*



descripsisti animo recepisse, ipsarumque plenum tenorem et seriem collegisse. Et cum per ipsas te invitaremus et hortaremur ad pacem et constitucionem pacificam, ambigere non poteris, cum essent verba consonantia secundum doctrinam evangelicam et summe Trinitatis disciplinam: Sed quia sine ceterarum aliarum ecclesiarum unitas Prelatis et diversarum provinciarum dominis plenum et finale complementum dare non poteras ad predicta, eis scribere ipsosque communiter requirere super his intendebas; sperans quod forsitan una tecum deberent huiusmodi nostris requisitionibus et exhortationibus consentire; nos igitur responsionem huiusmodi, quam de bono zelo et intentione recta procedere confidimus, gratam habentes admodum et acceptam, tuum in hac parte laudabile salutiferumque propositum in Domino nichilominus commendantes, tuam rogamus Celsitudinem et in Domino attentius exhortamur, quatenus, sicut nos sacrosancte et universalis Ecclesie Summum Pontificem in tuis predictis litteris vocasti et etiam nominasti, sic nos et ipsam Romanam ecclesiam ius habere super omnes mundi ecclesias primatie ac nichilominus cum per easdem litteras asseris pacem et unionem cum eadem ecclesia Romana ambigere te non posse; cum sit, secundum Evangelicam doctrinam et Summe Trinitatis disciplinam velis publice profiteri. Licet autem, prout in tuis describitur litteris antedictis, si cum omnibus aliis prelatis ecclesiarum unitarum cum Grecis et Dominis diversarum provinciarum ad unionem predictam, sicut forsitan fieri posse sperabas, venires, Deo et nobis gratum ac tibi et eis multipliciter existere spiritualiter et temporaliter fructuosum; quia tamen super illis que tangunt animarum salutem nulla est querenda dilatio, sed omnis festinantia potius adhibenda, nec reperiatur in Sacra Scriptura, quod super hiis alter alterum debeat expectare, cum nulli permittatur de lege communi scire terminum vite sue, nostris exhortationibus et precibus predictis adicimus, ut diligenter advertens, quod si illi qui te in via salutifera huiusmodi sequi voluerint, te viderint ad unionem venisse predictam, ad illam ceteri citius inclinati, proculdubio te sequentur. Non expectatis aliis properare non differas ad eandem, sciturus pro certo, quod iuramenta, si qua per te vel alios in contrarium forsitan prestita non valerent: quia sine interitu salutis eterne nequeunt observari.

Et quia vox viva cordibus artius imprimere quam mortua consuevit, nosque tuam et totius Cleri et populi Grecorum salutem paternis affectibus peroptamus, d i l e c t o s f i l i o s F o r t a n e r i u m, O r d i n i s F r a t r u m M i n o r u m g e n e r a l e m m i n i s t r u m sacre Theologie professorem et . . . . (sic) *ad tuam presentiam et partes illas de fratrum nostrorum consilio, providimus destinandos; per quos de benivolentia nostra et Sedis apostolice, qua te dictosque Clerum et Populum, si ad ovile dominicum vos, ut prefertur, reduxeritis et perseveranter perstiteritis in eodem prosequi, more paterno intendimus informari; et super hiis que animarum concernunt commodum instrui poteritis, et circa ea que articulos tangunt fidei concordare: quos benigne quesumus recipias et audias ac recipi facias ab aliis et audiri, et si plena in hac parte concordia subsequi forsitan non valeret, certi Nuntii seu apocrisarii plene instructi et sufficienti potestate ad omnia que circa premissa fuerint tractanda et perficienda suffulti, pro parte tua et aliorum quorum interest ad Sedem apostolicam transmittantur; quos quidem Nuncios seu Apocrisarios recipiemus et audiemus, ac recipi et audiri faciemus favorabiliter et benigne.*

G. Presutti.

DOCUMENTA INEDITA
AD HISTORIAM FRATICELLORUM
SPECTANTIA

(*Continuatio et finis*) (a).

Brevia tria Eugenii IV, et extracta ex tractatu S. Iohannis a Capistrano contra Philippum Berbegall, novae sectae Fraticellorum in Hispania institutorem.

Sub n. X Eugenii IV edemus tria brevia, hucusque ignota, quae luce plane nova ostendunt famosum illum Fr. Philippum Berbegall (1), congregationis Capucciolae fundatorem atque a S. Iohanne de Capistrano vehementer impugnatum.

Ad Fr. Philippum, qui ad nascentem Observantiae familiam in Aragonia pertinebat, a. 1426 duae directae sunt bullae Martini V, in quarum priore, Romae 10 Apr. 1426, Ministro Provinciali Provinciae Castellae, et Philippo aliique Religioso facultas conceditur unum locum recipiendi (2), in altera vero, Romae 1 Iul. 1426, eidem Philippo « et aliis ordinis fratrum Minorum professoribus Provinciae Aragoniae... de Observantia nuncupatis » idem pro Provincia Aragoniae impertitur (3). Nulla igitur illo tempore de eo suspicio habebatur. Sed Philippus iis concessionibus abutens, novitates, praesertim in modo vestiendi, introduxit, cumque a. 1430 Assisii *Constitutiones Martinianae* (4) pro toto Ordine editae essent, idem vehementer atque irreverenter in eas insurrexit, edens *Postillas* in easdem. Ex quo facto et praesertim ex refutatione S. Iohannis de Capistrano (de qua infra) iam videmus Philippum interea a recto tramite deviasse.

Waddingus vero ad a. 1433, n. 11 (X, 213) postquam de S. Iohannis a Capistrano impugnatione dixit, continuat: « Eum [Philippum] anno sequenti invenio ab Eugenio cum aliquot ex sociis tamquam novatorem et mali dogmatis seminatorem, commissa causa Iohanni sancti

(a) Cf. AFH III, 253-279; 505-529; 680-699; IV, 3-23; 688-712; V, 74-84; VI, 267-290; 515-530.

(1) Nomen diversis formis scriptum invenitur: *Berbegal, Berbegall, Barbagallus* etc. Praeter litteraturam passim infra laudandam cf. etiam Marco da Lisbona, *Chroniche*, terza parte, Napoli 1680, lib. I, c. 55, p. 76; Rod. Tossinianensis, *Hist. Seraph. Rel. libri tres*, Venetiis 1586, f. 112r; De Gubernatis, *Orbis Seraphicus*, I, Romae 1682, 658-59; Agostino da Stroncone, O. F. M., *L'Umbria Serafica*, ad a. 1433, ap. *Misc. Franc.*, IV, 153.

(2) *BF* VII, p. 651.

(3) *BF* VII, p. 658; Wadd. *Reg. Pont.* ad a. 1426, X, 409.

(4) *Chronologia historico-legalis* I, Neapoli 1650, 90-111.



Laurentii in Lucina, Ioanni tituli sancti Sixti, Presbyteris, et Arcidino sanctorum Cosmae et Damiani Diacono, Cardinalibus, fuisse condemnatum ».

Auctor suppar, B. Bernardinus Aquilanus, de alia commissione, vel forsan subdelegatione, in Berbegallum refert facta Alfonso Borgiae, qui postea fuit Calixtus III, qua occasione etiam quaedam de vera illius sectae indole tradit, quod plane cum brevibus papalibus edendis convenit. Refert enim de Calixto III: « .... Prius summus Pontifex [Observantes] exosos habebat et, quasi de aliqua haeresi familia sentiret, suspectos videbatur habere; et hoc ideo, quia semel contra quosdam Fraticellos, qui erant in Catalonia, haereticos sibi fuit facta commissio; suspicabatur enim, ne et nos aliquo modo sentiremus cum illis, quorum principalis et caput, si bene sum memor, Barba Gallus dicebatur (1) ».

Bernardinus Aquilanus igitur Fraticellorum designationem pro secta Berbegalli adhibet. S. Iohannes Capistranus pariter in infra referendis locis contra Berbegallum scriptis, huic relationem cum Fraticellis Italiae clare obtrudit. Haec correspondere vero, ostendunt tria brevia Eugenii IV. Inveniuntur ea in Archivo Vaticano, *Arm. XXXIX,7, A: Regestum Brevium Martini V, Eugenii IV et aliorum* (2). Non est Registrum originale sed transcriptio facta saec. XVII, ideoque scribarum errores sat abundant. Est vero dictum volumen primum omnium in serie Brevium (3). Cum sint illa brevia transcriptiones, desunt indicationes chronologicae, sed non est dubium tria illa, de quibus hic agitur, ponenda esse ad annum 1434, cum, Waddingo teste, Processus in Berbegallum eo anno factus et absolutus sit. Tria brevia inter se similia sunt, differunt ratione destinatariorum, qui sunt **A** Concilium et Communitas civitatis Valentie, **B** Iohannes rex Navarrae, **C** Catherina Infantissa Castellae.

Quoad argumentum dictorum brevium magni momenti sunt ea, quae Pontifex de relatione novae sectae cum Fraticellis Italiae et Hussitis Bohemis refert, ex quorum erroribus coniunctis Berbegall novam haeresim efformasset. Habemus hic relationem

---

(1) *B. Bernardini Aquilani Chronica Fratrum Minorum Observantiae*, ed. Lemmens, Romae 1902, 65-66. — Nescio qua ratione cl. editor in nota anceps haereat, utrum agatur de Barba Iacobo (Menendez Pelayo, *Heterodoxos*, I, 567) vel de Philippo Berbegallo. Erraverunt vicissim editores Chronicae Glassberger, *Anal. Franc.* II, 291, suspicantes in Processu a Concilio Basileensi ordinato contra Fr. Guilielmum Iosselinum, Min. Obs. agi revera de Berbegallo, et non de illo Guilielmo, quia nullibi hoc inveniretur, nec qua de causa in hunc fuerit processum! De Guilielmi Iosselini facinoribus Metis in Lotharingia et subsequenti inquisitione per Concilium Basileense ordinata, abunde refertur et plura documenta eduntur ap. fontem synchronum: *Les Chroniques de la ville de Metz*, publiées par J. P. Huguenin et S. Lamort, Metz 1838, ad a. 1428-29, p. 154-162; ad a. 1432, p. 178-182; cf. etiam E. de Bouteiller, *Notice sur les Monastères de l'Ordre de Saint-François à Metz*, ap. *Mémoires de l'Académie impériale de Metz*, XLIXe Année, 1867-1868, seconde partie, Metz 1869, 235-327, praesertim p. 294-299; minus accurate: Ch. Abel, *L'Immaculée Conception à Metz* (Extrait de l'*Austrasie*), Metz 1857.

(2) Primam notitiam iis de brevibus R. P. Ulrico Hüntemann, O. F. M. debeo.

(3) Cf. Kaltenbrunner, *Römische Studien. II, Die Fragmente der ältesten Registra Brevium im Vaticanischen Archive*, ap. *Mittheilungen des Instituts für oesterreichische Geschichtsforschung*, vol. VI, Innsbruck 1885, pp. 79-93; de nostro volumine specialius: p. 81-82.



Hussitarum cum Fraticellis, quam iuxta nuper editum documentum Romani a. 1466, occasione saepe dicti Processus in Fraticellos, quasi ex sese construebant (1). In brevibus illis insuper improbantur seditiosae praedicationes novae sectae, quibus populus in clerum et nobiles excitabatur. Partem sectae efficiebant quoque quaedam mulieres Beguinae, tertii Ordinis habitum sine professione assumentes. Quae omnia reprimere iubet S. Pontifex.

Ex infra sub n. XI referendis textibus S. Johannis de Capistrano patebit indicationes de secta Berbegalli veri similiter ex scriptis S. Johannis desumptas esse, praeter illas de relatione cum Hussitis, et de seditionibus popularibus, de quibus nihil apud S. Johannem inveni.

Quoad editionem sufficiat solum primum breve **A**, integre referre, aliorum duorum, **B**, **C**, partes discrepantes, necnon lectiones variantes.

Sub n. XI quaedam ex iam dicto S. Iohannis a Capistrano tractatu contra Berbegallum edemus, speciminis causa, nam ipse tractatus est longior quam ut totus hic poni possit, neque adeo ad rem nostram pertinet. Duos huius tractatus, a socio et biographo Sancti, Fr. Nicolao a Fara, iam commemorati (2), codices inveni, quibus apographum saec. XVII-XVIII atque duae editiones accedunt.

1) Codex XX Conventus FF. Minorum Capistrani, mm. 177×126, membr. miscellaneus, scriptus a variis manibus saec. XIV-XV (3), continet tractatum nostrum fol. 169r-185r, scriptum, uti videtur, iussu et inspectione ipsius Auctoris. Nam in fine post verba: *Ex Vrbe 1431, Ind. 9, de mense maij et cetera 9,* subscriptio authographa S. Iohannis Capistranensis habetur, uti occurrit etiam in alio quodam codice Capistranensi, scil. in cod. XV, f. 120v, et veri similiter ipsi Sancto ad proprium inservivit usum. E codice XX Capistranensi specimina textus desumemus.

2) Codex Vaticanus lat. 7339, mm. 145×115, membr. miscellaneus, saec. XV exeuntis, a diversis manibus exaratus, adiectis etiam quibusdam a manu saec. XVI de Capitulo Generalissimo a. 1517, f. 118r-120v (4). Tractatus, qui in cod. Capistranensi citato caret titulo, in cod. Vati-

---

(1) Cf. L. Fumi, *Eretici in Boemia e fraticelli in Roma nel 1466*, ap. *Archivio della R. Società Romana di storia patria,* XXXIV, 1911, 117-130; cf. AFH V, 1912, 391-92. Fraticellos a. 1466 Romae condemnatos impugnans, Nicolaus Palmerius, O. S. A., episcopus Ortanus, pariter Hussitas Bohemos aliquoties nominat, quorum errores, sicut et Fraticellorum, partim ex imprudentibus quorumdam praedicatorum sermonibus de paupertate Christi et apostolorum repetit; cf. Cod. Vatican. lat. 4158, f. 37v-40r; cf. etiam f. 1r, infra, *App. V,* p. 746[6]. Iuxta Servanzi Collio, *Descrizione del calice entro cui dalla setta dei Fraticelli fu propinato il veleno al Beato Giacomo della Marca,* Camerino 1884, 7, Fraticelli ab Hussitis derivantur! « I Fraticelli dell' Opinione derivano dagli Hussiti ». Parum post, p. 17, idem auctor scribit: « La setta dei Fraticelli dell' Opinione derivata dall' eresia di Manete » (!).

(2) « Libellos praeterea acutissimos in Rochyzanum et multos Bohemos haereticos, in Berbagallum Hispanum... divino quodam spiritu conscripsit ». *Act. SS.*, Oct. X, 444.

(3) Vide codicis descriptionem factam a Vinc. de Bartholomaeis, *Ricerche Abruzzesi,* ap. *Bullettino dell'Istituto Storico Italiano,* n. 8, Roma 1889, p. 75-173; de codice nostro ib. p. 93-94, et inde ap. *Misc. Franc.* V, 12; cf. etiam P. Sabatier, *Opusc. de critique,* I, 1 ss.

(4) Descriptionem codicis invenies ap. Ehrle, ALKG VI, 1892, 71-72, et ap. Marcellino da Civezza e Teofilo Domenichelli, O. F. M., *La Leggenda di San Francesco scritta da tre suoi Compagni .... nella vera sua integrità,* Roma 1899, p. LXIX.



cano hunc titulum (rubro) exhibet, f. 130r: *Incipit responsio facta per R. P. F. Iohannem de Capistrano ordinis mi. obs. Apostillis factis per fratrem Berbegallum dicti ordinis super constitutionibūs dicti ordinis auctoritate domini Martini pape quinti in cap°. generali Assisii celebrato factis 1430 die 21 iunii.* Explicit tractatus f. 182r: *gratiam autem et gloriam dabit dominus. Cui gloria, laus, decus et imperium per infinita seculorum secula. Amen. Vale fr. et ora pro me. Ex vrbe 1431. Indictione. 9ª Maij fr. Iohannes de Capistrano etc.*

3) Textus deinde invenitur in collectione *Operum om.* S. Iohannis a Capistrano, quorum editionem curare intendit P. Ioh. Ant. Sessa de Panormo, O. F. M. sed numquam typis tradidit. Collectio habetur in conventu Aracoeli, Romae (1); tractatus noster in tomo II, p. 11-109 invenitur, eique praemissae sunt p. 4-10, litterae Auctoris ad Fr. Nicolaum de Auximo datae, in quarum fine, p. 10, his verbis sermo est de nostro tractatu:

Demum (2) *ut plura lucidius habeatis, ecce mitto vobis totum opus quod texui contra Berbegallum, quod precor non te tedeat lectura, quia plura reperies tibi chara, et aliis praeaccomoda, Deo dante, quod tamen opus et reliqua quae compegi, nedum Sacrosanctae Romanae Ecclesiae et Reverendissimo Patri Generali, et toti Ordini, sed etiam legentibus quibuscumque corrigenda, et emendanda humiliter, et devote submittere non postpono. Vale Pater et ora pro me.*

Sequitur immediate p. 10, Exordium, quod in dictis codicibus Capistrano et Vaticano desideratur, in quo magnam S. Iohannis a Capistrano humilitatem admirari licet. Dubito vero utrum hoc Exordium revera ad tractatum pertineat, cum desit in citatis duobus codicibus atque insuper Sanctus in tractatu ipso longe aliter loquatur. Invenitur tamen etiam in citandis editionibus. Sed forsan non sunt ista Exordii verba nisi « captatio benevolentiae », qua errantem Berbegallum reducere studuit Auctor, ideoque exemplari ei destinato forsan addita. Ecce vero brevis *Exordii* textus iuxta apographum Aracoelitanum:

Exordium (3).

Venerabili Religioso fervidoque Praeconi divino fratri Phylippo Berbegallo Ordinis Minorum professori Provinciae Aragoniae mihi in Christo Patri percolendo, salutem, gratiam, et pacem, et Religionis fructum optatum in perenni fruitione Christi Iesu Summi boni, et gaudii sempiterni, nec non et Orationum, ac bonorum operum tuorum communionem, participationem, et sortem ex charitate benigna, me ipsum totum, licet inutilem ad profectum (4) *carismatum unctionis spiritualis anhelantem te pronthi* (5) *contemptu terrenorum atque laudis humanae despectu prae nimis commendo.*

Tractatus titulum habet sequentem: *Explicatio Extravagantis Ioannis XXII primae, de verborum significatione* (6). *Sancti Ioannis de Capistrano adversus Berbegallum.*

---

(1) Plurimas grates refero R. P. Andreae Basili, O. F. M., et R. P. Iulio Cecchinelli, O. F. M., Prov. S. M. de Aracoeli a secretis, ob humane mihi praestitum auxilium. — Descriptionem collectionis a P. Io. Ant. Sessa factae interea habes ap. *Act. SS.*, Oct. X, 438. (2) In margine: *Nota diligenter.* (3) Deest hic titulus in Edit. Colon. infra citanda. (4) Editio Colon.: *perfectum.* (5) Editio Colon.: *provehi.*

(6) Idest bullae *Quorumdam exigit*, 7 Oct. 1317, contra Spirituales datae, *BF* V, p. 128, qua praecipue vestimentorum modus et provisio Superioribus relinquitur.



4) Editiones textus S. Joh. de Capistrano contra Berbegallum duae saltem habentur, quae tamen doctos, qui hoc de argumento scripserunt, generatim fugerunt (1). In collectione Aracoelitana tractatus contra Berbegallum editus dicitur, Venetiis in collectione *Repetitionum Iuris*, quae procul dubio est collectio cui titulus: *Repetitionum in universas fere Iuris Canonici partes, materiasque sane frequentiores volumina sex*, Venetiis 1587. Hoc exemplar in Bibliothecis Florentinis invenire nequivi; reperi vero editionem alteram, cuius titulus generalis (2) est: *Repetitionum iuris canonici volumina sex, nunc primum in Germania post Venetas impressiones auctius ed emendatius edita*, Coloniae Agrippinae 1618. (6 voll. in fol.). Tractatus contra Berbegallum invenitur in vol. VI, quod inscribitur: *Repetitionum ad Constitutiones Clementis Papae V ad nonnullasque extravagantes Volumen sextum*, et quidem in *parte altera*, (cum propria paginarum numeratione) pp. 116-131. Tractatui sequens praemittitur praefatio editoris:

Pag. 116: *E re fore existimavimus candide lector B. Ioannis a Capistrano scripta adversus P. Philippum Berbegallum hic inserere: cum enim huius Extravagantis materia late ex his examinetur; id quod post exactam diligentemque perquisitionem nostram fieri non potuit in c. exiit. de verb. sign. in 6. nec in clem. exivi. eo. tit. huc adiecimus.*

(Titulus:) *Explicatio extravagan. Ioannis XXII. primae de verb. signif. B. Ioannis a Capistrauo adversus Berbegallum.*

Sequitur *Summarium* in 94 sententiis compactum (p. 116); deinde p. 116: *Venerabili religioso* etc. sicut in *Exordio* supra posito.

Textus incipit p. 117: *Text. Bull. [iuxta praedicti ordinis instituta.] apostillae Berbegalli: No. quod sensus huius litere est, quod omnes fratres, qui affuerunt, congregentur* etc.

Expl. p. 121: *Gratiam autem et gloriam dabit Dominus: cui gloria, laus, decus et imperium per infinita saecula saeculorum Amen. Vale frater, et ora pro me. Ex urbe Anno D. M.CCCCXXXI. Indict. 9. de mense Maii.*

Utrum Postilla Berbegalli in codicibus alicubi separatim conservetur, ignoro. Sed in opusculo S. Ioh. a Capistrano integrum eiusdem Postillae videmur habere textum, ab Auctore proprio textui singulatim praemissum. Ipse vero Berbegallus suo textui praemittit Constitutionum Martiniarum verba, ad quae glossas facit, ita ut tres diversi in hoc Ioh. Capistranensis opusculo inveniantur textus, quos in specimine infra edendo variis typis distinguemus.

Ex Postillis in Constitutiones Martinianas et S. Ioh. a Capistrano refutatione videmus potissimum errorem Berbegalli illo tempore fuisse in eo, quod papales declarationes in Regulam Frat. Minorum admittere noluit. Capistranus in exordio relato, si revera ad textum pertinet, eum ut orthodoxum adhuc habet, sed in tractatu eum impugnando ex bulla *Quorumdam exigit*, directa contra rebelles Spirituales, iam sat ostendit quibus innovatorem connu-

(1) Cf. ex. gr. *Kirchenlexikon*, ed. 2; VI, 1606ss.; Holzapfel, *Manuale Historiae Ordinis Frat. Min.*, Friburgi i. B. 1909, 124. Attentionem meam ad editionem attraxit R. P. Anicetus Chiappini, O. F. M., Lector gen. hist. eccl., qui litteras S. Iohannis a Capistrano colligit.

(2) Singulorum voluminum tituli discrepant. Volumen I praeter titulum supra indicatum hunc habet: *Repetitionum in universas fere iuris canonici materiasque sane frequentiores....*



merat (1). Apertę etiam Berbegallo mutuationem novi modi vestiendi ab haereticis Fraticellis *della opinione* obicit, atque Beguardorum Beguinarumque errores. Tractatus noster scriptus est ante brevia pontificia sub n. X edenda, qua ex circumstantia videmus etiam opus S. Ioh. a Capistrano parum ad conversionem innovatoris profecisse (2), innovatorem imo in peius abiisse, uti brevia pontificia sat ostendunt. — Congregatio caeterum Capucciolae a Philippo Berbegall fundata, iussu Eugenii IV exstirpata est. Postea vero, vergente saec. XV, alia congregatio, simili nomine, *de caputio* sive *de sancto Evangelio,* usurpato, in Hispania surrexit, cuius auctor est Fr. Johannes Guadalupensis. Haec congregatio, non vero illa Berbegalli suppressa, nominatur in Leonis X bulla *Ite et vos,* a. 1517.

Quibus praemissis quosdam textus ex eo tractatu ad argumentum nostrum specialius pertinentes edemus sub n. XI, et quidem iuxta codicem XX Capistranensem, (A), adiectis hinc inde quibusdam lectionibus variantibus (3) e Cod. Vat. lat. 7339 (B).

X.

Eugenius IV contra Philippum Berbegall eiusque sectae asseclas in Aragonia et Castilia procedi iubet, Romae, c. a. 1434.

REG. BREVIUM I, fol. 113r-114v, ARCHIV. VATIC.
Arm. XXXIX, 7. A.

A N° 252. Eugenius etc. Dilectis filiis Consilio et Communitati Civitatis Valentie salutem. Nuper ad nostram notitiam est deductum, quod in partibus Aragonie et aliis locis Hispaniarum quidam Philippus de Berbogal (4) se asserens professorem ordinis fratrum minorum de observantia, sumpto colore, quod sanctus Franciscus suam Regulam et ordinem instituit sub quodam habitu, quem ipse de nouo adinuenit, difformi totaliter ab habitu approbato et consueto portari per fratres dicti ordinis, sub illo sectam novam induxit et multos uestiuit (5) eo habitu, asserens se posse hoc facere ex concessione fe. Re. Martini pape quinti predecessoris nostri (6), affirmando fratres alios dicti ordinis illum habitum non gestantes esse apostatas (7) nec seruare ordinis regulam dicti san-

(1) Cf. supra titulum in apographo Aracoelitano et in editione Coloniensi. Habetur haec bulla in *Extrav. Ioh. XXII,* tit. XIV, de verb. signif. cap. I.

(2) Plures auctores referunt praeter S. Ioh. Capistranum etiam Fr. Iohannem Britium (Brixium), quondam Ministrum Provinciae Franciae, Doctorem Parisiensem, contra Philippum Berbegallum scripsisse. Ita Paulus Britius, *Seraphica Subalpinae D. Thomae Provinciae Monumenta,* Taurini 1647, lib. III, *de viris illustribus,* p. 294-95; *Orbis Seraphicus,* de Missionibus II, Quaracchi 1886, 883; Sbaralea, *Suppl. ad Scriptores,* Romae 1806, 339. Sed, ni fallor, horum auctorum sententia in male intellecto loco Waddingi, ad a. 1433, n. 11, reponitur.

(3) Eas humane collegit R. P. Cyprianus Napast, O. F. M., Lector gen. hist. eccl.

(4) Ita etiam in brevi secundo, in tertio vero *Berbegall.* Priores formae non sunt, uti videtur, nisi scribarum saec. XVII errores.

(5) Textus male *vestunt.* (6) Cf. supra, VI, 710. (7) Cf. infra, p. 719.



cti, multipliciter personas et conuentus eorum diffamando, diciturque quod ipse et sui sequaces miscendo articulos [f. 113v] et sectam Bohemorum cum secta fraticellorum qui sunt in Italia, predicant et docent faciuntque seditiones et scandala non ferenda, et inde populus insurgit contra clerum et Nobiles, et est periculum ne secta huiusmodi, multiplicatis et inueteratis erroribus, invalescat, presertim cum dicantur etiam quedam mulieres vulgariter Veguine (1) habitum tercij ordinis sancti eiusdem sine aliqua professionis emissione sumpsisse, et nihilominus ad libitum suum uiuere sine coercione aliqua, singulare in dedecus et dissolutionem religionis.

Nos igitur volentes, ut tenemur ex iniuncto nobis summi Apostolatus officio, talibus scandalis, perturbantibus (2) statum ecclesiasticum et politicum, obuiare, deuotionem uestram hortamur, requirimus et rogamus, quatenus in Civitate et diocesi Valentinensi inuestigari et requiri faciatis diligenter, et si reperiantur predictus Philippus et aliqui alii ex fratribus talis secte vel habitus, talia predicantes, faciatis eos ab huiusmodi predicatione prohiberi et locorum ordinariis contra eos de nostro mandato procedentibus faueatis et assistatis. Datum Rome.

B [f. 114r] 252 (3). Eugenius etc. Carissimo in Xpo filio Ioanni Regi Navarrae salutem etc. Nuper (*etc. ut sub* **A** *usque*) et politicum, obviare, in simili forma dilectis filiis consilio et communitati Civitatis Barchinonenis et ita fuit etc. Deuotionem uestram hortamur, requirimus et rogamus, quatenus in Civitate et diocesi Barchinonensi inuestigari (*etc. ut sub* **A**). Datum etc.

C [f. 114r] 253. Eugenius etc. Dilecte in Xpo filie mulieri nobili Catherine Infantisse Castelle salutem, etc. Nuper (*etc. ut sub* **A**) de Berbegall.... hoc facere et confessione (4) fe. re Martini.... petulationibus (5). Nobilitatem tuam hortamur, requirimus et rogamus, quatenus in predictis partibus, locis et terris, quantum possibile tibi erit, inuestigari et requiri facias diligenter et si reperiatur.... precipias et ordines... faveas et assistas. Datum Rome, etc.

XI.

Extracta ex tractatu S. Iohannis a Capistrano contra Fr. Philippum Berbegall. (a. 1431).

COD. XX. CONVENTUS FF. MIN. CAPISTRANI, f. 169r ss.

TESTUS (6) BULLE: *Iuxta predicti ordinis instituta.* APOSTILLA BERBEGALLI: *Nota quod sensus huius lictere est, quod omnes fratres qui affuerunt, congregentur ad capitulum iuxta modum ordinis, secundum ordinis instituta, idest sicut est ordinatus modus congregandi capitulum in constitutionibus, quia in regula non continetur modus, set in statutis. Set reformatio secundum puritatem regule habet fieri, quia illa* (7) *forma nostra, et secundum illam promisimus deo uiuere et illa est forma nostra*

(1) In secundo et tertio brevi: *beginne.* (2) Ita recte sub **B**; textus male *perturbationibus.* (3) Sic. (4) Legendum potius *ex concessione* uti sub **A**. (5) Lege *perturbantibus.* (6) Ita semper in Codice A. (7) B add. *est.*

uiuendi, et per illam et secundum illam debemus reformari. Et ideo, quia ille est spiritus domini nostri et debite (1) *iustitie. Ideo sic de necessitate sic debet lictera punctuari et non sicut preuaricatores ueritatis punctuant.*

1. RESPONSIO: Quod de summi pontificis sensu protulisti, verum dixisti, quod autem de tuo, veritatis sermonibus detraxisti, ad increpandum tantum (2) eloquia concinnasti *et in uentum verba depromis*, iuxta illud Iob 6 (3). *O presumptio nequissima unde creata es?* Ecclesiastici 37 (4). Non nisi a diabolo, Ysa. 14 (5) *quomodo cecidisti de celo lucifer, qui mane oriebaris* [*sequuntur initialia verborum vers. 13-14*] ideo deicienda *est ad inferos superbia* (6) etcetera.

Dixisti namque quod modus congregandi capitulum in regula non continetur. Si bene legisti, in regula invenisti in 8. c. *de electione generalis ministri et de* (7) *capitulo pentecosten*. Ibi traditur modus et forma congregandi capitulum generale et eligendi ministrum Generalem a ministris prouincialibus et custodibus. Et ex inde postmodum in constitutionibus et statutis ordinis ampliata est materia. Quare igitur reformatio habet fieri non solum secundum puritatem regule more tuo, set etiam secundum declarationes summorum pontificum concernentes (8) puritatem regule et eliminantes scrupulos conscientie timorate et *bonarum mentium*, que *ibi timere solent culpam, ubi et culpa minime reperitur; extra, de observ. ie.* c. 2 (9), § *cum autem, cum sy.* Set ut video p a x i o (10) c o r d i s t u i e t f i c t i o m e n t i s t u e e x i n o r d i n a t o z e l o c a p u c t i o l i d e l a t i p e r h e r e t i c o s F r a t i c e l l o s d e l l a o p p i n i o n e v u l g a r i t e r n u n c u p a t o s t e d e c i p i t e t d e b a c h a t. Videris namque inferre uelle, quod non regula sub ecclesia, set ecclesia sub regula tua debeat militare. Cuius tamen exprexe contrarium in ipsa nostra regula Seraphicus pater (11) noster beatus Franciscus pluries protestatur, ut in 1 c. (12) *promictit obedientiam et reuerentiam domino pape Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus et ecclesie Romane* et cetera (13). Et in 2° c° (14) refert se ad mandatum domini pape dicens: *Et nullo modo licebit eis de ista religione exire, iuxta mandatum domini pape* et cetera.

Et in 3° c° (15) subicit se et ordinem conformitati Sancte Romane ecclesie dicens: *Clerici faciant diuinum officium secundum ordinem sancte Romane ecclesie* et cetera. Et in 9. c. (16) etiam inferioribus a papa se et suum ordinem quo ad quid humiliter subiugauit dicens: *Fratres non predicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum* et cetera. Et in 11. c. (17) etiam defert debitam reuerentiam sedi apostolice dicens: *Precipio firmiter Fratribus vniuersis* et cetera, *et ne ingrediantur monasteria monacharum, preter illos, quibus a sede apostolica concessa est licentia specialis* et cetera. Et in 12 et ultimo c° (18) expressius se et suam subpeditat religionem Sacrosancte Romane ecclesie dicens: *Ad hec per obedientiam iniungo ministris, vt petant a domino papa vnum de sancte Romane ecclesie Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sancte Romane ecclesie stabiles in fide cattholica* et cetera.

---

(1) B *debitum*. (2) B *tamen*. (3) V. 26. (4) V. 3.
(5) V. 12. (6) Is. XIV, 11. (7) B om. (8) B *cernentes*.
(9) III, 46, c. *Consilium nostrum*. (10) Lege *passio*, et subinde *expresse* pro *exprexe*. Similes formae saepe ap. A. (11) B *frater*. (12) *Opusc. S. Fr.*, 63.
(13) B hic et deinceps saepius om. (14) L. c. 65. (15) L. c. 66.
(16) L. c. 71. (17) L. c. 73. (18) L. c. 74.

TESTUS BULLE: *Talis reformatio fiat, que deo accepta.* APOSTILLA BERBEGALLI: *Deo accepta nulla alia potest esse, nisi pure regularis et uera, iusta et sancta, quia talis est uoto sollempni deo promissa.*

2. RESPONSIO. Puritas presupponit tantam rei integritatem, ut nulla commistio locum habeat, ita ut neque additio neque diminutio fieret de subiecto secundum subiectam materiam, iuxta notam per Io. An. in c° *statutum* § *insuper* de R., libro 6 (1), super verbo *cum omni puritate,* et notam archidiaconi (2) 11, q. 3 (3) *pauper,* facit c. *quia ex eo,* de pac., libro 6 (4), ibi *quos decet puritatem omnimodam in suis actibus obseruare* et cetera. Ideo (5) de Predicatoribus et Minoribus. Unde ex eo quod dicis *nisi pure regularis,* adeo videtur quod te restringas ad regulam, ut nulla constitutio ecclesie vel declaratio locum habeat, quod tamen falsum est, quia non [f. 169v] a Petro petra, set a petra Petrus sumpsit originem. Cum dixit dominus: *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam,* Matth. 16 (6), et 50. di. (7) *fidelior; Petra autem erat xps,* 1 ad Cor. 9 (8), et de cons. di. 2 (9) *in calice,* et c. (10) *reuera.* Sic non a regula nostra ecclesia, set ab ecclesia regula derivatur; nam et si regula sit euangelica, attamen nec euangelia me astringunt preter ecclesie constitutum, nec tenerer ea credere, nisi ecclesia confirmasset, sicut non teneor credere, nisi ecclesia confirmasset; sicut non teneor credere euangelium Nicodemi, quod non est ab ecclesia comprobatum, iuxta illud Augustini *Contra epistolam fundamenti* (11), quid namque foret quecumque austeritas nostre regule, si non esset ab ecclesia comprobata, que pro sue fidei fundamento xpm yhm posuit et locauit. Vt dicit apostolus 1 ad Cor. 3 (12): *Secundum gratiam dei que data est michi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superedificat, vnusquisque autem uideat quomodo superedificet. Fundamentum enim aliud nemo ponere potest preter id quod positum est, quod est xps yps.* Idem, extra, *de presbiter. non bap.,* c. (13) *Veniens,* 1. q. 1. *Cum apostolus* (14), et *de elect.* c. (15). *Fundamenta* circa prin., libro VI. Illa igitur reformatio erit deo accepta, regularis, iusta et sancta atque uera, que sic a uero deo et suo uero vicario Summo pontifice fuerit approbata, qui est quasi deus in terris, maior homine, minor deo, singularissimus Vicarius xhu X[i], ut in c. (16) *Quarto,* et in c. (17). *Inter corporalia,* extra, *de translatione,* et in dicto capitulo *Fundamenta,* § *decet.*

[f. 170r] 3. RESPONSIO... Videris itaque ex tali audacia non subesse, sed preesse ecclesie dei; sic namque et alias pululavit heresis ex arrogantia Magistri Michelini de Cesenis tempore Iohannis 22, quia non humiliter se submictebat determinationi ecclesie de paupertate X[i] et apostolorum eius, ex qua heretica pravitate multi iam sunt combusti, et dediti in ruinam, et idem Iohannes 22 statuit sub pena excommunicationis talia cappuctiola ulterius a legitimis catholicis et veris fratribus non deferri etc.

[f. 170v] 4. RESPONSIO... Set constat, quod possum me conformare in habitu religioso, in quo reluceat asperitas, vilitas et paupertas eo modo, quo ecclesia sancta determinat in statutis etc. Nam Nicolaus 3. in const.

---

(1) I, 3, c. 11. (2) Archidiaconus est Guido de Baysio † 1313; cf. F. v. Schulte, *Die Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts,* II, Stuttgart 1877, 186. (3) Cap. 72. (4) I, 18, c. 3. (5) B *loquitur.*
(6) V. 18. (7) Cap. 54. (8) Revera cap. X. 4. (9) Cap. 83.
(10) Cap. 69. (11) Cap. 5, n. 6, Migne, P. L. 42, 176. (12) V. 10-11.
(13) III, 43, c. 3. (14) Cap. *Cum Apostolus* habetur, extra, III, 39, c. 6, sed ad rem non est, nec citationi textus correspondet. (15) Cap. 17, I, 6.
(16) Extra, I, 7, cap. 3. (17) L. c., cap. 2.

Exiit qui seminat, § *licet autem,* de verborum sy. l. 6. et Clemens 5. in cle. *Exivi de paradiso,* § *preterea,* de ver. signifi. in cle., remictunt ministris et custodibus sic succinte. Iohannes tamen 22, ut dixi, plenius de longitudine, latitudine, et grossitie et subtilitate, forma seu figura atque similibus accidentibus, quales esse debeant tam habitus habituumque capputia, quam interiores tunice et de omnibus concurrentibus circa vestimenta predictorum ministrorum et custodum conscientiis et determinationibus diffiniendum et terminandum, a fratribus omnibus observandum remisit, imposuit et sub excommunicationis sententia demandavit in sua extravaganti, que incipit: *Quorumdam exigit,* etc.

[f. 173v] 7. RESPONSIO... Ergo non credas, quod dato quod beatus pater noster Franciscus detulisset capputiolum tuo modo, sit per eum lex imposita Pape, a qua non liceat sibi recedere, quia pro varietate temporum, sicut divine leges sunt immutate, ita fortius possunt ex causa immutari leges humane.

[f. 177v] 9. RESPONSIO... Nam sub zelo paupertatis observande et parvi habitus capputioli deferendi, multorum animas vulneratas detinet in laqueis pravitatis inobedientie pertinacis [diabolus].... Set dices, non agimus contra obedientiam, quia habuimus iam licentiam (1). Huic exceptioni constat responsio, quia constat revocatio talis licentie....

[f. 179r] An ignoras, quia hec est quedam dampnata superstitio, quam scripsisti in quadam tua epistola destinata per te fratri Mattheo de Sicilia (2): in qua memini me legisse, te asserere, quod quicumque ex Fratribus Minoribus a tempore beati Francisci citra portaverunt habitum alio modo, quam portaverit beatus Franciscus, et sic per consequens alio modo quam tu portes, esset dampnatus. Sanctus Ludovicus portavit alio modo, ergo est dampnatus? *Absit hanc rem facere, ut inferamus crimen glorie nostre,* I Mach. 9 (3)....

[f. 179v] Attende frater Philippe, ne quod contra alios irrogas, contra te ipsum retorqueas et de te dicatur illud Apostoli ad Ro. 2 (4): *In quo enim iudicas alterum, teipsum condempnas.* Non enim dicitur portare habitum sue religionis, qui non portat ut debet, argument. extra, de regul. iur. c. *Qui ex timore;* Nam non dicitur factum, quod non legitime et rite fit.... Unde Iohannes Andree in c. *Ut periculosa, ne cleric. vel monach.* lib. 6, tenet, quod quandocunque monachus vel religiosus exhibet se conspectibus hominum sine proprio habitu, sive in habitu clericali, sive in habitu laicali, ipso facto incidit in sententiam excommunicationis.

[f. 184r] TESTUS CONSTITUTIONIS POST ULTIMUM CAPITULUM. Ibi: *Teneantur firmiter obedire in hiis omnibus supradictis et aliis licitis et honestis, que non sunt contra animam suam et regulam dicti ordinis.*

APOSTILLA 23: *Hic dominus Cardinalis a spiritu sancto inspiratus liberat omnes pure et perfecte volentes regulam observare ab omni ordinatione veritati et puritati regule contraria; set puram et liberam et plenam dat omnibus facultatem in observantia regulari, quia sic tenebatur facere de iure divino et humano, et ita semper intellexit facere. Set si forsitan false et sinistre fuit in aliquibus ordinationibus consultus ab ordinis prelatis vel presidentibus, nunquam tamen intendit nec voluit veritati regule in aliquo derogare. Et ista est voluntas domini nostri pape et etiam domini Cardinalis, sicut hic littera manifeste dicit et explicat, sanctam et rectam iustitiam in tentatione temporum.*

(1) Cf. supra, AFH VI, 710; 715.
(2) Forsan B. Matthaeus inde ab anno 1443 episcopus Agrigentinus.
(3) Vers. 10 cum lacunis. (4) Vers. 1.

RESPONSIO [13]: Videris ostendere te fuisse in cripta Toletana, ita nosti solempniter diuinari (1), cum astrictionem et obligationem nominas liberationem. Hic equidem Dominus Cardinalis dicit: *volumus et mandamus ac stricte precipimus universis et singulis fratribus eiusdem ordinis,* et infra, *quod in his omnibus supradictis suis prelatis teneantur firmiter obedire* etc. Et tu dicis, quod *liberat omnes pure* etc. et sic iterum velles regulam intelligere tuo sensu, ut liceret tibi vivere in spiritu libertatis, ne sub ullius obedientia redigaris, quasi velis suscitare heresim Begardorum et Beginarum, asserentium posse quem ad talem perfectionis gradum devenire, quod in tali gradu et spiritu libertatis constituti, non sunt humane subiecti obedientie, nec ad aliqua precepta ecclesie obligantur, quia, ut asserunt, ubi spiritus domini, ibi libertas....

[f. 184v] Illi autem Beigardi et Begine, qui aliter de obedientia sentiebant, dampnati fuerunt de heresi, ut in c. *Ad nostram, de heret.* in clem. Deponas igitur omnem tui cordis nebulam et ambiguitatem mentis, ac caliginem intellectus, et humilia animam tuam, tollens *iugum* Domini *super* te, quia *suaue est et onus leve,* Matth. 11 (2), et nolis imponere iugum domino summo pontifici, cuius personam representabat Reverendissimus Dominus legatus, de quo presumis dicere, quia *sic tenebatur facere de iure diuino et humano,* quasi velis imponere legem, sub cuius te oportet degere lege. Nonne ecclesia dedit tibi legem et regulam sub qua Deo digne valeas militare, et informes animam tuam ad obediendum Deo et ecclesie sancte sue? Quid potuisti totis tuis viribus indagare, ut false et sinistre, ut imprudenter asseris, fuerit in aliquibus ordinationibus consultus prefatus Dominus legatus a prelatis et presidentibus ordinis?

[*Sequitur immediate finis tractatus*]:

[f. 184v]. Gratias ago deo meo, Cui seruire intendo in spiritu et ueritate, quia in omnibus ordinationibus et constitutionibus factis et editis per sepe dictum dominum legatum (3) nesciuisti quid aliud subindere (4) nisi [f. 185r] illud incompactum tuum uerbum: *contra regulam est manifeste et manifestissime,* quod tamen (5), ut supra suis locis patuit, falsissimum est et inane. Libeat igitur reverti ad cor tuum, recognosce culpam de tanta irreuerentia erga tantam celsitudinem potestatis sacrosancte Romane ecclesie. Corripe te ipsum, muta mores, renoua sensus, attende mandatis, prebe diligenter aures ad auditum. Et dic ecclesie Sancte dei (6): *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Priusquam humiliarer ego deliqui,* iam amplius non delinquam, quia *humilibus deus dat gratiam* (7). *Gratiam autem et gloriam dabit dominus* (8). Cui gloria, laus, decus et imperium per infinita seculorum secula. Amen, amen (9), amen, amen.


Vale frater et ora pro me. Ex Urbe. 1431. Indictione 9 de mense maii etcetera 9. [*manu S. Ioh. de Capistrano:*] Frater Iohs de Capistrano, Ordinis Minorum minimus et indignus.

(1) Haec locutio S. Iohannis a Capistrano explicatur ex eo, quod Toleti scientia necromantiae doceri medio aevo credebatur, qua de re Salimbene noster perpulchra exempla praebet in *Chronica,* ed. Holder-Egger, MGH SS XXXII, 32: 393-94, ubi editor in notis alia ex auctoribus affert exempla. (2) Vers. 29-30.

(3) Videtur esse Ioannes Cervantes; cf. Eubel, *Hier. cath.*, II, 74.

(4) Sic! B et Ed. Col. *subindire.* (5) A *tum.* (6) Ps. 118, 66-67.

(7) Iac. IV, 6. (8) Ps. 83, 12. (9) B om. caetera *amen.*





APPENDICES.

I.

De Fraticellis III Ordinis et de Apostolis.

In bulla (1) *Sancta Romana atque universalis Ecclesia,* Avinione 30 Dec. 1317, non solum Fraticelli haeretici, qui hic primum hoc sub nomine in documento pontificio apparent, atque ex antiquis Spiritualibus Ordinis Minorum plus minusve prodierant, reprobantur, sed *nonnulli etiam ex ipsis asserentes se esse de tertio Ordine beati Francisci poenitentium vocato praedictum statum et vitam eorum sub velamine talis nominis satagunt palliare, cum tamen in regula ipsius tertii ordinis talis vivendi ritus nullatenus sit concessus.* Eodem sensu ad Papam Iohannem XXII scribit magistratus et populus Montispolitiani (*Montepulciano* in Tuscia) sub die 15 Feb. 1322 (*Archivio di Stato, Firenze (ASF), S. Croce, 15 Feb. 1322*): *Ad aures nostras fidedigna relatione peruenit, quod quidam in tholosanis et aliis circumstantibus partibus sunt reperti, qui sub pelle ouina et habitu sanctitatis tamquam lupi rapaces nefandis erroribus implicantur, asserentes se fore de ordine tertio beati Francisci, qui apud nos o r d o m a n t e l l a t o r u m uulgariter nuncupatur, qui tamen de dicto ordine ueraciter non existunt, cum in sua professione, ut dicitur, uota includantur paupertatis et castitatis, que uota predicti ordinis regula non includit....* Talia III Ordinis membra et Congregationes, quae in Gallia meridionali asseclae saeculares Petri Iohannis Olivi potissimum erant (2) atque Beghini vocabantur, vitam communem ducebant, quin tamen ipsa Regula III Ordinis talem modum vivendi provideat, ut Iohannes XXII et cives Montispolitiani notant locis citatis. In Italia, vergente saeculo XIII, Communitates III Ordinis similiter surgebant, atque in Tuscia saltem o r d o M a n t e l l a t o r u m, iuxta relatum testimonium, vocabantur, nec clare apparet quomodo vixerint, nec cui Ordini regulari proprie dicto se adnumeraverint. Facillime fieri potuit tales Congregationes orthodoxas fuisse, imo si relationes ad auctoritates locales inspicimus, fere semper tales fuisse concludere oportet (3). Ecclesia vero ius novos Ordines ap-

(1) *BF* V, p. 134.

(2) Bernardus Guidonis, O. P., *Flores Chronicarum,* scribit a. 1327: « Ex qua postilla [Petri Ioh. Olivi in Apocalypsim] sumebat originem et fomentum secta quaedam pestifera illorum, qui Beguini sunt vulgariter appellati, q u i s e f r a t r e s p a u p e r e s d e t e r t i o o r d i n e s a n c t i F r a n c i s c i c o m m u n i t e r n o m i n a b a n t ; ex quibus quam plures fuerunt per iudicium praelatorum et inquisitorum hereticae pravitatis tanquam heretici condemnati et relicti iudicio curiae secularis et combusti in diversis locis in provincia Narbonensi et ultra Rhodanum et in aliquibus partibus Tolosanis »; ap. ALKG III, 456. — Medio saec. XIV. Inquisitor Nic. Eymericus saepissime Fratres III Ordinis Fraticellos vocat et cum Beghinis et Bizzochis idem esse asserit; cf. textus ap. Garampi, *Memorie ecclesiastiche.... della B. Chiara di Rimini,* Roma 1755, 154-56.

(3) Cf. infra, p. 000, nota 0, testimonia civitatum Tusciae.

probandi atque invigilandi sibi merito numquam non reservavit, et hac ipsa de causa saepe novos Ordines repressit.

Subicio hic aliquos textus Communitates tales respicientes. Imprimis documenta quaedam edo summarie vel integre locum Cellarum prope Cortonam respicientes ab anno 1301 usque 1318.

Notum est locum Cellarum in vita S. Francisci (1), Fr. Guidonis de Cortona (2), atque Fratris Eliae (3) saepius nominari. Locus a Fratribus Minoribus derelictus fuisse videtur versus medium saeculum XIII, postquam Fr. Elias ecclesiam et conventum S. Francisci intra muros civitatis Cortonae construxit. Cum opere praesertim S. Margaritae de Cortona versus finem saec. XIII Tertius Ordo Cortonae prospere floreret, et sacerdotes atque laicos in una congregatione complecteretur, quidam eorum ad Cellas se recepisse videntur (4), ut vitam regularem ducerent, dum alii intra civitatem remanerent, sive ut hospitalis Misericordiae curatores atque rectores, sive ut cappellani ecclesiae S. Basilii, quae in summitate civitatis seu in Podio *(Poggio)*, eo scil. loco surgebat, ubi nunc templum et conventus S. Margaritae conspiciuntur (5). Talis cappellanus erat ex. gr. Fr. Felix, qui pluries nominatur in Legenda S. Margaritae et in documentis localibus atque expressis verbis aliquando ut Tertii Ordinis designatur, atque ut Presbyter Felix occurrit in documento nostro n. 6.

Ad habitatores igitur loci Cellarum prope Cortonam **Docc. 1-6** referuntur, quae Florentiae in ARCHIVO NATIONALI (adhibebitur sigla *ASF = Archivio di Stato, Firenze*) sub voce *Unione di Cortona* inveniuntur. Extracta et argumenta eorumdem documentorum habentur etiam in Codice 598 Academiae Etruscae, Cortonae, f. 24r-v; 24v-25r; 30r-v; 30v-31r; 31r-32r; 36v-37r, qui codex est Index a. 1762 confectus documentorum *Unionis locorum Piorum* Cortonae, postea Florentiam translatorum. Documentum 6 etiam transcriptum est a. 1754 in collectione *Notti Coritane* (6), et quidem in tomo XI, p. 47-48; cf. 48-50; qui tomus XI correspondet Cod. 443 Academiae Etruscae, Cortonae.

---

(1) II Cel. II, 55, p. 236; II Cel. II, 9, p. 198; *Spec. perf.* ed. Sabatier, c. 31, p. 59.

(2) *Anal. Franc.* IV, 261; Ugo Sernini Cucciatti, *La Leggenda del Beato Guido primo seguace in Cortona di S. Francesco scritta nei primi anni del secolo XIV*, Cortona 1900.

(3) Salimbene, *Chronica*, ed. Holder-Egger, ap. MGH SS. XXXII, p. 104; 157; 158; 162. Cf. etiam Lempp, *Frère Elie de Cortone*, Paris 1901, p. 121, et infra documenta 1 et 2.

(4) Cf. P. Gius. Landini, C. R. S., *Il Codice Aretino 180, Laudi antiche di Cortona*, Roma 1912, p. 32-36; Lodovico da Pelago, O. F. M., *Antica Leggenda della vita e de' miracoli di S. Margherita di Cortona....* Lucca 1793, II Parte, Diss. VI, p. 69-74: *Dello stato del terz' Ordine di S. Francesco, specialmente in Cortona, a' tempi di S. Margherita*. Landini p. 35 citans codicem ms. XVIII Archivi episcopalis Cortonensis (de quo codice cf. ib. p. 19) de Tertiariis Cortonensibus scribit: « I quali in Cortona e altrove si dissero anche i *Mantellati* o *Fraticelli:* e ad alcuni tra essi che vollevano condurre vita più ritirata rimase il Convento delle Celle, dopo che l'ebbero lasciato i Minori ».

(5) Landini, l. c., p. 35-36; Lodovico da Pelago, l. c. Diss. III, p. 42-52: *Della chiesa de' Frati Minori in Cortona,... e della chiesa di S. Basilio....*

(6) De hac collectione 13 voluminum Cortonae medio saeculo XVIII exorta cf. Girol. Mancini, *I Manoscritti della Libreria del Comune e dell' Accademia Etrusca di Cortona*, ib. 1884, p. XVII-XX; 190-98. Idem ap. Mazzatinti-Sorbelli, *Inventari dei Manoscritti delle Biblioteche d'Italia*, XVIII, p. 172-80. Idem, *Il contributo dei Cortonesi alla cultura italiana*, Firenze 1898, p. 86.



Transcriptio demum eiusdem documenti 6 reperitur in Codice quodam P. Ludovici de Pelago, O. F. M., *Sommario della Storia della chiesa e del convento di S. Margherita di Cortona,* 1781, p. 255-56; cf. ib. p. 224-25 (1).

Notandum mihi videtur in documentis **1-5,** a. 1301-1308, nomen huiusce Congregationis non indicari sed Fratrum tantum loci Cellarum dici. Ex eo quod possessiones habent (cf. documenta) claret Fratres illos eo saltem tempore nec e Spiritualibus Ordinis Minorum fuisse, nec ullo modo ad asseclas extremae paupertatis pertinuisse (2). Erant vero de eorum numero sacerdotes et laici. In documento **5** vero apparet Prior generalis locorum et Fratrum huius Congregationis. Horum textuum dum argumentum tantum vel extracta quaedam edo, documentum **6.** integrum exhibeo. In eo enim habitatores Cellarum expresse Fraticelli vocantur atque vigore bullae *Sancta Romana* e loco eiciuntur, ecclesiaque sacerdoti saeculari traditur, assentiente Fratre Felice supradicto, qui *suo dumtaxat nomine* (non nomine Tertiariorum) verus eiusdem ecclesiae patronus dicitur, ex quo iam concludere possumus illos Fraticellos Cellarum ad Tertium Ordinem relationem habuisse nec necessario haereticos fuisse (3). Quae a sequentibus etiam confirmantur. Fraticelli enim e loco Cellarum expulsi intra muros civitatis se receperunt et quidem ad Podium *(Poggio)* (4) prope ecclesiam S. Basilii, ubi habitatio III Ordinis subsistebat (5) atque adhuc a. 1363 ibi erant, quo anno Iohannes episcopus Theani (1361-63, *Teano,* in Italia meridionali) Cortona oriundus, legavit maximam partem domorum suarum Cortonae « pauperibus Fraticellis » testamento, ex quo extractum edemus = **Doc. 7.** Quod si hi Fraticelli Cortonenses fuissent haeretici vix Episcopus, qui insuper speciali modo Ecclesiae administrationi temporali in Italia addictus erat (6), eis benefecisset (7).

---

(1) De eo Codice loquitur P. Saturninus Mencherini, O. F. M., apud *La Verna,* an. IX, n.[1] 7-8, p. 323, nota 3.

(2) Excluditur igitur opinio veterum Bollandistarum *Act. SS.,* Iun. II, 605 (ed. 1.) eremitas illos fuisse Caelestinos = Spirituales. — Anno 1537 locus Cellarum PP. Cappuccinis traditus est, qui nuncusque eum inhabitant. Cf. F. Sisto da Pisa, O. M. Cap., *Storia dei Cappuccini Toscani,* I, Firenze 1906, 59 ss., ubi p. 60[3] citatur etiam P. Biagetti, *Cortona - Convento delle Celle,* ap. *Eco di S. Francesco,* Sorrento 1879.

(3) Praeterire tamen nequeo traditionem quamdam popularem in loco Cellarum exsistentem quoad Fraticellos. Adest enim vel hodie intra habitationem quaedam constructio rotunda intus vacua, quasi cisterna, cuius usus nescitur, a populo vero *trabuchetto dei Fraticelli* vocitatur, quasi Fraticelli homines perdendos in locum illum iniecissent.

(4) Cf. G. Mancini, *Cortona nel Medio Evo,* Firenze 1897, p. 90: « I Frati espulsi [dalle Celle] si ritirarono nel Poggio dentro Cortona ». Auctor citat.: *Regesto della fraternita della Misericordia,* 4, ap. *Archivio dello Ospedale di Cortona.*

(5) Cf. Lodovico da Pelago, *Antica Leggenda di S. Margh.,* parte II, registro, n° XI, p. 166; n. XIII, p. 168. Nonnisi a. 1392 Magistratus Cortonae voluit, ut ecclesia S. Basilii a Fratribus Minoribus deserviretur, qui alendi atque sustinendi erant a Monasterio Clarissarum « in dicto Podio Cortone » construendo, ad quod bona Oratorii S. Basilii transferenda erant; cf. instrumentum ap. Lodovico da Pelago, l. c. n. XXI, p. 175-78.

(6) Cf. Filippo Venuti, *Xenium secundum,* (Burdigalis 1745), ubi p. 4-5 duae bullae Innocentii VI eduntur, quarum prior inscribitur: *Dilecto filio Iohanni nato quondam Mutii Cortonio, Archidiacono Cortonensi, in Provinciis Campaniae et Maritimae pro nobis et Ecclesia Romana Thesaurario,* altera: *Dilecto filio Iohanni Mucii electo Theanensi...* (a. 1361). — Nescio cur G. Mancini, *Cortona nel Medio Evo,* p. 90, Iohannem « Fratrem » vocet.

(7) Aliud testamentum, quo Fraticellis certa relinquitur summa habetur ap. *Archivio di Morello* in Bibl. Seminarii episcopalis Aretini, Protocollo 5° di Ser Guido di

Tertio vero beati Francisci Ordini e bulla *Sancta Romana* incommoda et pericula evenisse luculenter probatur e libellis supplicibus, quos anno 1322 plurium Tusciae civitatum sive magistratus sive praelati ecclesiastici ad Iohannem XXII et Sacrum Collegium dederunt, exponentes et testantes asseclas Tertii Ordinis iis in civitatibus, imo in tota Tuscia, non esse haereticos nec quid commune habere cum Beghinis Galliae meridionalis et Hispaniae. In Archivo Nationali Florentiae (ASF) *S. Croce,* decem et octo originalia sive membranacea, sive chartacea instrumenta huiusmodi conservantur, data intra diem 4 et 25 Feb. 1322, dum alia duo originalia in Codice Bibl. Nat. Florentiae, cl. VIII, cod. 1392 habentur. Ex his documentis (1) illud datum a civitate Cortona ex praecitato Codice Bibl. Nat. Flor. integre edemus = **Doc. 8.**

In Tuscia plures conventus Fratrum orthodoxorum III Ordinis, Fraticellorum nomine, fuisse saec. XIV luculenter probavit nuper Canonicus Pisanus S. Barsotti in opere cui titulus: *Un nuovo fiore serafico, il beato Giovanni Cini confessore Pisano, soldato ed eremita, Fondatore dei Fraticelli della Penitenza ed uno dei Fondatori della pia Casa di Misericordia* (2), ad quem remittimus harum rerum studiosos. Pro tota Italia habemus catalogum numeri Congregationum Tertii Ordinis Poenitentium ex anno 1385 editum a Little ap. *Opusc. de crit. hist.* I, 295, quin tamen adiciatur eorum specialior denominatio. Medio saec. XV

Rodolfo, p. 76v: Testamentum Dominae Phiae, quae legat *Fraticellis de Lignano quadraginta solidos*. Communicatum mecum a P. Ioh. Giaccherini, O. F. M., Lect. gen. hist. eccl. in conventu Sargiani prope Aretium. In Monte Lignano, prope Aretium, plures sunt antiquae parvae habitationes claustrales, quarum duas vidi mense Augusto a. 1913, scil. *Val di Romana* et *S. Giovanni al Deserto;* hic supra portam quamdam legi lapide incisam inscriptionem: *MCCCXV;* eodem in loco PP. Cappuccini, teste P. Sisto da Pisa, *Stor. dei Capp. Tosc.*, p. 58, a. 1537 sedem fixerunt per breve tempus, sed mox reliquerunt, uti antea fecerant quoad alias duas habitationes in eodem monte Lignano sitas.

(1) Sunt vero sequentes: 1) 4 Feb. 1322 Senis, Loffredus Caetanus, nepos *(pronipote)* Bonifatii VIII, Potestas, aliique ad Iohannem XXII; commemorantur hae litterae a Davidsohn, *Forschungen zur Geschichte der Stadt Florenz,* IV, Berlin 1908, 381). 2) Eodem loco et die, Iacobus abbas S. Michaelis Ord. Vallisumbrosae ad Cardinales. 3) Eodem loco et die Iohannes Ptolomaei rector hospitalis ad Cardinales. 4) 5 Feb. Lucae, ad Ioh. XXII. 5) Eodem die Pistorii, Commune et populus ad Ioh. XXII. 6) 6 Feb. repetitio n[i] 5. 7) 6 Feb. Senis, repetitio n[i] 2. 8) 9 Feb. Clusii (*Chiusi*). 9) 11 Feb. Castri plebis ad Ioh. XXII, (*Città della Pieve*). 10) 11 Feb. Aretii, Guidus episcopus ad Ioh. XXII. 11) 15 Feb. Castri Castilionis, Bernabos ep. electus Lunensis *(Luni-Sarzana)* pro provincia Lunensi. 12) Eodem die Monte Politiano *(Montepulciano)* ex quibus litteris supra, p. 721, dedimus extractum. 13) 23 Feb. Massae (editae a F. Tocco, *Studii Francescani,* Napoli 1909, 235). 14) Repetitio n[i] 13. 15) 24 Feb. Massae, alia forma. 16) 24 Feb. Grosseti, episcopus Restaurus. 17) Repetitio n[i] 16. 18) 25 Feb. Repetitio n[i] 16. — Praecedentes litterae in ASF, *S. Croce*. Duae sequentes in Bibl. Nat. Florentiae cl. VIII, 1392, fol. 11. 19) Repetitio n[i] 5. 20) Ib. fol. 12, 5 Feb., Cortonae, commemoratae a G. Mancini, *Cortona nel M. Evo,* p. 90[3], hic edendae. — Cum eo tempore in diversis Tusciae civitatibus tres diversi anni computationis stili adhiberentur, scil. communis, Florentinus, Pisanus, primo aspectu dubitari posset de vero anno illarum litterarum. Sed cum omnes scriptae sint a 4 ad 25 Februarii, non est difficile perspicere illas civitates cuidam signo dato oboedisse Tertiarios defendentes, quod signum certo eodem tempore datum erat. Aliquae vero earum civitatum indubie stilum sequebantur communem, ideo verosimiliter agitur de anno 1322, cui correspondet Indictio V, in aliquibus litteris indicta.

(2) Quaracchi 1906. Cf. Id. *Vita e culto del beato Andronico della Rocca frate della Penitenza del terz'Ordine di S. Francesco,* Levanto 1910.

S. Iohannes de Capistrano opportunum credidit *Defensorium Tertii Ordinis* conscribere (1), quo probaret bullis Iohannis XXII contra Fraticellos atque Beghinos vel sectas spiritus libertatis datas, tertium Ordinem S. Francisci non tangi. Anno vero 1487, die 22 Ian. Innocentius VIII Breve (2) edidit, quo denuo declarabatur Tertii Ordinis ab illis Iohannis XXII bullis immunitas.

Alia secta affinis Fraticellis et Bizochis et Beghinis est illa ordinis *Apostolorum*, quae damnata est a Bonifatio VIII bulla *Firma cautela* 1 Oct. 1296 (3), qua in bulla Honorius IV refertur iussisse, ut « Apostoli », *inter quos etiam aliqui heretice pravitatis vitio laborabant,... ut deponerent habitum quem gerebant, aut si vitam religiosam ducere vellent, ad aliquam de approbatis religionibus se transferrent.* Apostoli nihilominus supervixerunt ut secta et ut Ordo, ut aliae bullae et documenta ostendunt. Hic edo duo, quae supra, AFH IV, 1911, 692, promisi, **Docc. 9-10,** deliberationes scil. Communis Perusini ex anno 1391, quibus illud Commune hortum Apostolis qui etiam Tertii Ordinis dicuntur, concessit. Prius documentum iam cognovit Garampi (4) et inde Barsotti (5); nuper quoque indicavit Ett. Ricci (6). Caeterum « Apostoli » Tertii Ordinis diutius exstitisse quam communiter credatur, certum est. Saeculo XVI ab Ecclesia agniti erant (7), et nonnisi medio saeculo XVII exstincti fuisse videntur (8).

1. *ASF Unione di Cortona,* membr. mm. 570×200. Cortonae 6 Apr. 1301.

« .... Presbiter Iunta natus olim Benavennii (9) de Baciala, frater Loci et Conventus S. Michaelis Arcangeli de Cellis » cum aliis fratribus eiusdem loci constituit quemdam syndicum.

« Actum in districtu Cortone in ecclesia sancti Michaelis Archangeli de Cellis olim fratris Elie ».

(1) Editum cum aliis duobus opusculis eiusdem Sancti: *De Papae et Concilii sive Ecclesiae auctoritate; Speculum Clericorum,* Venetiis 1580. — Cf. etiam *Act. SS.,* Oct. X, p. 308.

(2) Ap. *Firm.* ed. Paris. 1512, pars II, tract. II, f. 39rb-va.

(3) Edita ab Ehrle ALKG II, 156, ubi aliae bullae similes indicantur.

(4) *Memorie ecclesiastiche.... della B. Chiara di Rimini,* Roma 1755, p. 497 (Indice); cf. etiam p. 111; 138.

(5) *Un nuovo fiore seraf. il B. Giov. Cini,* p. 67.

(6) *La Chiesa di San Prospero fuori delle mura di Perugia,* ibi 1910 *(Nozze Marzolini-Angeli)* p. 16.

(7) Garampi, l. c. 497 scribit: « Trovo anche memoria di un altra pia e Religiosa Congregazione con titolo di *Appostoli* fra i Brevi di Gregorio XIII, ne' quali a dì 15 Marzo del 1584 per la morte del Card. Maffeo si conferisce la Protettoria ch' egli aveva, *Congregationis seu Societatis Fratrum Apostolorum pauperis vitae nuncupatorum,* al Card. Francesco Sforza ».

(8) Giovanni Annibaldi, *Il Centenario di S. Francesco e di S. Teresa e del Calendario Gregoriano. Reminiscenze storiche della Città e diocesi di Iesi,* ibi 1882, haec refert p. 41: « Sulla fine del secolo XVI si raccolsero intorno ad essa [la chiesa di S. Giambattista a Iesi] i Frati detti Apostolini del terz'ordine di S. Francesco, i quali la ristorarono, e nel 1628 chiedevano al Comune qualche sussidio per fregiarla di pitture. Ma gli Apostolini caddero sotto la soppressione innocenziana e ne partirono nel 1652. Nel 1659 vi si stabilirono i Filippini... ».

(9) Idem nomen occurrit etiam in Doc. 2, sed est difficilis lectionis in utroque casu, nec duae formae correspondere videntur, sicut etiam uno doc. dicitur *Iunta,* in altero *Iuncta,* in uno *de Baciala,* in altero *de Bacialla.* Superfluum ducimus caeterum singulis quibusque casibus monere nos orthographiam originalem retinere.



2. *ASF Unione di Cortona,* membr. mm. 470×150. Cortonae 11 Apr. 1301.

Bonsignore se et omnia sua offert loco Cellarum amore Dei, B. M. V., pro salute animae suae et defunctae uxoris Gemmae et quidem « presbitero Iuncte nato Bencevenis (?) de Bacialla stipulanti pro loco sancti Angeli de Cellis olim fratris Elye, et pro fratribus dicti loci presentibus et futuris ».

« Actum in districtu Cortone apud Cellas olim fratris Elye... ».

3. *ASF Unione di Cortona,* membr. mm. 195×170. Cortonae 12 Aug. 1306.

Fr. Iacobus e loco Cellarum emit vineam prope Cellas sitam atque solvit pecunia habita ex venditione domus alicuius.

4. *ASF Unione di Cortona,* membr. mm. 400×260. Cortonae 17 Mai. 1307.

« .... Domina Ranaldescha... per presens nuncupativum testamentum sine scriptis disposuit in hunc modum. Inprimis quidem reliquid de bonis suis pro anima sua loco sancti Francissci de Cortona, apud quem suam elegit sepulturam, unam culcitram, unum pulvinar, et unum cultrum et unum par lintiaminum. .... Item reliquid hospitali sancti Basilii de Cortona X solidos denariorum. Item reliquid domui misericordie de Cortona XX solidos denariorum. Item reliquid fratribus commorantibus apud Cellam XX solidos denariorum ».

« Actum in Cortona in domo habitationis dicte domine Ranaldesche.... ».

5. *ASF Unione di Cortona,* membr. mm. 560×163. Cortonae 5 Oct. 1308.

« In Nomine domini Amen. Anno eiusdem a natiuitate Millesimo trecentesimo octauo, indictione sexta, domino Clemente papa quinto residente, die quinta mensis ottubris, Ghepçus Fornarius olim Guidonis de Cortona omnibus et singulis solutionibus et satisfactionibus sibi factis a fratribus et conventu fratrum sancti Angeli de Cellis de Guilielmesca et a Mascio Stefani et Bonauere Massarii et ab alia quacumque persona pro eis computatis.... fuit confessus et contentus se habuisse et recepisse.... centum quindecim libras bonorum denariorum Cortoniensium minutorum, quas centum quindecim libras den. Corton. idem Ghepçus debebat habere et recipere pro pretio cuiusdam terreni vineati et pro parte non vineati positi in contrata sancti Angeli de Cellis de Guilielmesca iuxta fossata rigalia.... quod terrenum idem Gheçus vendidit fratri Lorentio Grimmi ementi pro fratribus et conventu et loco dicti sancti Angeli de Cellis.... de quo debito.... dictus Ghepçus liberauit et absoluit fratrem Donatum filium Pucii Iohannis de Aretio Priorem generalem omnium locorum et fratrum dicti Ordinis et fratrem Lorentium ...stipulantes et recipientes pro se et dicto loco et conventu et fratribus.... dicti loci sancti Angeli ».

Actum Cortone (etc.).

6. *ASF Unione di Cortona,* membr. mm. 260×178. Aretii 10 Nov. 1318.

In dei Nomine Amen. Anno domini eiusdem a Natiuitate Millesimo Trecentesimo decimoctauo, Inditione prima, tempore domini Iohannis pape vigesimi secundi, die decimo Nouembris. Notum appareat inspecturis quod, uacante ecclesia sancti Angeli da le Celle Guilielmesche districtus Cortone, Aretine diocesis, propter reuocationem et cassationem a dicto domino Iohanne papa fa-



ctam de illis, qui Fraticelli uulgariter uocabantur, quorum certi se in eadem ecclesia sub religionis habitu receptabant; nos Iohannes de Casulis plebanus plebis de Murlo, Senen. diocesis, venerabilis patris domini Guidonis (1) dei gratia Episcopi Aretini Vicarius generalis ad infrascripta eciam per dictum dominum Episcopum specialiter ordinati ad cuius offitium eiusdem ecclesie dispositio et reformatio noscitur pertinere, de discretione et probitate presbiteri Innocentii Fredricii de Bacialla dicte Aretine diocesis in domino confidentes, quod, que sibi commictimus exequatur fideliter et prudenter, presente, uolente, et consentiente presbitero Felice, nunc Rectore ecclesie sancti Basilii de Cortona et suo dumtaxat nomine ecclesie predicte sancti Angeli uero patrono, eandem ecclesiam sancti Angeli cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto presbitero Innocentio conferimus et providemus eciam de eisdem, commictentes eidem curam, administrationem et gubernationem ipsius ecclesie et bonorum omnium spiritualium et temporalium spectantium ad eandem, de quibus ipsum per caputeum nostrum manualiter inuestimus, commictentes nichilominus et mandantes dicto presbitero Felici, quatenus dictum presbiterum Innocentium inducat et immictat in tenutam et possessionem corporalem sepefate ecclesie sancti Angeli et bonorum omnium ipsius et defendat inductum, amoto exinde quolibet illicito detemptore, et faciat sibi de ipsius ecclesie fructibus, iuribus et obuentionibus vniuersis integre responderi, contradictores et rebelles per censuram ecclestiasticam compellendo. Qui presbiter Innocentius tenens manus suas in manibus nostris iuntas iurauit et promisit nobis recipientibus pro dicto domino episcopo reuerentiam et obedientiam manualem tanquam suo domino et prelato maiori, quodque ipsam ecclesiam et eius bona in spiritualibus et temporalibus bona fide reget et gubernabit, ipsa non uendet, non alienabit, nec debitum contrahet, nisi quantum a iure permictitur et in constitutionibus dicti domini Episcopi continetur.

Actum Aretii in palatio Episcopali ad solitum banchum iuris, presentibus Pietro clerico Nicholucii de Cortona, Ser Symone Andree de Perusio, Angelo Bolgarucii de Cortona et presbitero Pace, capellano ecclesie sancti Phylippide Aretio et aliis pluribus testibus ad hec habitis et rogatis.

Ego Tauianus filius domini Guittonis Iudicis de Aretio, Imperiali auctoritate Iudex ordinarius et notarius, et tunc scriba et officialis publicus Curie ipsius domini Episcopi, predictis interfui et ea rogatus mandato ipsius Vicarii scripsi et publicaui.

(Signum Notarii).

7. *Accademia etrusca, Cortonae,* membr. mm. 700×220. Ferentini 4 Iul. 1363; Cortonae 16 Sept. 1364.

In nomine domini Amen. Hec est copia sive exemplum cuiusdam plubici (2) testamenti facti per dominum Iohannem episcopum Tianensem premortuum, scripti et plubicati per Franciscum Ferrarium de Ferentino notarium, cuius quidem testamenti tenor talis est.

In nomine domini Amen. Anno Domini Millesimo CCC^{mo}LXIII° pontificatus dni U[r]bani pape V anno primo, Indictione prima, mensis Iulii die quarta. Hac die .... Reverendus in xpo pater et dominus, dominus Iohannes, dei et apostolice sedis gratia episcopus Theanensis.... in hunc modum fecit et condidit testamentum: Imprimis si ipsum in Civitate Fe-

(1) Est ille Guido Tarlati de quo supra, AFH III, 524[5]; VI, 724[1].

(2) Sic semper hoc instrumento hoc vocabulum et similia scribuntur.

rentini mori contingerit (1), elegit sibi sepulturam apud locum sancti Francisci de Ferentino.... [*pro qua sepultura et Fratribus Minoribus loci legata facit*].

Item reliquit Capelle Sancte Catharine in Ecclesia sancti Basilii de Cortona, in qua requiescunt corpora parentum suorum, vnam vineam sitam in districtu Cortone in contrata (2) iuxta viam a duabus partibus et fossatum ab alia, et ab alia parte heredes Dote de Cortona, sub hac condicione, quod Cappellanus dicte Capelle teneatur anno quolibet cellebrare et dicere et dici facere (3) in Anniversario suo ipsius testatoris pro anima sua et parenptum suorum. Item voluit quod in dicta Cappella instituatur Cappellanus per episcopum Cortone. Item reliquit et voluit quod domus sue, que sunt partite et divise in quatuor partes, non possint vendi; sed in ipsis domibus receptentur pauperes fraticelli et pro eorum necessitatibus et in dictis domibus possint habitare, videlicet in tribus partibus domorum predictarum cum orto ipsis partibus contiguis. Quartam vero partem dictarum domorum, scilicet domum superiorem cum vinea sibi contigua reliquit pro usu Cappellani dicte Cappelle. Omnia vero alia bona sua, que reperirentur Cortone vel eius districtu, voluit vendi per infrascriptos suos executores et per eos distribui et dari pauperibus xpi, prout eis videbitur et placebit... De hiis vero que sunt in Civitate Cortone (4), et eius districtu exequenda, ut supra disposuit, elegit suos executores et fideycomissarios guardianum fratrum Minorum et priorem fratrum Predicatorum de Cortona et rectorem sancti Basilii predicti ac Guiduçium Venutelli de Cortona....

Et ego Francischus Ferrarius de Ferentino plubicus Imperiali auctoritate notarius predictis omnibus et singulis interfui rogatus scripsi, plubicavi et signum feci [*Sequitur authenticatio quattuor notariorum,* Cortonae, 16 Sept. 1364].

8. *Cod. Bibl. Nation. Florentiae cl. VIII, cod. 1392,* chartaceus, miscellaneus, fol. 12r: Litterae originales, chart. mm. 144×300, Cortonae 5 Feb. 1322.

Santissimo (5) Patri et Dno Iohanni diuina prouidentia Sacrosancte Romane ac vniuersalis ecclesie Summo Pontifici et Sacro Collegio Cardinalium, Potestas, Prior, Subprior, Defensores, Consules, Rectores et Consilium populi terre Cortone humiles, fideles ac uestri deuoti filii pedum obscula beatorum. Quorumdam relatu percepimus in Romana curia tertii Ordinis Beati Francisci continentium fratrum et sororum statum diffamatum fore Bighinarum causam defectu prebente (6). Ne igitur ad paria innocentes cum nocentibus iudicentur, per has nostras literas testimoniales vestre Santitati de eorumdem fratrum et sororum tertii Ordinis continentium statu, declaramus ac notificamus, quod in partibus nostris et tota Thuscia se fideliter gerunt, vitam sanctam et religiosam, regulam per Sedem Apostolicam approbatam deuote seruantes et subsequenter iuxta priuilegia apostolice Sedis Legatorum (7) fideliter conuersantur et vivunt, omni cessante scandalo, aliis bone uite exemplum prebentes. Et nullus cetus Bighinarum uel alterius secte pariter intra

(1) Sic. (2) Legere non potui contratae nomen quod sequitur. (3) Hic supplendum videtur *Missam* vel *Missas*. (4) Verba *que- Cortone* in textu repetuntur.

(5) Ita hic et infra pluries. (6) Constructio est: *defectu Bighinarum causam praebente.*

(7) Card. Matthaeus ab Aquasparta, Legatus Ap. Sedis, Senis 10 Apr. 1298, dedit Tertiariis Tusciae specialia privilegia, quorum textus apud Lodovico da Pelago, *Antica Leggenda... di S. Margherita di Cortona,* parte II, registro n° VII, p. 163.

eos noscitur reperiri. Quare uestre Santitati supplicamus humiliter et deuote, quatenus eosdem et dictum Ordinem recommendatos habere dignemini et modis omnibus ipsam sanctam religionem confouere, ut in pace uiuere et deo ualeant deseruire; nam non nisi pacis in tempore bene colitur pacis Auctor.

Datum et sigillatum Cortone in festo Beate Agathe Virginis et Martiris, Anno domini M°CCC°XXII°.

(Extra): Santissimo Patri et Dno Iohanni
divina prouidentia Sacrosancte Romane
ac vniuersalis ecclesie summo Pontifici et sacro
Collegio Cardinalium.

9. *Annales Decemvirales Perusiae,* a. 1391, fol. 20v. Perusiae 22 Febr. 1391 (1).

[*In margine:*] Concessio fratrum vocatorum apostolorum.

Die predicto [22 Feb.] cum per partem quorundam fratrum penitentie vocatorum apostolorum [qui] in Civitate Perusie resident prope muros Civitatis Perusie inter portam sancti Prosperi et Veggi, faciant dominis prioribus artium et quinque conservatoribus pacis et libertatis Civitatis Perusie summa instantia supplicationem, ut dignarentur eisdem fratribus de certo terreno civitatis Perusie contiguo muro Civitatis et habitationis ipsorum fratrum portalibus et indigentiis ipsorum fratrum pro uno latere longitudinis quinquaginta pedum et latitudinis quindecim pedum providere et ipsum concedere pro eorum exercitio predicto. Quapropter dicti domini priores omnes decem, prout et in concordia et quatuor ex dictis conservatoribus pacis et libertatis civitatis Perusie absque Pandulfo domini Oddonis eorum collega, misso inter eos partito ad bussolam, et fabas albas et nigras et solempniter optati sunt formam statutorum et ordinum civitatis Perusie ex omni articulo, auctoritate et baylia ipsis dominis prioribus et conservatoribus coniunctim vel divisim datum, concessum et actributum ex forma statutorum et ordinum civitatis Perusie et omnimodo iure et forma quibus melius potuerunt, providere statutis ordinum et reformaverunt ac et dederunt et concesserunt dictis fratribus et apostolis ibidem residentibus de terreno predicto pro exercitio predicto, quatenus et illud quod declarabatur per Zenum magistri Angeli et Paulinum Natalis — offitiales super massaritiis civitatis Perusie et similiter declarationibus ipsorum offitialibus dicti fratres apostoli nuncupati pro ipsorum exercitio capere, claudere, laborare et ex eo pro eis fructus et commoditates percipere sine impedimento vel contradictione, salvo semper Iure dominii et proprietatis ipsius terreni, et reservato ipso iure et proprietate civitatis Perusie, aliquo in contrario non obstante.

10. *Annales Decemvirales Perusiae* a. 1391, f. 144r. Perusiae a. 1391.

[*In margine:*] Confirmatio ortuli concessi fratribus tertii ordinis iuxta portam Vegii.

Item cum per dominos priores et camerarios dudum fuerit facta quedam concessio quibusdam fratribus apostolis seu apostolicam normam septantibus de quodam ortulo seu terreno contiguo muro civitatis Perusie in porta Eburnea prope hortum Vegii, amore dei in eorum via. Et sit res pia pariter et honesta spirituales personas servare et pro viribus adiuvare, ut

(1) R. P. Aegidius Giusto, O. F. M., textum huius et sequentis documenti benigne transcripsit.



deus sua pietate respectare dignaretur ad conservationem et firmitatem presentis popularis status rey publice Perusine, supradicti domini priores et camerari, ut supra ad consilium existentes, deliberatione prehabita et exibitis ut supra consiliis et obtempto partito per omnes priores et XXXIV camerarios de XXXVI ad bussolam et fabas albas et nigras, non obstantibus duobus nigris in contrarium repertis. Ex omnibus arbitriis ab abundantia supradicta concessis providerunt et statuerunt, quod concessio facta dictis fratribus seu apostolis per dominos priores et camerarios vel per alios magistratos civitatis Perusie nomine cuiusque notarii appareat predicto ortulo seu terreno, iuxta eius latera et confirma sit et esse intelligatur confirmata in eorum et cuiusque eorum vita, et de novo concesserunt et concedunt dictum terrenum seu ortulum ad habendum, tenendum, utendum et fruendum, in eorum et cuiusque eorum vita pro eorum beneplacito voluntatis libere, licite et impune. Salvo semper remanente dominio et proprietate communi Perusii. Et quod per aliquem officialem communis Perusi vel aliam quamcumque personam in eorum vel alicuius eorum vita non possint vel debeant turbari, molestari seu vexari in possessione dicti terreni seu orti vel commoditate usus eiusdem sub pena V^ti^ (1) librarum denariorum a quolibet contrafaciente de facto auferendarum. Et nichilhominus secus facta non teneant, non obstantibus quibuscumque legibus, statutis seu ordinamentis dicti communis quomodolibet disponentibus quoquo modo, et maxime concessionibus bonorum stabilium dicti communis cassandis etc. Quibus quo ad predicta derogaverunt expresse, aliquo non obstante.

II.

De Clarenis Treiensibus (1437-1439) et Narniensibus (1446) documenta quaedam.

Obscura est admodum origo Clarenorum orthodoxorum, qui saec. XV specialem efformant Congregationem Fratrum Minorum sub episcoporum oboedientia viventium. Ipsos autem a tempore Angeli Clareni exstitisse atque semper fuisse, quin tamen ullum documentum pontificium centum et ultra annorum spatio de eis habeatur, parum veri simile videtur, nisi forsan valde pauci fuissent, qui tunc vero, Angeli Clareni Congregatione a Iohanne XXII suppressa, inoboedientiae saltem notam incurrissent.

Mira est sententia, quam Petrus Rodulphius Tossinianensis refert (2), Clarenos scil. « a Galliae partibus (ut aliis placet) ortum » habuisse, anno 1294, quamvis idem auctor statim de Angeli Clareni « Cingulani » congregatione loquatur. Nec veri similior sententia est Mariani Florentini, apud quem legitur (3): « Congregatio Clarenorum a quodam Fratre Petro Castiliano incepta, que tandem tempore Iulii II cum familia se miscuit ». Dum igitur Marianus Clarenorum originem a Petro Hispano, primo eorum Vicario Generali a Sisto IV a. 1473 agnito, repetit, omnes

(1) Ita in textu, legi potest *quinti* et forsan *viginti*.

(2) *Hist. seraph. Rel. libri tres,* Venetiis 1586, f. 155r.

(3) *Compendium Chronicarum* AFH IV, 322, ed. separata, Ad Claras Aquas 1911, p. 125.



fere caeteri antiquiores auctores Clarenos orthodoxos ab ipso Angelo Clareno directe repetunt, quod hodie certe vix ullus harum rerum gnarus propugnare audet. Adhuc a. 1362 in Processu contra Fraticellos facto referuntur inter tres sectas Fraticellorum illi, *qui vocantur de fratre Angelo,* quo nomine P. Ehrle (1) recte Angelum Clarenum intelligit. In tractatu Fraticellorum Perusinorum (1379-1382) (2) continue appellatur ad Angeli Clareni *Historiam septem Tribulationum,* quam, tacito tamen auctoris nomine, *Chronicam Ordinis* vocant, quae hic de Fraticellis ab Angelo Clareno descendentibus agi innuere videntur (3). Orta demum Observantia Regulari c. a. 1368, principium ipsum unitatis absolutae Ordinis derelictum est, ita ut, recte iudicante F. Tocco (4), tunc superesset Fraticellis moderatioribus abicere errores, atque SS. Pontifices agnoscere, et caeterum vitam eorum eremiticam continuare. Quomodo et quando talis processus separationis effectus sit, res valde obscura est in historia Fratrum Minorum, atque nonnisi sollertibus indagationibus in Archivis praesertim municipalibus Italiae centralis instituendis, illuminari potest. Toto saec. XIV Clarenorum orthodoxorum nullum hucusque inventum est documentum. Nam tentamina, utique ante a. 1368 facta, et de quibus supra (5) retulimus, a Sancta Sede repressa sunt.

Documentum temporis transitionis separationisque inter Fraticellos orthodoxos (Clarenos) et Fraticellos haereticos considerari posset rescriptum Cardinalis S. Eustachii, Iacobi Insulani, in Urbe eiusque districtu Legati Apostolici et Vicarii Generalis, datum Romae 13 Feb. 1417, atque a Garampi editum (6); sed ibi de Clarenis proprie dictis non videtur agi. Illi *Pauperes Eremitae, alias Fraticelli vulgariter nuncupati* in partibus Romanis exsistentes saepius ab Inquisitoribus molestabantur, non obstante quod non essent Fraticelli *de opinione,* atque ideo Cardinalis protectionem implorant atque obtinent. Hic non agi de Clarenis proprie dictis ex eo apparet, quod illi nullam determinatam Regulam profitebantur, nec certam vestem regularem habebant, uti in rescripto refertur, dum Clareni Regulam S. Francisci profitebantur atque certam vestem ad habitum Fratrum Minorum accedentem portabant, qualis a Pet. Rod. Tossinianensi describitur: « .... diverso habitu incedentes, scilicet brevi habitu, capucio ante et retro ad cordam usque, pyramidali forma, cui a tergo pannea lingua haerebat » (7).

---

(1) ALKG IV, 97; cf. ib. 186-88. (2) Edito supra AFH IV, 1911, 697 ss.

(3) Cf. AFH IV, 693. (4) *Studii Francescani,* p. 292. (5) AFH VI, 268-69.

(6) *Memorie ecclesiastiche... della B. Chiara di Rimini,* p. 161.

(7) *Hist. seraph. Rel.* f. 155r. Tempore quo Clareni sub Sixto IV Ordini uniti sunt, receperunt etiam habitum Fratrum Minorum. Nonnulli vero renuerunt antiquam vestem et vitam deserere atque sub Episcoporum oboedentia maluerunt perstare. Qua de re gratiose scribit Aug. de Stroncone, *Umbria serafica,* ad a. 1473, *Misc. Franc.* V, 161: « Li principali Clareni stati sin ora sotto l'Ordinario si risoluono quest'anno soggettarsi al Ministro Generale; fra Pietro Spagnolo qualificato fra essi, a nome di tutti ua ai piedi del Papa, da cui riceue l'Abbito de frati Minori e facoltà che essi possono eleggersi un di loro per superiore da confermarsi dal Ministro Generale, e di più ottiene il Conuento di S. Girolamo della carità di Roma. A molti dispiace lasciar la pristina Vita e ueste che chiamano Beca. Questi rimangono sotto l'Ordinario, e quelli sotto il Ministro Generale: questi chiamano quelli Becarini, o della Beca, quelli dicono a questi Sclarenati, e così si diuidono in 2 Sette, cioè in Becanini, e Clareni ».

Interea textus produco quosdam e priore parte saec. XV, antiquissimos Clarenorum orthodoxorum exsistentiae testes certos, et quidem pro conventu Vallis Cerasi prope Treiam *(Treia)* seu Monticulum *(Montecchio)* in Marchia Anconitana, et pro duobus conventibus prope Narniam in Umbria exsistentibus.

In **Docc. 1-4** agitur de antiquissimo illo Clarenorum loco in Valle-Cerasi, cuius fundationem Waddingus ad a. 1450 apponit (1), quod tardius esse ostendit Auctor quidam anonymus (2) documentis infra iterum edendis. In **doc. 1** enim apparet anno 1437 Eremitas illos Pauperes apud Treienses tanta aestimatione gavisos esse, ut illi ab his publica subsidia obtinerent. Valde maioris vero momenti sunt **docc. 2-4**, quibus clare orthodoxia illorum Clarenorum probatur. Cum enim Cives Treienses excommunicatione puniti essent, supplicem libellum Eugenio IV porrexerunt, quo per intercessionem Clarenorum Vallis-Cerasi veniam et condonationem petunt atque obtinent, 26 Aug. 1439 = **Doc. 2.** In **docc. 3-4** gratia a Pontifice intuitu Clarenorum concessa cum Treiensibus communicatur, die 6 et 15 Sept. 1439.

In dictis documentis Clareni *Pauperes Eremitae* denominantur, quod nomen ad eosdem designandos occurrit etiam in **doc. 5,** quod Clarenos Narnienses respicit, adiecto vero ibi semel *de Societate seu Congregatione fratris Angeli Chiarini.*

Sub n. **5** edemus primum bullam Eugenii IV, Romae 9 Nov. 1446, datam Episcopo Narniae in Umbria, uti habetur in Archivo Vaticano, Registro Lateranensi 428, f. 179r (alia numeratio fol. 181). Argumentum huius bullae Clarenos nobis exhibet longinquos ab antiquo illo altissimae paupertatis summo amore, estque velut historiae ironia antiquissimam hucusque saltem notam bullam in favorem Fr. Angeli Clareni sequacium datam de rebus temporalibus sibi vindicandis agi! Retulerant enim universi Pauperes Heremitae S. Mariae in Silva et S. Iohannis de Cesato (3) diocesis Narniensis sibi non satisfactum esse

(1) Scribit ad a. 1450, n. 19 (XII, 66): « Eodem ferme tempore constructa est domus sanctae Mariae de Valcenegia ad secundum lapidem ab oppido Montechii in Piceno. Communibus aedificatum facultatibus inhabitarunt aliquoto tempore Patres Clareni, demum cessit Observantibus. Paucos habet incolas, ut commodius excipi possint hospites, qui domum Lauretanam invisunt, aut ex Etruria Romam proficiscuntur ». Waddingus caeterum hausit ex Gonzaga, *De origine seraph. Religionis,* Romae 1587, p. 209. Waddingi vero continuator ad a. 1568, n. 11, XX, 204, quaedam correxit.

(2) *De templo Sanctae Mariae et de Clarenorum Eremitarum subinde Minorum Fratrum Observantium Coenobio in Valle=Cerasi apud Trejenses Compendium criticum,* Maceratae, Excudebat Alexander Mancinius 1840, in 4°, pp. 56. Documenta 2-4 habentur etiam ap. Colucci, *Treja ... illustrata,* Macerata 1780. Cum mense Augusto a. 1913 Treiae essem, originales textus inquirere atque transcribere intendebam, ast Bibliothecarius aberat, ita ut infectis rebus recedere coactus sim.

(3) Plane impossibile mihi evasit haec loca determinare, cum in historiis localibus, praesertim Ioh. Eroli, ea non invenerim, nec illi quos adii, mihi indicationes dare potuerint. De misero Archivi Municipalis Narniensis interitu et paucis documentis superstitibus cf. supra, AFH VI, 270, n. 4. Apud solum Aug. de Stronconio, O. F. M., *L'Umbria Serafica, Misc. Franc.,* V, 161, duo nomina similia inveni, quae nostris correspondere videntur. Scribit enim ille l. c. ad a. 1473: « In Provinzia [serafica i Clareni] ánno molti Conventi, cioè la Nunziata d'Amelia, S. Felicianetto di Foligno, et in Narni S. Maria della Selvetta, e S. Giovanni di Stifone ». Anno 1483 Cives Narnienses Clarenis tertium aedificant conventum scil. S. Mariae de Plano (hodie est capella coemeterii publici). Cf. Ag. da Stroncone ad a. 1483, *Misc. Franc.* VI, 54; Gonzaga, p. 163; Wadd. ad a. 1483, n. 44, XIV, 355; ad a. 1568, n. 16, XX, 206.



ex testamento cuiusdam presbyteri Pauli Jocii de debitis a quodam Minichelo Georgii, cui per emphyteusim pars bonorum illius presbyteri defuncti collata erant a Rectore hospitalis S. Iacobi de Narnia, quae quidem bona inservire debebant ad fundandum hospitale S. Crucis, in quo Clareni degere debebant. Pontifex igitur Episcopum Narniensem iubet de praedictis investigare, atque, si constiterit de obligatione, dictum Minichelum ad Clarenis satisfaciendum cogere.

Documenta antiquissima de Clarenis orthodoxis quae edimus, ferme coincidunt cum tempore quo S. Iohannes Capistranus eos ad redeundum ad Ordinis unitatem exhortatus est, appellans ad testamentum, penitus nunc ignotum, quod Angelus Clarenus suis reliquisset (1). Lucem novam afferre etiam poterit in quaestione de Clarenorum orthodoxorum origine et propagatione bulla quaedam Nicolai V, 4 Iul. 1447, nuper reperta, quae Clarenorum conventus in Marchia Anconitana enumerare videtur(2).

1. *Excerpta ex Archivo publico Treiae* ap. opus anonymum *De Templo S. Mariae et de Clarenorum Eremitarum... Coenobio in Valle-Cerasi,* Maceratae 1840, p. 38 (3).

« 1437, die X novembris. An sit danda aliqua eleemosina Fratribus Vallisccrasiae, qui supplicant hoc comm. ut velit eisdem pietatis intuitu providere de aliqua clamyde. *fol.* 120 *t. vol. XIII reform. ab anno* 1436 *ad annum* 1438. Priores... possint expendere de pecunia d. Comunis et facere fieri aliquas clamydes dictis Fratribus. *fol.* 121. — Die prima septembris. Supp... Fratrum Valliscerasiae petentium amore Dei fieri aliquam eleemosinam p. comuni pro reparatione monasterii sive loci Valliscerasiae. Ut cuncti... dign. intercedentibus pat. Eremitar. incolentium domus predictum Com. Mont. protegere et gubernare de bono in melius. *fol.* 201. — Quod Priores... arbitrium et facultatem habeant dandi et expendendi de bonis et pecunia com. amore Dei dictis Fratr. Valliscerasiae pro reparatione et augumento dicti loci ut eis videbitur. Ut Deus sua misericordia ad preces dict. Fratrum dignetur conservare et augere Com. et homines dictae Terrae. *fol.* 202 ».

2. *Supplica civium Monticuli (Treiae) ad Eugenium IV,* 26 Aug. 1439. Apud Gius. Colucci, *Treia... illustrata,* Macerata 1780. Doc. CX; et ap. opus anonymum cit. p. 33.

Beatissime Pater — Dudum tempore, quo Nobiles de Varano Camerinen. Diaecesis Romanae Ecclesiae rebellarunt, Universitas et homines tam Clerici, quam Laici utriusque sexus terrae Monticuli d. Diaecesis praefatos Nobiles sequen. similiter rebellarunt, ex quo excommunicationis, suspensionis, et interdicti sententias aliasque censuras ecclesiasticas, et poenas tam a iure, quam ab homine inflictas incurrerunt, a quibus nondum meruerunt absolutionis beneficium obtinere. Et quia Universitas et homines praefati l o c u m p i u m b. Mariae V a l l i s c e r a s i a e d. Diaecesis p r o h a b i t a t i o n e p a u p e r u m e r e m i t a r u m v i t a m a g e n t i u m

(1) Cf. supra, AFH III, 254, n. 1; cf. ib. 254 litteraturam de Clarenorum cum Ordine unione a. 1473, et finali suppressione a. 1568, cui addas elenchum omnium Clarenorum Conventuum a. 1568 Fratribus Minoribus traditorum, ap. Wadd. cont. ad a. 1568, n[i]. 11-17, XX, 204-207.

(2) Cf. Edouard d'Alençon, O. M. Cap., *Les premiers couvents des Frères Mineurs Capucins,* Extrait des *Etudes Franciscaines,* Paris-Couvin 1912, p. 7, et *Appendicem,* quae deest ap. *Etudes Francisc.,* p. 25-27.

(3) Retineo orthographiam et compendia auctorum citatorum. Lectiones vero aliquando manifeste falsas ad notas relegabo.



fundarunt et aedificarunt, atque ipsis eremitis sine intermissione assidua cum charitate et devotione vitae necessaria subministrant, pro parte ipsorum eremitarum, qui animabus eorumdem hominum compatiuntur charitate non ficta S. V. humiliter supplicatur, quatenus Universitatem, et homines praefatos absolvi, et restitui, ac cum iis dispensari super irregularitate mandare dignemini, de gratia speciali cum aliis ad id necessariis et opportunis. — Fiat ut petitur (1). — Et quod Literae desuper expediantur gratis de mandato Sanctitatis Vestrae. Registr. Ioannes de Rembo. — Datum Florentiae VIII Kal. septembris anno nono.

3. *Litterae Card. Antonii Correr ad Cives Treienses.* Florentiae, 6 Sept. 1439. Ap. Colucci, l. c. Doc. CXII et ap. opus anony. cit. p. 36.

Nuper SSmo D. N. Eugenio papae IV pio Christi misericordiae Vicario, qui redeuntibus ad eum humilitate filiis post excessum libenter se gratiosum exhibet et benignum... Pro parte populi et Comunis, et singularum personarum terrae Monticuli Camerin. diaec. exposito, quod ipsi... nonnullas civitates, terras, castra, et loca... ecclesiae invaserunt, turbaverunt, occupaverunt, ac Nobilibus de Varano d. diaecesis eiusdem ecclesiae tunc persecutoribus... adhaeserunt, ipsosque receperunt, et invadentibus... loca praedicta praebuerunt auxilium... comunicando eisdem hostibus in crimine et extra crimen contra tenorem processuum per f. recordationis Ioannem XXII (2) Benedictum XII Clementem VI et Innocentium VII romanos pontifices praedecessores nostros editorum, temere faciendo... ac in personas forsan ecclesiasticas manus iniecerunt... diversas excommunicationes, et interdicti sententias... incurrunt. Quapropter ipsi pauperes eremitae in loco Vallisceraslae d. diaec. eremiticam vitam ducentes, qui ab eisdem populo et comuni (3) suffragia vitae percipiunt, eidem D. N. Papae humiliter supplicarunt, ut cum ipsi parati essent contriti corde... Papae et ecclesiae praedictorum obedire mandatis, eos ad suam et d. ecclesiae gratiam recipere... ac Populum, Comune, et singulares personas tam Clericos... quam Laicos ab huiusmodi poenis et sententiis, censuris... absoluere... misericorditer dignaretur. Idem igitur Dominus Noster... de ven. viri domini Praepositi ecclesiae s. Severini de Sanctoseverino d. diaec. industria specialiter in Dno fiduciam obtinens, voluit... quod nos eidem Praeposito mandaremus... omnes et singulas personas etiam ecclesiasticas de d. Terra utriusque sexus... ab huiusmodi sententiis et poenis si id humiliter petierint... aucctoritate apostolica hac vice dumtaxat absolvat... interdictum relaxet... Datum Florentiae... anno incarnationis Dominicae millesimo quadrincentesimo trigesimo nono, octavo idus septembris pontificatus praefati D. N. papae anno nono.

4. *Litterae Card. Antonii Correr ad Praepositum Sanctiseverini,* Florentiae, 15 Sept. 1439. Ap. Colucci l. c. Doc. CXIII (cf. Doc. CXII): opus anonym. cit. p. 34.

Venerabilis vir amice carissime salutem. — De industria vestra specialem in Domino fiduciam obtinentes cum SSmus in Christo Pater, et

(1) Hic deest in transcriptione quaedam littera initialis apponi solita in concessionibus per supplicam, quae littera ordinarie initiali nominis baptismalis Pontificis correspondet, pro Eugenio IV igitur G[abriel]. Supplica a Papa signata quibusdam in casibus locum tenet litterarum apostolicarum. Ita fuit in casu nostro, uti apparet ex doc. 4. Ob hanc rationem ipsa supplica Communi Treiae tradita est.

(2) Textus ap. op. anony. falso: *XXI* et subinde *Benedictum X.*

(3) Textus *commune.*

Dominus Eugenius Divina providentia Papa IIII quoddam indultum per suam signaturam, quam valere voluit sine confectione desuper literarum suarum, concesserit Universitati et hominibus tam Clericis, quam Laicis utriusque sexus terrae Monticuli, et Nobis qui eius indulti supplicationem praesentavimus praefato S. D. N. ad intercessionem pauperum eremitarum d. Terrae, commisit vivae vocis oraculo Sanctitatis suae, ut per nostras literas de huiusmodi concessione et indulto fidem faceremus, dictis hominibus scribimus de praemissis, facientes ipsos certiores atque admonentes, ut ad vos, vel quos alios ad hoc idoneos duxeritis (1) eligendos pro beneficio absolutionis vigore d. signaturae illis concesso, accederent obtinendo. Itaque hortamur charitatem vestram, ut per vos vel alios, quos ad hoc idoneos iudicaveritis deputandos, omnes et singulas personas etiam ecclesiasticas iuxta vim et formam praefatae (2) concessionis et indulti absolvatis, relaxetis, dispensetis, ac restituatis non minus ac si apostolicae literae desuper d. signatura et indulto confectae fuissent pariter et extractae, et illis commendate dictos pauperes eremitas qui pro ipsis tantam gratiam obtinuerunt. Val. Ex Florentia die XV septembris 1439. — Venerabili viro Domino Praeposito Sanctiseverini amico nostro carissimo.

A. Epus Ostiensis } Cardinalis Bononiensis.

5. *Bulla Eugenii IV in favorem Clarenorum Narniensium.* Romae, 9 Nov. 1446. Ex Archiv. Vatic., Reg. Later. 428, fol. 179r. (alias 181r).

Eugenius (3) etc. Venerabili fratri... Epo Narniensi salutem etc.

Iustis et honestis supplicum votis libenter annuimus eaque fauoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum vniversorum pauperum heremitarum sancte Marie in Silua et sancti Iohannis de Cesato tue diocesis domorum de Societate seu Congregatione fratris Angeli Chiarini nuncupatorum peticio continebat, quod olim quondam Paulus Iocii presbiter de bonis sibi a Deo collatis condens eius voluntate vltima testamentum inter alia voluit et ordinauit, quod in certis tunc expressis domibus, ad ipsum legitime pertinentibus, quoddam hospitale sub vocabulo sancte Crucis fundaretur et construeretur, ipsumque hospitale suum vniversalem heredem in omnibus bonis suis, que ad usum illorum ex dictis pauperibus heremitis, qui in prefato hospitali pro tempore degerent, cedere voluit, instituit ipsiusque hospitalis patrimonium inter alios Rectores ecclesiae hospitalis sancti Iacobi Narniensis, pro tempore existentes, qui de consensu pauperum heremitarum predictorum eiusdem hospitalis sancte Crucis administratorem eligere deberent, sub certis modo et forma deputarent. Et deinde prefato testatore vita functo, tunc Rectores prefati hospitalis sancti Iacobi de pauperum heremitarum predictorum consensu, omnia et singula bona antedicta, domibus, in quibus dictum hospitale sancte Crucis fundari et construi iuxta voluntatem et ordinationem prefatas debebat, dumtaxat exceptis, dilecto filio Minichelo Georgii laico Narniensi in arrendam seu locationem vsque ad nouem annos sub annua responsione triginta librarum monete illarum partium Rectori Ecclesie hospitalis sancti Iacobi huiusmodi (4) pro tempore existenti annis singulis persoluenda de-

(1) Textus falso *duxeretis*. (2) In textu ap. op. anony. falso *praefectae*.
(3) In margine dextro: *A.* in sinistro: *Ia. de Vicentia.* (4) In margine.



derunt et concesserunt, ita tamen, quod si dictus Minichelus in solvenda responsione huiusmodi negligens foret, liceret Rectori pro tempore predicto bona prefata ab eodem Minichelo aufferre, prout in diuersis instrumentis publicis superinde confectis dicitur plenius contineri.

Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Minichelus responsionem antedictam per tres annos preteritos recusauerit et ad presens recuset solvere, super hiis, locis et temporibus congruis, requisitus, pro parte dictorum pauperum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis oportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si et postquam uocatis dicto Minichelo et aliis qui fuerint euocandi, tibi de premissis vel quod ipse Minichelus pacta et conventiones inter ipsum et pauperes heremitas habita predicta, non seruauerit, legitime constiterit, ipsum Minichelum ad libere dimittendum et relaxandum dictis pauperibus heremitis omnia et singula bona sibi locata huiusmodi et ad satisfaciendum eis integre de responsione per eum tenere annorum praedictorum debita per censuram ecclesiasticam vel alia iuris remedia, appellatione postposita, auctoritate nostra cogas et compellas. Non obstantibus si dicto Minichelo vel quibusuis aliis coniunctim vel diuisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi uel excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam [f. 179v] et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo [sexto]. Quinto Idus Nouembris. Anno Sextodecimo. [*Alia manu:*] A. Gratis de mandato d. n. pp. De felletis (1).

III.

De Fr. Andrea Richi auctore tractatus contra Fraticellos documenta duo.

Edidimus supra, AFH III, 267-79 (cf. ib. 255-63); 505-29; 680-99, a nobis detectum textum contra Fraticellos scriptum a Fr. Andrea Richi, O. F. M. (2), de quo tamen auctore, cuius vel exsistentia a bibliographis nostris ignorabatur, praeter notitias ex ipsius tractatu haustas, nihil aliud invenimus nisi, referente Papini, eum fuisse haereticae pravitatis Inquisitorem in Tuscia a. 1370-73. AFH III, 261. Ne nunc quidem, quamvis speciali modo ad hoc argumentum intenderimus, multa addere possumus. Duo tamen documenta imprimis praesto sunt, quae ad eius munus Inquisitoris referuntur, unum quidem industriae eius Inquisitoriae monumentum, alterum econtra destitutionis instrumentum.

(1) Taxator et Corrector.

(2) Utilitas tractatus Fr. Andreae pro historia paupertatis et quaestionum adnexarum patet, atque variis ab auctoribus laudata est. Nos ipsi ope ipsius fontes valuimus stabilire *Dialogi contra Fraticellos* S. Iacobi de Marchia; cf. supra, AFH IV, 3-23. Fréd. Callaey, O. M. Cap., *Etude sur Ubertin de Casale,* Louvain 1911; Ar. Carlini, *Fra Michelino e la sua eresia,* Bologna 1912; Ioh. Hofer, C. SS. R., *Biographische Studien über Wilhelm von Ockham,* AFH VI, 209-33; 439-65; 654-69, pluries cum fructu eumdem tractatum adhibuerunt.



Prius documentum invenitur in Archivo Nationali Florentino, *Fondo dello Spedale di Prato,* 9 Feb. 1372, iuxta stilum incarnationis Florentinum Prati adhibitum, iuxta stilum vero communem a. 1373, cui etiam correspondet Indictio 11, in documento indicata. Agitur ibi de quodam Fr. Matthaeo, rectore domus S. Iohannis Hierosolymitani, Prati, qui cuidam febrim habenti SS. Hostiam in remedium dederat et propterea Inquisitori Fr. Andreae Richi fuerat denuntiatus et ab eodem excommunicatus. In documento edendo Fr. Matthaeus veniam petit atque obtinet ab Inquisitore Fr. Andrea, qui eum ab excommunicatione absolvit atque poenitentias iniungit = **Doc. 1a.** Textus scatet Italicismis, quos sine correctione vel speciali adnotatione ea forma, qua iacent, relinquimus. Adnexum est eidem rotulo aliud documentum, cuius argumentum tantum indicabimus, scil. absolutio formalis ab excommunicatione = **Doc. 1b.**

Alterum documentum sub n. **2** edendum institutio est successoris Fr. Andreae Richi in officio Inquisitionis Florentinae, scil. Fr. Petri Ser Lippi de Florentia, O. M. Instrumentum originale inveni in Archivo Nationali Florentino, *S. Croce,* 15 Mart. 1373. — Card. Bertrandus Atgerius, O. M. (1), post Fr. Thomae a Frignano, Ministri Generalis 1367-1372, ad Patriarchatum Gradensem elevationem, auctoritate pontificia Vicarius Generalis Ordinis 1372-73, expressa Gregorii XI voluntate Fr. Petrum Ser Lippi (2), magistrum theologiae, nominat Inquisitorem Florentinum, remoto ab eo officio Fr. Andrea Ricchi (ita hoc documento nomen scribitur), qui caeterum laudabiliter officio functus erat. Utrum haec laus et verba Cardinalis, se Fr. Andream aliter honorabiliter velle occupare, valorem habeant realem, vel rhetorice solum sint sumenda, non liquet. Certum est Fr. Andream adhuc a. 1381 tanta aestimatione gavisum esse, ut rogaretur a Commissario pontificio Florentino, Fr. Iacobo de Tholomeis, ad suum tractatum contra Fraticellos scribendum (3). Ex alia parte ex eis, quae in documento edendo innuuntur et alibi referuntur de Fr. Petro (4) perspicere forsan licet hunc propriam ad Inquisitionis officium promotionem in curia pontificia procurasse, ideoque nihil ex eius substitutione contra Fr. Andream concludi posse, eo minus, quod hic suum complevisse videtur triennium, quod, teste Papini (5), a. 1370 inceperat. Etiam successor ad triennium instituitur.

Documentum Card. Bertrandi non est sine valore diplomatico pro historia Ordinis. Ipse sigilla indicat, quibus in hoc instrumento utitur, scil. sigillo Ministri Generalis Ordinis Minorum (6) impresso, cuius tamen solum vestigia ceri supersunt: erat formae ovalis, mm. 60×39. Sigillum, quo ut Cardinalis usus est, pendebat ex *plica,* sicut in bullis pontificiis, sed praeter foramina pro filo intromittendo nihil de eo superest.

(1) Fr. Bertrandus Atgerius de Figeaco, episcopus Assisiensis 1357-1368, Glandatensis *(Glandèves)* 1368-1371, Card. S. Priscae 1371-1378, Ostiensis 1378-1392. Cf. Eubel, *Hier. cath.* I, s. variis dioec.; cf. etiam AFH II, 443 ss.; III, 307.

(2) De Florentia, ut dicitur nostro documento, non de Colle Vallis Elsae, ut vult Terrinca, *Theatrum Etrusco-Minoriticum,* Florentiae 1682, 142. De eo cf. etiam Papini, *L'Etruria Francescana,* Siena 1797, 58; Eubel, *BF* VI, 549.

(3) Cf. supra, AFH III, 267.

(4) Cf. Papini, l. c. 58: « Fu uomo assai dotto, buon parlatore, disinvolto, pratico delle Corti, e di molta destrezza nei maneggi... Gregorio XI ancora l'annoverò tra'suoi confidenti... ».

(5) L. c. 58.

(6) De quo cf. AFH IV, 432 ss.



Praedicta documenta ad a. 1373 seu ad ultimam vitae periodum Fr. Andreae Richi spectant. Exstat alia membrana 20 annos antiquior, apud idem *ASF, Mercatanti, 22 Aug. 1353,* cuius argumentum indicasse sufficiat (1): Praemissa bulla Martini IV *Exsultantes in Domino,* 18 Ian. 1283, instituitur syndicus apostolicus pro conventu S. Crucis Florentiae, *presentibus et volentibus infrascriptis fratribus dicti loci, Mag. Bernardo inquis. in Provincia Thuscie... fr. Iohanne de Cordena Bachalario, fr. Iacobo Dogini Vicario... fr. Andrea Ricchi* (2).... Cum igitur hic Fratrum nominibus dignitates et gradus adiciantur, patet Fr. Andream a. 1353 in conventu S. Crucis morantem, gradum Magistri theologiae nondum assecutum fuisse, id ergo veri similiter evenisse inter a. 1353 et a. 1370 (quo Inquisitor renuntiatus est), cum aetate iam provectior esset, ut ipse innuere etiam videtur in Prologo ad Tractatum contra Fraticellos, AFH III, 267.

Quibus expositis, ecce iam instrumentorum textus.

1a. *ASF Spedale di Prato,* membr. mm. 655×283. Prati 9 Feb. 1373 (stilo Florent. 1372).

In xpi nomine Amen. Pateat omnibus euidenter qualiter, nos frater Andreas olim Richi de Florentia, Magister sagre teologie atque Inquisitor heretice prauitatis in Prouincia Tuscie, pro sede apostolicha constitutus, visis et consideratis quibusdam incusationibus et atestationibus factis in nostra curia in hereticha prauitate contra fratrem Matheum olim Ducci, Rectorem mansionis siue domus s. Iohannis gerolosomitani de terra Prati et etiam auditis multis excusationibus prefati fratris Mathey, in quibus testatur animo uel mente heretícha nichil egisse, quin etiam hostiam, de qua incusatur, non tanquam exsperimentum inuocationis demonum uel tamquam aliquid suspectum in fide, set solum ut medela a febris asserit se dedisse cuidem infirmo. De autem aliis verbis contra fidem facientibus dicit se non recordari, nec ad plene credere se dedisse, cum habeat suspectos testes aliquos sibi inimicos; non vult tamen intendere ad eos vel eorum dicta reprobanda, set potius misericordiam postulat, suis precibus asolutionem postulans de omnibus, que in nostris actis uel nostre curie usque ad dictam diem presentem contra eum haberentur. Quapropter, Nos frater Andreas, Magister sagre teologie atque Inquisitor suprascriptus, volentes penitenti et misericordiam postulanti brachiis misericordie ipsum amplexari clementer, habito super hoc maturo consilio cum pluribus sapientibus ac etiam digestam meditationem inter nos ipsos, invocata gratia spiritus sancti, sedentes pro tribunali in loco infrascripto, dictum fratrem Matheum a suprascriptis absoluimus, et ipsum presentem et predicta fieri petentem absolutum nuntiamus. Quietantes eum tam de hiis atestationibus contra eum dictis in processu huiusmodi, quam etiam de omnibus penitentiis in anterioribus processibus, quas debuit peragisse, nolentes per nos, nec per aliquem successorem nostrum in huiusmodi effectu molestari debere, ingungentibus tamen sibi pro penitentia salutari, ut in domo sua debeat residere, nec extra exire, cousque de beneplacito nostro secum in huiusmodi dispensemus; volumus tamen quod omni die domenicha ad audiendum missam ad ecclesiam Fratrum Minorum de Prato ac-

(1) Documentum hoc R. P. Benvenutus Bughetti, O. F. M., mecum communicavit.
(2) Eadem hic est forma nominis ac in Doc. 2.



cedere valeat et se Guardiano dicti loci de suis culpis veniam postulans debeat presentare. Insuper volumus et mandamus quatenus infra otto dies ab vndecima die sequenti centum pauperibus comestionem det, ipsosque reficiat de comestione et potu, in quibus expendere debeat florenos decem, et hoc commictimus fratri Antonio Guardiano conventus Pratensis, qui iusta suam coscientiam dispensationem huiusmodi prosequatur. Insuper volumus, quod isto anno duabus vicibus de suis peccatis confiteatur plenarie ac totiens recipiat corpus xpi, de huiusmodi Guardiano prefato fidem facturus. Insuper volumus ac etiam monemus dictum fratrem Mathium, ut ab huiusmodi, de quibus in actis accusatus fuit, onino astineat. Caueat etiam, ne contra incusatores vel testes propter huiusmodi processum aliquid persecutionis existat, nec apetat vindictam.

Lata et data fuit dicta sententia et facta fuerunt omnia et singula suprascripta per suprascriptum fratrem Andream Richi de Florentia, Magistrum sagre teologie atque Inquisitorem suprascriptum, sub anno domini ab eiusdem Incarnatione laudabili milesimo tregentesimo septuagesimo secundo, Inditione vndecima, die nona mensis februarii, in ecclesia Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci in terra Prati, ad banchum inter Residentiam dicti domini Inquisitoris, ubi per dictum dominum Inquisitorem solitum est morari ad ius redendum, post qua[m]dam recomunicationem factam de dicto fratre Matheo per ipsum dominum Inquisitorem suprascriptum, die suprascripta, et presentibus fratre Antonio olim Lapi de Florentia, Guardiano fratrum Sancti Francisci de terra Prati, et fratre Tommaso olim ser Alesandri de Florentia, fratre Ordinis sancti Francisci, testibus ad hec omnia uocatis et rogatis et presente dicto fratre Matheo et predicta fieri petente et consentiente.

Item postea eodem anno, Indictione, die, mense et loco et coram suprascriptis testibus ad hec uocatis et rogatis post predicta. Prefatus dominus Inquisitor, curans bonum anime dicti fratris Mathey et suam devotionem sequens, concessit eidem fratri Matheo, quod omni mane usque ad diem domenicham proxime futuram exire possit domum et ad ecclesiam sancti Francisci venire, prout sibi placuerit.

[*Eadem manu in eadem membrana sequitur commutatio poenitentiae concessa a fratre Antonio olim Lapi* « *necnon Vicario etiam Prati Reverendissimi viri fratris Andree olim Richi* », *Prati die 11 Feb. 1373* (stil. Florent. 1372)].

Ego Filippus filius olim Ser Lenecuti de Prato imperiali auctoritate Iudex ordinarius atque notarius publicus et notarius dicti domini Inquisitoris suprascriptis omnibus et singulis, dum agerentur, interfui, eaque omnia et singula suprascripta in presenti contractu scripta et declarata de mandato dicti domini Inquisitoris suprascripti et dicti sui vicarii suprascripti publicaui, scripsi, rogatus et signum meum aposui consuetum.

(*Sig. notarii*).

1b. *ASF Spedale di Prato,* membr. mm. 260×195, Prati 9 Feb. 1373 (stil. Florent. 1372).

Absolutio a sententia excommunicationis praedicti Fr. Matthaei olim Ducci data ab eodem Andrea Richi Inquisitore, eodem loco et die, iisdem testibus vocatis atque publicante eodem Notario Philippo.

2. *ASF S. Croce,* membr. mm. 390×500. Avinione 15 Mart. 1373.

Frater Bertrandus miseracione diuina tituli sancte Prisce, sancte Romane ecclesie presbiter Cardinalis, sacri ordinis fratrum Mino-



rum professor et eiusdem ordinis auctoritate apostolica Vicarius generalis, dilecto nobis Religioso viro fratri Petro Ser Lippi de Florencia, Prouincie Tuschie(1) eiusdem ordinis professori, salutem in domino et mandatis nostris, ymo verius apostolicis, firmiter obedire.

Sancta sedes apostolica in diuersis mundi partibus catholice fidei manutencionem et defensionem contra letiferam pestem heretice prauitatis et ipsius prauitatis extirpacionem salutiferam fidelitati nostri ordinis non absque fiducia magna committit, prout in indultis et rescriptis plurium summorum pontificum et maxime in indulto domini Bonifacii pape octaui, quod *mare magnum* dicitur, clarius continetur; cuius indulti principium est *Virtute conspicuos uestri sacri ordinis professores* etc., finis vero est *Imposterum promulgari contigerit, penitus non teneantur. Datum Rome apud sanctum Petrum III Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno primo* (2). Eapropter conscientiis nostris grandis est indicta necessitas piam dicte sedis intencionem fidelissime ac studiosissime, ut conuenit adimplere. Ideoque fratres in Inquisicionis officio constitutos tales esse oportet, qui sciant, velint et possint iniunctum sibi tanti meriti tantique oneris officium salubriter exercere. Sane, nuper sanctissimus in xpo pater et dominus noster, dominus Gregorius papa XI de tua laudabili vita, sana doctrina, fidei zelo, ac multiplici probitate fide dignorum testimonio plenius informatus, nobis plene commisit oraculo viue vocis, quatenus te sui auctoritate in Inquisicionis officio prelibate Prouincie Tuschie et in ea parte quam maxime, que Inquisicionis florentine usitato vocabulo nuncupatur, alio remoto, qui ipso officio in ea parte actualiter fungitur, ponamus et instituamus pro aliquo certo tempore ad nostrum arbitrium, cum non obstantibus et clausulis oportunis. Nos itaque, qui hoc ipsum facere ex iniuncto nobis Vicariatu ordinis ab apostolica sede, ante decreueramus ob racionabiles causas, cupientes et ipsam prefatam commissionem ab eadem sede nobis specialiter de te factam, propensius adimplere, dilectum nobis in xpo fratrem Andream Ricchi, sacre Theologie Magistrum, quem in aliis intendimus honorabiliter occupare, ab ipso Inquisicionis officio atque onere, quod laudabiliter quidem gessit et pertulit pro tempore competenti, ex commissione et auctoritate prefatis, quibus libere fungimur in hac parte, absoluimus et absolutum decernimus per presentes, teque, de cuius antedictis virtutibus similiter informati, fiduciam plenam in domino gerimus, eisdem commissione et auctoritate Inquisitorem heretice prauitatis in prefata Prouincia Tuschie et diocesibus eius cum pertinenciis suis, et specialiter in ea parte, que, ut predicitur, Inquisicionis florentine usitato vocabulo nuncupatur, instituimus, et dicto fratri Andree substituimus et sic institutum denunciamus tenore presencium ac eciam substitutum, decernentes ac statuentes auctoritate et commissione prefatis, ut infra sequens Triennium a die, qua in Ciuitate florentina ipsum officium solempniter publicabis, et non ab antea computandum, nullus ualeat seu possit te ab ipso officio remouere, reuocare, penitus transferre, aut quod in ipso supersedeas iniungere quoquomodo, nisi de tua procederet voluntate. Non obstantibus predicto indulto domini Bonifacii pape octaui, nec aliquibus

(1) Ita hic et in sequentibus.

(2) Bulla data 11 Nov. 1295; cf. Wadd. ad a. 1295, n. 18 (V, 339); Sbaralea, *BF* IV, 371.



aliis induitis seu rescriptis aut litteris apostolicis ordini nostro concessis, uel imposterum concedendis, que de hac tua institucione specialem et expressam non facerent mencionem. Deuocioni itaque tue commissione et auctoritate predictis ad meritum obediencie salutaris iniungimus in tuorum remissionem peccaminum, quatenus prefatum Inquisicionis officium sine contradictione suscipias et exequaris susceptum in Prouincia et diocesibus memoratis contra omnes hereticos credentes, fautores, defensores et receptatores eorum, et generaliter contra omnes, contra quos de iure dictum officium se extendit iuxta formam apostolicarum litterarum datam Inquisitoribus in Prouincia supradicta (1) et alias canonicas sancciones, iuxta gratiam a domino tibi datam, taliter quod, eadem diuina tibi gratia assistente, per tuam vigilem diligenciam fides catholica in sua puritate seruetur, promoueatur et amplietur in Prouincia sepedicta et letifera pestis heretice prauitatis extirpetur penitus in eadem; et prefata sedes apostolica, cuius in hoc Officialis existis, de tuis laboribus gaudeat, tibique meritum eterne salutis accrescat. Fratribus vero omnibus dicte Prouincie, tam prelatis quam subditis, et singulis eorumdem, iniungimus tenore presencium per obedienciam salutarem, quatenus in hiis, que ad dictum spectant officium, tibi prebeant auxilium, consilium et fauorem, quandocumque eos super hoc duxeris requirendos. Concedentes tibi nichilominus potestatem auctoritate, commissione et tenore prefatis contradictores et impeditores dicti officii, si quem uel si quos, quod absit, ex fratribus ipsis reppereris, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi. In quorum omnium testimonium et fidem certiorem de premissis omnibus faciendam ac pleniorem roboris firmitatem presentes litteras seu presens publicum instrumentum, destitucionem et institucionem prefatas continentes seu continens per Iohannem Algherdis Notarium et scribam nostrum infrascriptum scribi et publicari mandauimus et sigillorum nostrorum generalis quidem ministerii, quo vtimur in hiis, que ad ordinem nostrum spectant, impressione, Cardinalatus vero fecimus appensione muniri.

Actum et datum Auinione in domo habitacionis nostre, Anno a Natiuitate domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimotercio, Indictione vndecima, die quintadecima Mensis Marcii, Pontificatus domini nostri, domini Gregorii diuina prouidentia pape XI supradicti Anno tercio, Presentibus Religioso et discretis viris fratre Iohanne de Bisseria, prefati nostri ordinis professore, ac dominis Geraldo Caffarelli Canonico ecclesie Sistaricen. et Guillermo de Fontangiis, Rectore parrochialis ecclesie de Vitraco sancti Flori diocesis, necnon Iohanne de Casa et Bertrando de Turre scutiferis eiusdem diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

[*Alia manu:*] Sigilletur. Regestretur. [*Manu priore:*]

Et ego Iohannes Algherdis clericus Leodiensis diocesis publicus Apostolica et Imperiali auctoritate Notarius premissis omnibus et singulis dum sic, ut premictitur, per Reverendissimum patrem et dominum, dominum... (2) Cardinalem antedictum agerentur et fierent, vna cum prenominatis testibus presens fui eaque omnia et singula de mandato ipsius domini... Cardinalis scripsi, publicaui et in hanc publicam formam redegi signoque meo solito signaui vna cum impressione et appensione sigillorum predictorum, rogatus et requisitus in fidem, certitudinem et testimonium omnium premissorum.

(Signum notarii, et vestigia sigilli impressi Ordinis; deest sigillum appensum Cardinalis).

(1) Cf. duas bullas Innocentii IV *Licet ex omnibus,* 30 Mai. 1254, Sbaralea, *BF* I, 740-42.

(2) Ita hic et subinde in textu originali.

IV.

De sic dicto Defensorio Occami et eius relatione ad Fraticellos iuxta S. Antoninum O. P.

In appendice ad calcem tractatus Fr. Andreae Richi contra Fraticellos, supra AFH IV, 3-23, sic dictum *Defensorium Occami, contra errores Iohannis XXII,* qui libellus sub nomine *Appellationis Michaelis a Caesena* etiam occurrit (1), non esse nisi Litteras Fraticellorum scriptas parum post medium saec. XIV, atque post Concilium Pisanum 1409, in uno loco interpolatas, propagatas vero usque medium saeculum XV, ostendimus. Argumenta nobis attulerunt tum textus citati S. Iacobi de Marchia, in *Dialogo contra Fraticellos,* tum indoles ipsarum litterarum. Addere nunc possumus aliud testimonium externum ad sententiam nostram roborandam, si opus habet (2), illud scil. S. Antonini Florentini in tractatu contra Fraticellos a. 1450 composito atque in *Summa* eius *theologica* inserto (3). Is enim in refutando errores Fraticellorum sui temporis explicite saepius adducit verba ex eodem textu, quem Fraticellorum libellum vocat, atque 10 errores, quos illi Papae Iohanni XXII obiciunt, nominatim hic adducit et refutat hoc ordine: error 10. col. 640; 7. 653; 1. 658; 2. 658; 3. 659; 4. 660; 5. 665; 6. 665; 9. 667; 8. 671. Haurit autem S. Antoninus in hoc tractatu argumenta ex opere alius Fratris Praedicatoris non nominati, qui exposuerat extravagantem Iohannis XXII *Quia quorumdam* (4).

(1) De editionibus cf. supra AFH III, 256. Textus iste, cum sub nomine Occami, cuius *Opus nonaginta dierum, item Dialogi et scripta omnia contra Ioannem vigesimum secundum* in I classe librorum prohibitorum elenchi Tridentini proscribuntur, circumferreretur, in pluribus exemplaribus *Firm.*, Paris. 1512, et fere in omnibus exemplaribus *Firm.*, Venetiis 1513, excissus vel conglutinatus est. In exemplari *Firm.*, Venetiis 1513, Bibl. com. Assisii, manu, uti videtur Nic. Papini, inter alia initio scriptum est: *Hic liber continet pag. 87 et sequentibus longam epistolam Fr. Gulielmi Ocham contra Ioannem XXII, que est prohibita, ut liquet ex Indice Librorum prohibitorum.* — Post reformationem *Indicis* a Leone XIII a. 1897 factam auctores a. 1600 anteriores in *Indice* amplius non recensentur.

(2) Carlini, *Fra Michelino e la sua eresia,* Bologna 1912, p. XXXV; 217[2] ex. gr. nobis plane assentit.

(3) Pars IV, Veronae 1740, tit. XII, c. 4, col. 625-676. Tempus compositionis, scil. a. 1450, habetur in fine tractatus col. 676. Est igitur contemporaneus vel parum anterior *Dialogo contra Fraticellos* S. Iacobi de Marchia. Uterque vero auctor independens est ab alterutro.

(4) Non abs re erit verba introductionis ad S. Antonini tractatum referre integra, in quibus notes S. Archiepiscopum originem Fraticellorem minus recte unice ad Michelistas reducere. Ecce eius verba. *Summa theol.* IV, 625: « *De errore fraticellorum circa paupertatem Christi, et Apostolorum.* Quia circa materiam de paupertate Christi et Apostolorum tempore Ioannis 22. anno scilicet domini 1324 [sic] apud quosdam orta est nova opinio falsa fraticellorum, quam ipse Ioannes Papa, quia contrariam scripturae evangelicae, reprobavit, et determinavit haereticam fore, et illam pertinaciter tenentes, ut haereticos persequendos, quidam ex illis obstinato animo suam opinionem retinentes ad hanc temeritatem, et maximam praesumtionem devenerunt, ut et ipsum Papam Ioannem haereticum dixerint propter talem determinationem, quam dixerunt falsam et haereticam; unde separantes se ab unitate ecclesiae, synagogam satanae sibi fecerunt, non ecclesiam profitentes, dum caput draconis, seu Antichristum antipapam Petrum de Corbaria sibi praeposuerunt asserentes, non solum Ioannem 22. sed et omnes suos successores usque in praesens et futurum haereticos esse, eo quod non reprobaverint determinationem ipsius Ioannis, quam haereticam asserunt, et confirmaverunt; omnesque sequentes illam determinationem haereticos tenent, cardinales, epi-



Nos hic textum S. Antonini in priore columna exhibebimus, sequentes ordinem textus Fraticellorum sub nomine Defensorii Occami seu Appellationis Fr. Michaelis a Caesena noti, quem in columna altera dabimus. Ad melius perspiciendum de Fraticellorum revera textu agi, oportet longiores partes referre ex S. Antonini opere; nam is aliquando simul refutationem Fraticellorum cum eorum coniungit textu, cuius contrariam sententiam saepe enuntiat.

In Fraticellorum demum textu decem sequuntur obiectiones, quas sibi ipsis faciunt, ut eas refellant. S. Antoninus vero ex his obiectionibus in fine sui tractatus nonnisi duas scil. primam et ultimam expresse respicit.

Summa theologica S. Antonini, IV, 658.

Ex praedictis patet falsissimum esse quod dicunt isti Fraticelli in quodam suo libello, qui incipit *Universis,* scilicet in primo capitulo, quod Christus in quantum homo non habuit dominium omnium temporalium, nec fuit verus rex, sed in quantum Deus et in quantum homo habuit dominium spirituale ecclesiae, non temporale. Et quia Ioannes determinavit contrarium, prout est veritas, scilicet quod etiam in quantum homo habuit dominium omnium.. et fuit verus rex, dicunt esse haereticum.

L. c. 658. In 2. capitulo illius pestiferi libelli dicunt, quod [Christus] non habuit dominium omnium in quantum homo.

L. c. 659. Ex his patet falsitas tertii capituli illius libelli haeretici, in quo dicunt conclusive, quod Christus in processu temporis non acquisivit sibi dominium in speciali aliquarum rerum; et contrarium dicunt haeresim.

L. c. 660. Ex his patet falsitas quarti capituli illius venenosi libelli, ubi dicunt, Ioannem XXII determinasse, quod Apostoli habuerunt in speciali non solum in communi, postquam facti sunt Apostoli, proprietatem rerum temporalium, et quod numquam abrenuntiaverunt eis, et quod Christus numquam eis hoc consuluit vel

Defensor. Occami sive *Appellatio Michaelis de Caesena,* Baluzius-Mansi, *Miscell.* III, 341 b.

Primus error est, quod Dominus noster Iesus Christus in quantum homo viator, et mortalis, imo in quantum crucifixus fuit verus Rex temporalis habens universale regnum et dominium omnium rerum temporalium huius mundi.

L. c. 343 a. Secundus error est, quod Christus in quantum homò mortalis, fuit dominus habens proprietatem et dominium omnium rerum temporalium.

L. c. 343 b. Tertius error est, quod Dominus noster Iesus Christus in quantum homo mortalis per successum temporis acquisivit sibi diversis modis dominium proprietarium in speciali quam plurium rerum temporalium....

L. c. 345 a. Quartus error est, quod Apostoli postquam fuerunt ad Apostolatum assumpti habuerunt in speciali, et singillatim non solum in communi proprietatem et dominium multarum rerum. Et quod nunquam abdicaverunt a se universalem proprietatem et dominium omnium rerum temporalium, nec votum abdica-

scopos, ceterosque populos. Et quia nondum ex toto extincta est haeresis dicta fraticellorum, sed adhuc in aliquibus partibus Italiae viget; nam etsi eorum primus antipapa [Nicolaus V] meritis suis dignam receperit ultionem Pisis, quia captus ductus Avenionem ad praesentiam Papae Ioannis, post abiuratam haeresim suam, incarceratus ibi decessit: tamen non desistunt homines reprobi illius haeresis sectatores facere Papam et episcopos de suis, qui incedunt in habitu transformato, conventicula secrete facientes. Et ideo diffusius de ea re agetur secundum declarationem cuiusdam doctissimi magistri ordinis praedicatorum in quodam suo tractatu, exponentis extravagantem ipsius Ioannis 22. in qua condemnat illos ut haereticos. Haec sic incipit. *Ad perpetuam rei memoriam. Quia quorumdam mentes* ».



mandavit, nec votum huius abdicationis fecerunt.

tionis proprietatis et dominii omnium rerum temporalium emiserunt. Sed etiam post missionem Spiritus S. super eos factam habuerunt in speciali et singillatim potestatem et dominium perpetuum vestimentorum, calceamentorum et alimentorum. Et quod Christus nunquam consuluit eis abdicationem proprietatis et dominii omnium rerum.

L. c. 665. Ex his patet error 5. capituli illius perfidi libelli, in quo dicunt quod Ioannes XXII determinavit, quod Christus non dedit aliam regulam vivendi Apostolis, quam aliis quibuscumque fidelibus.

L. c. 345 b. Quintus error est, quod Christus non imposuit aliam legem vivendi Apostolis, quam quibuscumque aliis discipulis, per discipulos intelligentes quoscumque Christi discipulos, idest Christianos, sicut exemplificavit de Lazaro, Maria, Martha, Ioseph ab Arimathia et Dorchas.

L. c. 665. Patet etiam error cap. 6. eiusdem libelli, ubi dicunt, quod Apostoli non abdicaverunt, sed habuerunt secundum Ioannem XXII licite, et habere potuerunt etiam immobilia, ut agros et huiusmodi in communi. Etiam hoc dicunt Ioannem XXII determinasse, sed mentiuntur.

L. c. 346 a. Sextus error est, non abdicaverunt (1), sed habuerunt, et licite potuerunt habere bona immobilia ut agros et praedia quoad proprietatem et dominium in communi. Et quod illa in Iudaea non receperunt, nec retinuerunt, nec fuit quia hoc repugnaret eorum perfectioni, sed quia videbant se in Spiritu transituros ad gentes.

L. c. 653. Ex praedictis etiam potest patere error Fraticellorum, qui habetur in 7. cap. libelli haereticalis eorum, ubi dicunt, quod litigare in iudicio diminuit de perfectione evangelica. Et quia Ioann. XXII determinavit contrarium, dicunt eum haereticum.

L. c. 346 b. Septimus error est, quod litigare in iudicio pro rebus temporalibus non distrahit, nec diminuit de perfectione evangelica, et Apostolis et evangelicis viris licuit in speciali et singillatim et in communi pro rebus temporalibus tanquam pro propriis in iudicio contendere et litigare.

L. c. 671. Et ex his patet error 8. capituli libelli maledicti fraticellorum, ubi dicunt, quod Christus simpliciter et absolute, quum misit ad praedicandum Apostolos et dixit: *Nolite possidere aurum et argentum* etc. interdixit eis omne ius et dominium omnium rerum temporalium ad litteram. Et quia Ioannes XXII declaravit contrarium, et bene, dicunt haereticum.

L. c. 347 a. Octavus error est, quod Dominus noster Iesus Christus non interdixit simpliciter et absolute Apostolis suis ne possiderent aurum nec argentum et pecuniam in zonis, sed solum pro tempore viae (2), quando ibant ad praedicandum. Post reditum autem a praedicatione poterant libere possidere et portare.

L. c. 667. Ex his patet error noni capituli libelli horum igne temporali et aeternali comburendorum, quia haeretici, ubi dicunt, quod bona primitivae ecclesiae, de quibus dicitur Act. 4. *Erant illis omnia communia*, quod etiam post distributionem erant communia. Et quia, ut asserunt, sed falso, Ioannes determinavit, quod post distributionem erant propria eorum, quibus distribuebant, dicunt esse haereticum.

L. c. 347b. Nonus error est, quod bona primitivae Ecclesiae seu multitudinis credentium de qua habetur Act. 2. et 4. *nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia*, non erant illis communia per distributionem, sed quilibet post distributionem (3) efficiebatur proprietarius et dominus portionis sibi assignatae. Et quod votum Religiosorum absque proprio vivere profitentium, non se extendit ad illa, quibus necessario eget vita humana.

(1) Scil. *Apostoli*. (2) Editio falso *vitae*. (3) Editio falso *diffinitionem*.

L. c. 640. Ex his patet error decimi capituli libelli haereticalis, quem ediderunt fraticelli pro suae haeresis defensione. Dicunt enim, quod in rebus usu consumtibilibus potest separari usus rei a proprietate et dominio. Inducunt aliquas auctoritates, quae non probant. Et quia Ioannes 22. in constitutione sua, quia ita declaravit contrarium et determinavit, scilicet quod in huiusmodi, usus rei vel usufructus non potest separari a dominio et proprietate ipsius rei, ut in pane et vino et huiusmodi..; et ideo Christus cum Apostolis in huiusmodi habendo usum habuit et dominium et proprietatem eorum, in communi tamen cum Apostolis; et quia hoc determinavit, dicunt eum haereticum, quia contra scripturam...

L. c. 348 a. Decimus error est, quod in rebus usu consumptibilibus, nec usus iuris, nec usus facti licite potest a proprietate et dominio separari. Et quod in talibus rebus nec ius utendi, nec usus facti separatus a proprietate rei seu dominio potest constitui vel haberi, eo quod per usum talium rerum earum proprietas et dominium consumatur. Qui error omnem religionem volentem vivere sine proprio destruit et confundit, et sacrae Scripturae et determinationi Ecclesiae universalis manifeste repugnat.

L. c. 674. Asserunt etiam dicti Fraticelli in libello suo virulento, quod Papa Ioannes XXII dixit multa haeretica in diversis sermonibus suis, quos publice in Papatu disseruit. Et quia dicebatur a quibusdam circa finem vitae illos revocasse, et submisisse se in omnibus dictis suis determinationi Ecclesiae, dicunt, illum fuisse haereticum, et quod non sufficit revocatio illa per illum modum. — Cf. Bal.-Mansi, *Misc.* III, 249 b-351 a.

L. c. 676. In dicto libello cum eis comburendo, asseverant nos dicere, quod in Papam non cadat simonia.

L. c. 354 a. Ad decimum et ultimum scilicet quod Papa symoniam non committit conferendo beneficia et ordines propter pecuniam.

Ex S. Iacobi de Marchia igitur et S. Antonini Florentini testimoniis luculentis Fraticellos supradictum eorum libellum medio saec. XV adhibuisse certo certius constat. Quare, cum in Processu contra Fraticellos Polenses *(Poli,* in Prov. Romana) et Maiolatenses *(Maiolati,* in Marchia Anconitana) Romae a. 1466 acto, Fraticellus quidam dicat (1), quod *longe melior erat eorum secta, quam vocant inter se veritatem, iuxta tenorem unius parvi libelli,* non haesito asserere ibi agi de libello supradicto, sive Occamo sive Michaeli a Caesena per saecula falso olim adscripto, nec casu dictum libellum post solitum salutationis initium incipere: *Veritatem sapientis animus non recusat.*

V.

De Fraticellorum ultimo Processu (1466-1467) et finali exstinctione.

Pauca supersunt nobis dicenda antequam seriem documentorum editorum claudamus. Haeresis Fraticellorum ex causis diversis nata tribus prioribus saec. XIV decenniis, crevit semper faventibus circumstantiis locorum et temporum, culmenque videtur attigisse schismate Occidentali seu versus finem saec. XIV, circa quod tempus maior pars litterarum encyclicarum eorum orta est. Haec litteraria Fraticellorum industria hucusque nimis forsan neglecta est, cum tamen primarii eorum

(1) ALKG IV, 114; cf. 137.



doctrinae, licet aliquando parumper velatae, sint fontes. A tempore quo Pontifices Summi ad Sedem Romanam reversi sunt, impugnatio, ut ita dicam, methodica, Fraticellorum incepit, eminentibus viris, uti S. Iohanne a Capistrano et S. Iacobo de Marchia, contra eos Inquisitoribus institutis. Ii strenue et severe procedentes et usque ad latebras persequentes paulatim represserunt sectam vel in Graeciam pepulerunt (1).

Ultimus Processus in Fraticellos est ille, Paulo II Pontifice, Romae a. 1466-67 actus (2) contra Fraticellos Polenses et Maiolatenses (3), qui Indulgentiae Portiunculae occasione Assisium venerant, ibique detecti, capti Romam ducti et in Castellum S. Angeli sunt coniecti. Cum nobiles etiam quaedam familiae Romanae causae commixtae essent, haec detectio et subsequens Inquisitionis Processus hominum animos valde commovit, ita ut plures notitias synchronas ea de re atque doctrinae Fraticellorum confutationes habeamus. Cl. L. Pastor (4) quattuor indicat tales confutationes ea occasione conscriptas, quas examini subieci. Sed revera tres solummodo sunt, scil. eae, quas scripserunt Nicolaus Palmerius, episcopus Ortanus, O. S. A. = Cod. Vat. lat. 4158, chart.; Rodericus Sancius de Arevalo, episcopus Zamorensis = Cod. Vat. lat. 969, chart., (qui duo auctores e numero iudicum in hac causa Fraticellorum erant); Fernandus Cordubensis = Cod. Vat. lat. 1127, membr. Tractant tres auctores de paupertate Christi, Apostolorum et Minorum, locos communes huius quaestionis repetentes (5). Solus Nicolai Palmerii tractatus maioris est momenti, qui historice (6) rem tractat, alias sectas respicit (7) atque animum quemdam malevolum in Mendi-

(1) Cf. supra, AFH VI, 526ss.

(2) Editus est Processus e Cod. Vat. lat. 4012 praeterquam ab Ehrle, ALKG IV, 110-38, a [Dressel], *Vier Dokumente aus römischen Archiven. Ein Beitrag zur Geschichte des Protestantismus vor, während und nach der Reformation*, Leipzig 1843. Quaedam extracta, praesertim de sic dicto « barilotto », ex Cod. Vat. lat. 4012 inveni etiam apud Garampi, *Adversariorum* I, f. 443r, Archivum Vaticanum, *Fondo Garampi*, 133.

(3) Fraticelli Maiolatenses unacum cum illis Massacii, Mergii etc. iam a S. Iacobo a Marchia et S. Iohanne a Capistrano (Gius. Colucci, *Antichità Picene*, XX, Fermo 1793, pp. 94; 97-99; P. Ciro da Pesaro, O. F. M., *Vita e culto del B. Giovanni Righi da Fabriano*, Roma 1904, 44-49) impugnati erant. De iis Fraticellis eg. Dr. Caesar Annibaldi instituit studium, quod ap. AFH proxime edet.

(4) *Geschichte der Päpste*, II, ed. 3 et 4, Freiburg i. B. 1904, 381-84.

(5) Similis *tractatus de Christi sanctissima paupertate*, ab auctore anonymo contra Fraticellos conscriptus, habetur in Codice XVIII (saec. XV) Conventus O. F. M. Capistrani, fol. 179r-191r, incipiens: *Beatus Augustinus in epistola ad Marcellinum*. Proponit sibi auctor concordiam inter decretales Nicolai III et Iohannis XXII stabilire, quod ut praestet, vitam Christi et Apostolorum in septem dividit periodos (earum aliquas iterum subdividens), quibus Christus et Apostoli totidem diversos proprietatis gradus habuissent!

(6) Incipit Cod. Vat. lat. 4158, f. 1r. post dedicationem: « Scripseram prius, dignissime presul, aduersus mendaces inpios.... Cum apud Asisium plures deprehensi fuerint Fraticelli della oppinione uulgariter nuncupati, ii autem ad urbem uincti ducti sunt et in castro sancti Angeli duris carceribus mancipati, per summum pontificem Paulum secundum causa Mediolanensi Archiepiscopo, çamoren., Faren., Tirasonen. [non *Tarraconensi*, ut habet Pastor, II, 382] et michi Ortano episcopis commissa est, diligenti et acurata solicitudine inquirentes tandem comperimus errores istorum non nisi fundamentis predicantium XPM et apostolos mendicos fuisse, roboratos esse et firmatos. Inter istos dampna-[f. 1v]tissimos uiros, uir quidam scelestis Nicholaus nomine pro episcopo se ingerebat; hic ex agro piceno oppido maçam [Massaccio (?) = Cupramontana] a uillissimis parentibus traxit originem »...

(7) Cf. supra, AFH VI, 712[1]; adduximus etiam supra, AFH III, 512[8], textum eodem ex tractatu.



cantes (ipse ex Ordine Mendicante!) exhibet. Contra eum mihi videtur scriptus quartus a Pastor indicatus tractatus scil. Card. Turrecrematae = Cod. Vat. lat. 974, membr. (1), qui longe abest ut Christi et Apostolorum paupertatem neget, imo eam affirmet atque in sensu Mendicantium defendat, adversarios haereticos vocans. Scribit enim in fine tractatus de paupertate Christi, Cod. Vat. lat. 974, f. 62ra: *Cogimur fidei zelo aduersariorum veritatis* (2), *quam de sanctissima paupertate XPI iuxta catholicos doctores ecclesie in quodam tractatu nostro scripsimus, dictis respondere. Surrexit quidam professione pauper et mendicus, licet iam se episcopum glorietur, qui circa paupertatem XPI grauiter videtur errare, maxime in tribus punctis, in quibus scriptis per nos contradixit....* Episcopus ille ex Ordine Mendicantium non alius esse videtur quam Nicolaus Palmerius, O. S. A., apud quem sequentem locum invenimus, l. c. f. 25r: *Hoc incidenter scripsi, ut intelligant cuius periculi sit litteris* [f. 25v] *mandare uenalibus publico pretio XPM et apostolos pauperes et mendicos fuisse, contrarium sentire hereticum esse. Os aliorum claudere non ualeo, pro sorte mea ab istis, ne scribam, summopere abstinebo.*

Severis Fraticellis inflictis poenis a. 1466-67, exstincta fuisse ipsa haeresis generatim censetur. Pastor (3) vero ait: « A. 1471 in oris Tusciae apparent Fraticelli », ad Waddingum ad a. 1471, n. 14, amandans. Ast ibi, in vita Fr. Antonii de Stronconio († 1471) enarranda, agitur de Fraticellis repressis a Fr. Thoma de Florentia, alias a Scarlino, unacum eius iuvene discipulo Fr. Antonio de Stronconio, et quidem a. 1420! (4). Revera tamen inveni textum scriptum circa 16 annos post Processum a. 1466-67, scil. a. 1483, quo exsistentia Fraticellorum in locis abditis affirmatur. Scribit enim de Fraticellis Iacobus Philippus (Foresta) Bergomensis apud *Supplementum Chronicarum*, quod opus, Auctore in fine testante, a. 1483 completum est (5), ed. princ. Venetiis 1483, f. 135v: *Extant adhuc ex huiusmodi crudelissima et diabolica heresi aliquibus in locis abditis et vallibus nonnulla conventicula, pertinaciter in sua perfidia permanentes.* Quae verba, in crebris subsequentibus *Supplementi Chronicarum* editionibus atque versionibus vernaculis repetuntur, velut ultima sectae huius nefastae, Ecclesiam Dei diu infestantis, memoria.

(Finis). P. Livarius Oliger, O. F. M.

---


(1) Cf. etiam supra, AFH III, 686, nota. Codex iste cum suis opusculis fugit Dr. Steph. Lederer, *Der spanische Cardinal Johann von Torquemada, sein Leben und seine Schriften*, Freiburg i. B. 1879.

(2) Codex *veritatem*.

(3) L. c. II, 383[3].

(4) Cf. supra, AFH IV, 3.

(5) Ed. Venet. 1483, f. 180r: « Perfectum autem per me opus fuit anno salutis nostre 1483. 3° Klas Julii in civitate Bergomi: mihi vero a nativitate quadragesimo nono ».



CODICOGRAPHIA

DESCRIPTIO CODICUM FRANCISCANORUM

BIBLIOTHECAE RICCARDIANAE FLORENTINAE.

(Continuatio) (1).

Cod. n. 1700 (Q. I. 32) chart mill. 210×150 ff. 122 saec. XV a diversis manibus exaratus cum titulis rubricatis. Ligatura membranacea cum hac inscriptione in dorso: *Prose sacre | Assempri | Miracoli | etc. | Sec. XV.* In principio plura adsunt folia insitic. quorum unum indicem profert. Continet

1. f. 21r–35r. [Nonnulla capitula ex **Floreto**].

(21r) *Come sancto Franciescho insegniava rispondere a frate Lione [e frate Lione] non potè dire mai chontradio di quello che sancto Franciescho voleva.* [E]d essendo sancto Franciescho una volta...... (22v) si veghiarono infino a di. A laude di Dio. Amen. = Ed. Amoni, cap. IX p. 31-34; ed. Passerini, VIII, 27-9.

(22v) *Come frate Masseo quasi proverbiando disse a sancto Franciescho che a llui tutto il mondo andava dreto, ed e' rispuose che ciò era a chonfusione del mondo a gratia di Dio perch' io sono il più vile huomo del mondo.* Dimorando una volta sancto Franciescho nel luogho della Portuchula.... (23v) in vera humilità. A laude di xpo. Amen. = Amoni, cap. X p. 34-35; ed. Passerini, IX, 29-30.

(23v) *Come sancto Francescho fecie agirare intorno più volte frate Masseo, e pòi andò a Ssiena, e là fece palese il segreto della cosciença a frate Masseo.* A[n]dando un di.... (25v) i suoi atti il padre sancto. A llaude di xpo. Amen. = Amoni, cap. XI p. 36-39; Passerini, X, 30-3.

(25v) *Come l' agnolo di Dio propuose una quistione a frat' Elia ghuardiano d' uno luogo di val di Ispuleto, e perchè frate Elia gli rispuose superbamente si partì e andonne in chammino di Santo Iacopo dove trovò frate Bernardo e dissegli questa storia.* Al principio cominciamento dell' ordine.... (28v) e lla loquella della sua patria.... Mutilum ob foliorum avulsionem. = Amoni, cap. IV p. 12-17; Passerini, III, 10-4.

(29r) Absque Rubr. « Era il detto frate Rufino pe la continova contemplatione.... (30v) tocchare loro l' orlo de l' abitc. A lalde di xpo. Amen » = Amoni, cap. XXX p. 112-14; Passerini, XXIX. 86-9.

(1) Cf. AFH I, 116-25; 433-42: II, 123-30; 319-24; 480-4; III, 333-40; 551-58; 739-48; IV, 360-65; 748-54; V, 352-9; VI, 156-67; 328-37.



(31r) Absque Rubr. « [N]ella Provincia di Roma uno frate..... (33r) lodò e ringratiò Idio. A llaude di Xpo Crocifisso. Amen. » = Amoni, p. 260-262; Passerini, 194-6.

(33r) Absque Rubr. « L'umile servo di xpo Sancto Franciescho pocho tempo.... (35r) che lle parole del padre santo davano a lloro grandissimo dileto e.... » = Mutilum. Amoni, cap. XVI p. 52-57; Passerini, XV, 44-7.

2. f. 70v-72v. [Composit. poet. Fratris **Iacobi a Tuderto**].

Inc. « Quando t'allegri huomo d'altura ». *Des.* « che tutta la gente salva sia. Amen. » = Tenneroni, *Inizii*, 223.

3. f. 119r-120v. [Miraculum B. Mariae Virg. ex **Floreto**].

Inc. « Nel sopra nominato luogo di Sufiano fu anticamente uno frate Minore di sì gran santità ». *Des.* « e dopo alquanti dì allegramente parlando co' frati con gran letizia e giubilo passò di questa misera vita. A llaude di Xpo, amen, amen ». = Amoni, XLVII, 162-5; Passerini, XLVI, 124-6.

Appendix II praebet « *Seriem Generalium Ministrorum Ordinis Fratrum Minorum Florentinam* » (675-77). Eam, iuxta apographum imperfectum saeculi XVIII habes etiam ap. AF III, p. XXI-XXII, omisso tamen elogio S. Francisci in initio (675-6) et additamento chronologico de anno fundatorum Ordinum S. Francisci etc. (677) in fine. Series usque ad Henricum Astensem (1387-1405) perducitur. — Apud AF III, p. XXI, corrigas: « *Fr. Iohannes de Carestro* » [sic, pro: *Civitate Castellana;* cf. ibid. p. XXIII] *provincie Romane, et rexit VI annis* ». Item p. XXII corrigas: « *Fr. Raymundus de provincia Provincie* » (pro *Principatus!*) etc. — Addimus hanc Seriem clare sed falso Generalatum Fr. Ioh. Parentis postponere Fr. Eliae. — P. 675 l. 30 in loco: « *ut ipsum qui ex Egypto exeunt, sequerentur secure* » expresse alluditur ad versum hymni *Decus morum, dux Minorum;* Chevalier, *Rep. hymn.* n. 4310. (Cf. supra p. 761 l. 45).

Appendix III continet « *Philippi de Perusio Epistolam de Cardinalibus Protectoribus Ordinis Fratrum Minorum* » 678-684. Eam habes apud Waddingum ad an. 1217 n. 10 (I, 174-7; I², 264-7) et apud AF III, 708-12. H.-E. lectiones Codicis S. Floriani XI, 148 (supra, p. 762, l. 20) adiecit. — Variantes plurimae ab eo subnotatae neque sensum neque res ullas ullatenus afficiunt.

Appendix IV omnium minima est, cum nonnisi 7 lineas: « *De exaltatione Corporis Mariae Magdalenae* » comprehendat, quae facta est in Provincia anno 1280, non 1283, uti Salimbene, p. 520 narrat. — Quam notitiam H.-E. e Codice *Vaticano lat. 3822* extraxit, de quo disseruit ap. *Neues Archiv,* XXXIII, 1907, 97-106, plures prophetias pseudo-ioachiticas ex eo ibi evulgans.

Tunc « *Tabula comparativa Editionum Cronicae Fr. Salimbene* » sequitur, ut loci innumeri editionis Parmensis anni 1857 in nova editione haud adeo difficulter reperiri possint (686-91). Exinde « *Ad-*



denda et Corrigenda » utrique parti suae editionis subdidit indefessus Editor (692-96).

Postmodum « *Index materiarum et rerum* » adest locupletissimus (697-741) summa industria collectus, qui editionem hanc plane mirabilem fructiferam reddet, et paginas et lineas quinas nominum rerumque lectori quaerenti primo obtutu offert. Quem indicem quilibet consulet gratissimo animo. Res ad *Fratres Minores* spectantes novem columnas adimplent. — Tunc « *Index biblicus* » (742-5) subsequitur. — Denique *Glossarium* (746-55) volumen istud digne concludit.

Quibus de editione dictis, de *Praefatione* a cl. B. Schmeidler exarata (XXXII pp.) quaedam exponenda iam sunt. Usus est schedis et dissertationibus cl. H.-E.: *Ueber die verlorene grössere Chronik Sicards von Cremona,* ap. *Neues Archiv* (NA) XXIX, 177-245; *Zur Doppelchronik von Reggio* ap. *Nachrichten von der Kgl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, Philolog.-histor. Klasse,* 1901, 282-305; *Salimbene und Albert Milioli* ap. *Historische Aufsätze Karl Zeumer zum 60. Geburtstag als Festgabe dargebracht,* Weimar 1910, 451-482. De hac diss. cf. AFH III, 790 s. Alia cf. infra, p. 765. Attamen, uti rei ratio et natura postulat, Praefatio praeprimis in ipsa Cronica Fr. Salimbene innititur. — B. Sch. primum ergo de Vita Fr. Salimbene agit (p. VII-XX). Natus 9 oct. 1221, die 4 feb. 1238 Parmae Fr. Salimbene a Fr. Elia in Ordinem S. Francisci admissus est. Variae eius peregrinationes summatim indicantur. Ultimo in conventu Montisfalconis, non longe a Regio Aemiliae, habitasse videtur. Cronicam scripsit 1282-1288. Ultimas notitias Cronicae suae inseruit post mensem iunium anni 1288 (p. 638, XXII). Quando vero, ubinamve ultimum diem obierit, penitus nos latet.

B. Sch. secundo de ipsa « *Cronica Fr. Salimbene* » disserit (p. XX-XXV), pauca « *De reliquis operibus* » ipsius colligens (XXV s.). Postea « *De codice autographo* » Cronicae, scil. *Vatic. lat. 7260,* qui hodiedum 272 foliis constat, tractat (XXVI-VIII), *Tabulas VI* ex eo phototypice in fine praefationis expressas accurate describens (XXVIII s.), et fata Codicis pretiosissimi autographi breviter adumbrans (XXIX-XXXI). Quae habentur apographa, recentioris aetatis sunt, nulliusque pretii (XXX). Ultimo loco auctores quosdam enumerat, qui de Fr. Salimbene egerint (XXXI s.).

Addimus auctores nostrates medii aevi eum penitus ignorasse. Rodulphius, *Historiarum Seraph. Relig. libri tres,* Venetiis 1586, f. 334 r., pauca de eo notavit, quae repetiit Franc. Gonzaga, *De origine Seraphicae Religionis,* Romae 1587, p. 90 (ed. II, 1603, 89). Pauca quoque Waddingus, *Scriptores O. M.*, Romae 1650, 313; 213², 208³, de eo retulit. Plura de eo habet Sbaralea, *Suppl.*, Romae 1806, 649, qui non solum codicem autographum « in bibliotheca Ducis Poli al. de Comitibus, Romanis Principibus » evolvit (l. c.), sed etiam e documento antiqui monasterii Clarissarum Ferrariae notavit « *Fr. Rodulphum Ministrum FF. Minorum, Fr. Girardum Rangonum, Fr. Salimbenem Parmensem et Fr. Hugolinum* [de Medicis] *Ferrariensem* » an. 1254 27 mart. interfuisse sollemni professioni Beatricis Atestinae, monasterii praefati fundatricis (l. c. 56; I², 1908, 59). Salimbene hac de re nihil refert (cf. 168, 446); sed tunc revera Ferrariae morabatur (cf. p. XIV). — B. Sch. recte adnotavit *librum Taediorum* Patecli, quem Salimbene saepius citavit (cf. supra 761, l. 33) et ad cuius similitudinem ipse an. 1259 alium librum composuit, editum esse a F. Novati ap. *Rendiconti del R. Ist. Lombardo,* XXIX, 1896, 279-88, 500-16. Pars



autem denuo prodiit ap. Monaci, *Crestomazia italiana,* 529-31; cf. AFH VI, 583. — Tabulae phototypicae editioni additae magni certe pretio, magnoque legentibus commodo sunt.

2. Cl.mi Editoris H.-E. b. m. intentio fuerat de vita Fr. Salimbene agere tantum in Praefatione editionis, sed, ut quaedam amplius discutere posset, postmodum seriem dissertationum hac de re in periodico *Neues Archiv* (NA) instituendi consilium cepit (165). Cum autem materiam biographiae ipsa Cronica praebere debeat, vix biographia integra auctoris texi poterit, quia plurima tacet Frater in genere adeo verbosus, quas res illustrare nemo unquam poterit (165 s.). — H.-E. primum caput dissertationis: *De pueritia Fr. Salimbene* inscripsit (166-183), ubi accurate de parentibus et parentela Fr. Salimbene agit (166-71), et de *Alleluia* anno 1233 celebrato, circa quod a Fratre nostro Parmensi longe melius quam a reliquis Chronistis edocemur, 174-9. Cf. quoque (ait, 174) E. Winkelmann, *Jahrbücher Friedrichs II,* Leipzig 1898, 435-84; S. Sutter, *Johann von Vicenza,* Freiburg i. Br. 1891, 22 ff. — Guido, frater maior natu Salimbene, an. 1233 Ordini FF. Minorum nomen dedisse videtur (180 s.) — Paragraphus II inscribitur: *De Fr. Salimbene Minorita* (183-218). Severissima lance omnes actus Fr. Salimbene ponderat. Autumat Chronistam an. 1238 Ordinem amplectentem magis pium fuisse, quam annis 1282-1288, quibus Cronicam suam composuit (186). Erga patrem desolatum (187-91) « insolenter » se gessisse dicitur, superbe atque vane (191). H.-E. miratur, et quidem recte, quod Salimbene nullibi Cronicae suae (pro nepti sua scriptae) adnotaverit, ubinam vel quando alteruter parentum obierit (193). Salimbene longe abfuit, ut cultor altissimae paupertatis exsisteret (195), unde plura contra Fr. Eliam sub anno 1239 narrata, certe consideravit iuxta fata posteriora Fr. Eliae (l. c.). H.-E. parum recte coniecturavit Gregorium IX praecipue ob rationes politicas in Capitulo Gli 15 maii 1239 a Fr. Eliae causa recessisse, quia nempe Elias Frederico II, iam 20 et 24 mart. 1239 excommunicato, favebat adhuc (196). Rationes enim internae Ordinis aliis praevaluisse vix dubium esse potest. — De mora Fr. Salimbene Lucae (197-9), Senis (199-203), Pisis (203-11), Cremonae (212-8), usque ad an. 1247 postea ex ordine tractatur. — In fine Stemma gentilicium familiae De Adam subnectitur.

Altera dissertatio « De Fr. Salimbene peregrinante » inscribitur. Anno 1247 cum socio Fr. Iohanne de Ollis Parmensi « in Franciam » missus fuit ad studendum (471 *Cron.* 322). Unde non agebatur de Lutetia Paris.; uti H.-E. recte contendit (478). Narratur iter Fr. Salimbene Lugdunum (471-2), ubi ad audientiam Innocentii IV admissus est (472-5). Unde profectus Trecas versus (475 s.), inde Pruvinum (476-7), hinc Parisius abiit (2 febr. 1248): « *et steti ibi* (ait) *octo diebus; et multa vidi, que placuerunt michi* ». Neque alia de Parisiis notavit. Sed prosequitur « *Post hec redii et habitavi in conventu Senonensi, quia fratres Gallici libenter ubique tenebant me, eo quod essem pacificus et alacer iuvenis et quia commendabam facta eorum* » (*Cron.*, 212; 478 s.). Assignatus ei fuerat a Ministro Franciae ad morandum conventus Altissiodorensis (480 s.; *Cron.*, 214, 237). Hoc anno (mense april.) dissertatio a cl. v. b. m. H.-E. manca relicta, abrumpitur. — Neque reliquos annos vitae Fr. Salimbene tractavit, neque ea quae promiserat de ingenio Fr. Salimbene (NA XXXVII, 185), de Ioachitis (l. c. 210), exarare H.-E. potuit, cum mors insperata ei calamum e manu abstulerit.



3. Cl. ALFR. DOVE hac dissertatione examini quodammodo subiicit volumina duo ultima seriei *Scriptorum* collectionis *Mon. Germ. Hist.*, scil. t. XXXI (1903; VIII, 776 pp.), quodque, inter alia plura, continet Sicardi, episcopi Cremonensis *Cronicam*, 22-223, quam Salimbene adhibuit (cf. ibid. 76 ss.), et Alberti Milioli *Librum de temporibus* 353-572, etc., etc. Hunc librum Salimbene excerpsit (et ampliavit) usque ad annum 1280 (*Cron.* 506 l. 25); inde vero ab an. 1281 Albertus e contra Fr. Salimbene Cronicam expilavit, pauca ei addens. Qua de re ipse A. D. primus disseruerat in op. *Die Doppelchronik von Reggio und die Quellen Salimbenes,* Leipzig 1873, in-8°, VIII, 144 pp. — Cui diss. addiderat Appendices, in quibus collegit ea quae putabat I) esse *Fragmenta Chronici cuiusdam Pontificalis* (1154-1241), a quodam Clerico anonymo 1250-1273 conscripti, cuius exemplar 1273-1284 in conventu FF. Minorum Regii exstitisset (147-52); II) *Annales quosdam Regienses* 1154-1272, (153-92), et III) horum *Continuationem factam ab auctore Libri de Temporibus,* scil. quodam Fratre Minore an. 1253-1281, (193-208); IV) *Eiusdem Continuatoris Regiensis additamenta*, excerpta e Cronicis Fr. Salimbene, 1282-1285 (209-14); denique V) *Continuationem novam ab auctore incognito* factam 1285-1290 (215-226). — Quas Chronicas hypotheticas etc. H.-E. explosit in diss. supra 764, l. 12 ss. citatis et in hoc vol. MGH SS. XXXI, 336-72. Excipias *Continuationem 1285-90,* ibid. 572-9 editam, quae tamen neque Fratris Minoris, neque Clerici ullius est.

DOVE de Sicardo agit (2-4), de Alberto Milioli, notario Regino (c. 1220-c. 1285), de eius relationibus ad Salimbene (6-7); tunc ad vol. XXXII transit (9-14), de ipso Fr. Salimbene (10-11), de labore critico ab H.-E. in codice accuratissime edendo praestito paucis dicit (12-14). Non immerito censet H.-E. in genere non benignitate erga auctorem abripi, sed severiore oculo in omnia Fratris Minoris dicta in adnotationibus suis — quae plus quam 4500 numerantur — animadvertisse, eadem explicasse, carpsisse, vellicasse. Merito etiam A. D. nobis adnotasse videtur (13 s.). B. SCH. (*Praef.*, XVII sq.) circa moram Fr. Salimbene, qui iuxta eum e conventu Regiensi, scilicet inter ineuntem mensem sept. et 24 dec. 1284 diutius recessisset, — praeter rem editori H.-E. contradixisse. Ratiunculae a B. SCH. allatae, viso modo loquendi Fr. Salimbene, vix quidpiam hac pro coniectura, ceterum parvi momenti, probant. — Recte contra H.-E (*Cron.*, 318) et contra B. SCH. (*Praef. XXIII*) A. D. animadvertit (13), quod Chronista noster epistolam illam Urbani IV, cuius locum brevem retulit, non ipse finxerit, sed ex fama et rumore audiverit. Utrum vero agatur de fama publica, an de nugis Fratrum Minorum (« *Ordensklatsch* »), minime diiudicari potest.

4. A. CERLINI sibi proposuit denuo examinanda tria (387), scil. 1) utrum Albertus Milioli auctor sit *Libri de temporis et aetatibus:* ed. H.-E. ap. MG SS XXXI, 353-72, sub illius nomine; 2) utrum eiusdem auctoris sit quoque *Cronica Imperatorum:* ed. idem, l. c. 580-667, eodem sub nomine; 3) *quamnam partem Fr. Salimbene in istis Chronicis compilandis habuerit.* Agitur hic quoque de codicibus autographis Alberti Milioli. A. C. rationes mere palaeographicas et graphicas colligit, in litterarum formas investigat (quas tamen H.-E. suo tempore non neglexerat), nitens probare *Cronica Imperatorum* notasque plurimas *Libri de Temporibus* non ab Alb. Milioli scriptas esse. — Tertia vero quaestio, quae sola ad nos directe spectaret, tractata non fuit, neque duarum priorum



tractatio ad finem perducta esse videtur. — Data intima relatione inter Cronicam Fr. Salimbene et utramque Cronicam Alberti, cuius notae marginales postea e Fratris Salimbene Cronica codici *Libri de Temp.* additae sunt, insuper quoniam in *Cronica Imperatorum* certissime Cronica Fr. Salimbene adhibita fuit, (cf. NA XXIX, 189ss.) nobis rationes et considerationes mere externae, velut graphicae illae, rem ullatenus decidere posse non videntur. Neque mirum, quod notarius peritus modo scripturam notariam, modo librariam, etc. scite et libere adhibuerit. In fine plures adiiciuntur tabulae phototypicae — Cf. ad rem H.-E. ap. NA XXXVI, 1910, 262-3; A. Dove, l. c. 8; Schmeidler, *Praef.* XXII.

5. Cl. BERN. SCHMEIDLER, qui editioni H.-E. Praefationem praefixit, an. 1909 opusculum de Chronistis et Historiographis italicis saeculi XII et XIII vulgaverat, in quo neque Historicorum more de singulis quibusdam Chronicarum notitiis, neque de fontibus eorum, etc. agit, sed de indole generali Chronicarum, quam cum temporis illius rationibus generalibus componit et confert. — Post praemissa quaedam de Chronistis medii aevi in genere (1-12), ex ordine tractantur: Acerbus Morena (12-16, 76-7), Hugo Falcandus (16-21, 79-82) Godefridus Viterbiensis (21-7, 83-7), Petrus de Ebulo (27-31), Bern. Orlandi de Rubeis (Rossi) (35-7), Ioh. Codagnellus (38-41), Sanzanome Florentinus (41-5), Rolandinus Patavinus (45-9), Fr. Thomas Papiensis O. F. M. (olim falso Tuscus dictus) (49-52). Fr. Salimbene de Adam (52-55), ultimo loco Ricobaldus Ferrariensis (55-64). Qui demum inter se quodammodo comparantur (65-72). — B. Schm. censens Cronicas Imperatorum et Pontificum FFr. Vincentii Bellovacensis et Martini Oppaviensis esse opera specifica Chronistarum clericorum saeculi XIII (49), contendit FF. Thomam Papiensem et Salimbene ab huiusmodi compilandi genere longe deflexisse, praesertim vero Fr. Salimbene, operi suo liberrime et effrenate quaecumque ipsi obtingebant, intermiscentem. Uterque vero non secus ac alii saeculi XIII homines res et eventus concipiebat. Indoles intemperans Fr. Salimbene legenti summo est oblectamento (54), nimia sui ipsius aestimatio, aliique eius defectus, bonaeque artes et qualitates (54s.), quibus omnibus Fr. Thomam superavisset. — De relationibus inter Cronicam Fr. Salimbene et Dantem, disseruit VITT. CIAN; cf. AFH VI, 156s. **P. Michael Bihl**, O. F. M.

Carlini, Armando. — *Fra Michelino e la sua eresia. Con prefazione di Renato Serra.* — Bologna, Ditta Nicola Zanichelli, 1912. — In-8° pp. XXXIII, 311. (L. 3,50).

Si paucae monographiae de vita et gestis Fr. Michaelis a Caesena hucusque scriptae sunt, hoc ex eo forsan explicandum, quod eius fata enarranda separari vix possunt ab aliis hominibus non minus celebribus et quaestionibus spinosis, politicis et religiosis, illius temporis per longum et latum tractandis. Accedit quod Fr. Michael homo adeo eminens, qui in scientia vel in aliis campis vestigia duratura reliquisset, non est. Nihilominus cum scientia historica in dies magis excolatur, et Caesenas monographiam meruit.

Carlini laboribus non pepercit, ut ea congereret, quibus biographiam Caesenatis texeret, atque ante huius libri editionem, alia publici iuris fecerat studia, ut de falso *Miserere* Fr. Michaeli adscripto (cf. AFH II, 657-60), et editionem Statutorum Generalium Ordinis a. 1316 (AFH IV, 269-302; 508-526) et a. 1325 (AFH IV, 526-536) curaverat.



Post praefationem Renati Serra et verba introductoria auctoris, sequitur elenchus operum Michaelis a Caesena, completior quam hucusque prodierat, unacum bibliographia et litteratura de auctore, XXVIII-XXXVIII. Haec libri pars utilissima doctis evadet. Notatur quosdam Michaelis libros hodie deperditos esse vel saltem ignorari, uti in *Sententias* et in varios S. Scripturae libros commentarios. Ad p. XXXI addo Sententiam minorem Perusinam a. 1322 haberi etiam ap. *Firmament.*, Parisiis 1512, IV, 180va. Protestatio Michaelis, Monachii 23 Aug. 1338, ab auctore hic in *Appendice,* 289-308, primum editur ex Codice lat. 5154 Bibl. Nat. Parisiis, in quo tamen forma *Ierosonymus,* in editione pluries occurrens, vix invenitur, bene vero *Ieronimus* vel quid simile.

Librum A. in XVIII divisit capitula, quorum I, 1-17, *Cesena nel dugento,* praeter optimam de imagine et ortu Fr. Michaelis notam, 18-19, ad nos vix pertinet; II, 21-25, vero, de magna illa disceptatione in curia pontificia a. 1310 circa paupertatem habita, velut introductio est ad Ministerium Generale Fr. Michaelis, cuius vita et gesta capp. III-XII narrantur, ultimis capitulis XIII-XVIII ad fortunam eiusdem post mortem, necnon sequacium reservatis. Quae ad Ordinis utilitatem et incrementum administratio Caesenatis usque a. 1324 contulerit, in nota, 60-61, tractata, fusius in capitulo proprio enarranda fuissent, eodem modo ac factum est pro dissidiis Spiritualium et Communitatis prioribus annis Ministerii Michaelis et Pontificatus Iohannis XXII, in cap. IV, 63-74. A., 71-72, acute notat inter sententias ut haereticas Spiritualibus illis a. 1317 obiectis ab Inquisitore fuisse etiam: Christum non habuisse loculos, quae tamen in illorum ad rogum condemnatione amplius non apparet, forsan actione Fr. Michaelis, qui condemnationi sententiarum haereticarum subscripsit. In hac hypothesi contradictio Caesenatis in mox sequentibus de Christi paupertate litibus minus eluceret, initio saltem; nam in decursu quaestionis Michael et sui ad argumenta Spiritualium, quos antea dure persecuti erant, large recurrebant, ita ut non immerito P. Jeiler, *Kirchenlexikon,* XI[2], 644, observaret illas de theoretica paupertate lites pro Ordine tam calamitosas, fuisse velut iudicium Dei.

Nolumus hic sequi A. in singulis periodis dolorosae historiae rebellionis Fr. Michaelis contra Ecclesiam, et unionis eiusdem cum Ludovico Bavaro excommunicato, quae periodus est historiae Ordinis omnium tristissima et in sequelis perfunesta. A. singula puncta plus vel minus erudite profundeque tractavit. Pag. 107-09 in partem, quam Michael in Appellatione Sachsenhusiana habere potuit, inquirit, atque, non obstantibus novis momentis ab ipso adductis, omnibus consideratis, negat. Quoad appellationem ipsam Sachsenhusianam A. bene citat opusculum J. Schwalm, *Die Appellation König Ludwigs des Baiern von 1324 in ursprünglicher Gestalt,* Weimar 1906, sed in narratione ad argumenta, quibus Schwalm probare nisus est « Excursum minoriticum » esse falsificationem, non attendit. Ex altera parte A., 85, participationem Gulielmi Occam in sententia Perusina redigenda a. 1322, et de eo agi in bulla Iohannis XXII, 1 Dec. 1323, contra Fr. Gulielmum Anglicum quemdam, Bononiae Christi paupertatem sensu minoritico praedicantem, accipit, 103, sine discussione, quod utrumque supra refutatum est ab Hofer, AFH VI, 441-46. Prudens vero et moderatus est A. in disputando de adhaesione Michaelis ad Ludovicum Bavarum ante a. 1328, quamvis plene admittat, 121-22, grave indicium et momentum litterarum a Magistratu Perusino 28 Aug. 1327 ad Iohannem XXII datarum, atque a Finke editarum (cf. AFH II, 161).



Bene etiam ostendit, 150ss. A. adhaesionem Michaelis ad Bavarum profundiorem non fuisse, cum Ludovici adversario, Roberto Neapolitano, eiusque aulae semper gratus remanserit. Michaelis libri quidam inventi fuerunt inter res relictas a Regina Sancia, † 1346, quos Papa Clemens VI, 9 Aug. 1346 (Eubel, *Bull. Franc.,* VI, p. 187) iussit sibi deferri, 162. Brevibus, 182-84, tractat A. obscuram quaestionem coniurationis, quam a. 1334 Card. Neapoleo Ursinus, Ludovicus Bavarus, Michael a Caesena contra Iohannem XXII iniissent, Concilii generalis Ecclesiae convocandi causa Papamque deponendi. — Michael Monachii 29 Nov. 1342 mortuus est impoenitens, 191; nam commentarius in Ps. 50 *Miserere* certe est falsificatio, 195-206.

Quae sequuntur Michelistas (quos A. iure a Fraticellis aliisque sectis affinibus clare distinguit) et quaestiones de paupertate, doctrinas politicas et religiosas, haeresim Fr. Michaelis respiciunt, inter quae praeter quaedem bene dicta, multa invenies quae catholicum lectorem, non obstante ostentata quadam moderatione, ad contradicendum provocant. A Michaele Caesenate ad modernismum devenit A.! Alia minoris momenti transimus, veluti p. 136 [1], ubi Custodiae dicuntur Provinciae, et p. 255 Michaelem numquam ad modum Spiritualium Ioachimiticorum suis scriptis ad prophetias provocasse, dum clarum exemplum habemus in eius appellatione 24 Ian. 1331 ap. Eubel, *Bull. Franc.* V, 429, nota; cf. etiam *Expositio Regulae Auctore Fr. Angelo Clareno,* Ad Cl. Aquas 1912, p. LXVI.

In quaestionibus generatim pure historicis A. omnino diligentem et aequum se exhibet, iudicia vero et conclusiones, quae ex factis deducit, recipi semper non possunt. Methodus A. medium tenet inter opus eruditum et opus simplicis lectionis. Initio uniuscuiusque capituli fontes et litteratura indicantur, rarius in notis textui adiectis. Sed saepissime ad fontium fidem scribi expers lector animadvertit. In fine desideratur Index nominum.

Non obstantibus nostris observationibus, qui rebus franciscanis student, cum fructu librum Ar. Carlini adhibebunt.

P. Livarius Oliger, O. F. M.

1. **Thamm, Melchior.** — *Der Versuch einer Schulreform im Amte Montabaur unter Clemens Wenceslaus, dem letzten Kurfürsten von Trier*, p. 3–18, ap. *Kaiser Wilhelms Gymnasium in Montabaur. Jahresbericht Ostern 1905.* Montabaur, Gg. Sauerborn, [1905], in–4°, 37 pp. (M. 1,20).
2. **Metzen, Jos.,** Dr. — *Geschichte des Gymnasiums und Realgymnasiums zu Limburg a. d. Lahn.* Limburg a. d. Lahn, Vereinsdruckerei, 1905, in–8°, 54 pp. (M. 0,60). Extractum ex: *Festschrift zur Einweihung des neuen Gymnasialgebäudes zu Limburg a. d. Lahn*, 1905, p. 1–54.
3. **Idem.** — *Zur Geschichte des Limburger Franziskanergymnasiums*, p. 3–30, ap. *Gymnasium nebst Realprogymnasium zu Limburg a. d. Lahn, Bericht über das Schuljahr 1907.* Limburg a. d. Lahn, Vereinsdruckerei, 1908, in–4° 54 pp. (M. 1,60).
4. **Lappe, Jos.,** Dr. — *Das ehemalige Gymnasium Antonianum zu Geseke 1687–1804. Ein Beitrag zur Geschichte*



des höheren Schulwesens. Dortmund, Fr. W. Ruhfus, 1911; in-8°, 58 pp. (M. 1,00). Extractum ex: *Beiträge zur Geschichte Dortmunds und der Grafschaft Mark*, XX, ibidem, 1911, IV, 320 pp.; p. 250–305.

5. **Führer, Anton,** Dr. — *Geschichte des Gymnasium Dionysianum in Rheine. Festschrift zur Feier seines 250 jährigen Bestehens.* Münster i. W., Aschendorff.: Rheine, A. Rieke, 1909, in-8°, 164 pp.; 6 tabulae. (M. 3,00).

Capitulum primum Provinciae Saxoniae S. Crucis anno 1627 restitutae, 23 iulii 1628 Fuldae habitum, statuit et novos Conventus fundare et Gymnasia apud ipsos ad iuventutem studiosam in litteris humanioribus erudiendam instituere. Sed non solum Provincia Saxoniae, verum etiam reliquae Provinciae Nationis Germano-Belgicae plura Gymnasia mox instituebant, quae plures civitates in instrumento fundationis novorum Conventuum tanquam conditionem essentialem admittendorum Fratrum inseruerunt. Gymnasia ista publica erant, et iuxta methodum Iesuitarum, communemque illorum saeculorum, regionumque, in 5 classes distinguebantur quae nominabantur *Infima, Secunda, Syntaxis, Humana* vel *Poetica,* demum *Rhetorica;* unde discipuli singulas frequentantes vocabantur: *Infimistae, Secundani* (Secundistae), *Syntaxistae, Humanistae* vel *Poetae, Rhetores.* Tres classes infimae Grammaticae Latinae addiscendae praecipue incumbebant unde quandoque: *Infima, Media* et *Suprema* (grammatices scil.) appellabantur. — Prima hora quotidie « Lectioni catechisticae » applicabatur, secunda vero linguae Latinae. In *Infimam* admittendi pueri grammaticae latinae iam rudimenta callebant, quae in classi *Subinfima* dicta docebantur. Haec classis in genere in ipsa schola elementari seu triviali urbis vel loci cuiuslibet habebatur. Quandoque *Subinfima, Infima* (et *Secunda*) efformabant *Tyrocinium,* vel separatum, vel cum schola triviali aut cum ipso Gymnasio coniunctum.

In genere lingua latina utebantur et magistri et discipuli, in qua etiam per annum *Declamationes* (carminum, orationum) et in fine praesertim *Actiones* theatrales (finales vel intermediae, i. e. per annum) peragebantur. Discipuli optimi in fine anni scholaris *Praemiis,* iuxta diversas materias, insigniebantur (*Praemiferi*). Circa an. 1770-80 etiam Mathematica, Arithmetica, Algebra, Geometria, Historia, Geographia, lingua patria (germanica), graeca, aliaeque materiae in studiorum rationes introductae fuerunt. Gymnasio praeerat *Praefectus,* qui ordinarie Professor classis V erat. Cum vero in genere *Professor* quisque unam classem doceret, et cum ea annuatim ascenderet, patet quolibet anno novum Praefectum exstitisse. Caeterum *Professores* sive *Magistri* ipsi qui, iuxta morem aliorum, docendo discebant, non per multos annos in scholis occupati fuisse videntur.

Quibus in genere praelibatis ad singulorum quorundam Gymnasiorum nostrorum historias descendimus.

1. Dr. Melchior Thamm agit de reformatione scholarum in districtu Montaburano, quam imposuit et suscepit Clemens Wenceslaus de Saxonia (1768-1812), archiepiscopus Trevirensis et Princeps Elector S. R. I., ab an. 1770-1806, et quidem in ipsa urbe Montabaur (6-10), in ipsiusque districtu (11-18). Hic de scholis trivialibus tantum agebatur, illic vero de *Scholis* sic dictis *Latinis* seu *Studentium.* — A. in



notis tantum disiecta quaedam et manca de Gymnasio Ordinis FF. Min. in dicta urbe colligit. Conventus Provinciae Thuringiae ibi fundatus fuit an. 1642. Die 3 nov. 1745 archiepiscopus Trevirensis, magistratu rem proponente, FF. Minoribus 3 classes Gymnasii superiores concredidit, pro quibus instruendis Definitorium Provinciale 26 iun. 1746 duos Professores peritos nominare promisit. Pro uno Magistro 40 imperiales salarii titulo Definitorium statuit exigere; anno 1747 vero 50 imp.; anno 1748 porro 80 imp. pro duobus magistris; postmodum demum 100 imp., item pro duobus. Die 29 oct. 1757 alii e magistratu FF. Minoribus omnes classes committere, alii autem eis omnes classes tollere voluerunt (7). Non diu postea FF. Minores Gymnasium hoc revera dimisisse videntur.

2. Anno 1577, 6 dec. Iacobus III de Eltz, archiep. Trevirensis (1567-81), statuit in conventu O. F. Min. Limburgi, 10 nov. 1577 derelicto, scholam instituere (11). Anno autem 1582 FF. Min. Observantes Provinciae Coloniae denuo Conventum occupaverunt (11s.), qui illum an. 1627 Provinciae Saxoniae cesserunt, a qua an. 1635 ad Thuringiam transiit. Circa 1633 FF. Minores per aliquot annos scholas habuerant (13s.), quas instantibus magistratu et archiepiscopo ab anno 1664 reaperuerunt, quotannis una classe accedente, unde an. 1667 Poesis accrevit, anno vero 1668 Gymnasium perfectum constitutum est (16-8). Consules urbis singulis PP. Magistris annuatim 40 imper. solvebant (17); paulatim deventum est « ad 100 imper. ad instar PP. Iesuitarum » (18). Structurae quam prope conventum 1663-65 magistratus erexerat (14), ipsi FF. Minores an 1750 novam substituerunt (19). — Ab anno 1667-1750 Auctor nulla invenit documenta. An. 1768 Gymnasio « *Studium Philosophicum* » accedere debuit (20-2), sed renitente archiepiscopo, FF. Minores privatim tantum Philosophiam tradiderunt; quod studium anno 1803 tandem publicum evasit (22s.). Inde ab an. 1777 *Tyrocinium,* duas classes complectens, Gymnasio additum fuit (23-5), agente Commissione Trevirensi pro studiis reformandis (cf. n. **I**, l. 3). Ex hoc tempore sat plures suppetunt notitiae, deque partibus singularum materiarum (26-34). Anno 1813 et Conventus et Gymnasium abolita sunt a novo gubernio Nassoviae (Weilburg) (35-6). — An. 1838 schola Latina privata Limburgi concessa fuit, quae cum Schola reali (technica), an. 1817 instituta, an. 1846 adunata fuit. Harum fata postmodum narrantur (37-54).

3. Idem in Programmate anni 1907-08 novas quasdam notitias de eodem FF. Minorum Gymnasio Limburgensi collegit. Versantur istae circa Scholas reassumendas an. 1663 sqq. Sunt: 1) epistola Fr. Friderici Stumelii 17 febr. 1667 ad magistratum Limburgensem (6-7), in qua inter alia declarat Magistros O. F. M. contentos esse 100 florenis, cum Iesuitae ubique locorum 100 imperiales exigant; 2) editur contractus inter Definitorium Prov. Thuringiae et magistratum circa salarium Magistrorum, scil. 40 imper., (30 april. 1667); 3) Contractus circa novam structuram an. 1750 (7s.). Tunc quaedam de disciplina studentium an. 1786-91 notantur (9s.). Magistratus praemia scholae solvebat (10). Sept. 27, 1782 in termino S. Michaelis, in *fine* scil. anni scholaris, praemiatio publica ultima, ultimaque Actio finalis (erat tragoedia inscripta: *Hamlet, Prinz von Dannemark*) celebratae sunt (10s.). Servatus est quaternio continens materias examinis habendi 5 sept. 1781 (12s.). P. 12-30 evulgatur Programma specificatum de scholis Limburgensibus in melius mutandis, elaboratum an. 1801 ab officiali Ios. Beck. in qua de singulis classibus agitur, etc.



4. Praenotatis fontibus (251-4), et scholis antiquis urbis Gesecensis breviter descriptis (254-66), Dr. Ios. Lappe de fundatione Conventus Provinciae Saxoniae in Geseke (1637) agit, cui statim institutio Gymnasii commendata fuit ab archiepiscopo Coloniensi (266s.), quique 16 aug. 1640 rem urgebat (267). Prohibentibus bellis, *Gymnasium Antonianum* an. 1687 tandem inauguratum fuit (267). FF. Minores Magistri contenti erant singuli 25 imper. ex parte municipii. Hoc tamen negligentius agente, FF. Minores an. 1702 scholas clauserunt (268). Liberalitate Iohannis Georg. Bertram, praepositi Halberstadiensis (1717, 1721), Gymnasium tunc denuo fundatum et institutum fuit (269s.), in structura speciali iam anno 1687 condita. — De ratione classium et studiorum etc. agitur 273-83. Annus scholaris a 2 nov. usque ad 29 sept. perdurabat, interiectis solis vacationibus a Coena Domini usque ad feriam III post Pascha. Per hiemem schola vacabat singulis hebdomadibus semel post meridiem, per aestatem vero bis; ab hora 10-12, et 4-7 p. m. « *Silentium* » observabatur ad pensa scholae conficienda (283s.). — An. 1723-1756 Gymnasio *Studium philosophiae* accessit, in cuius Cursu I Logicam, in Cursu II Metaphysicam et Physicam duo Lectores in ipso Conventu tradebant studentibus saecularibus coniunctim cum Fratribus Clericis O. F. M. Anno 1756 municipium structurae scholae ad hunc finem partem novam addidit. Anno vero 1773 Provincia studium philosophicum avocavit, quod tamen 1793 restituit (291-3). Anno vero 1804 Gymnasium penitus suppressum fuit (295s.). — Inter alia MSS., Acta, etc. conservatus fuit *Catalogus Studiosorum Gymnasii Antoniani erecti... 1667... ad instantiam Civitatensium aeque ac Senatus,* (1687-1804) (252). Ex quo Catalogo plurimas notitias eruit doctus Auctor, et numerum studentium classium omnium (5) colligit (298-300), item loca, unde fuerint studentes (301-3), titulosque Actionum Gesecae habitarum, quae an. 1771, mandante Ministro Provinciali, cessarunt (303-5). En numeri studentium extremi: anno 1723 numerabantur 77, anno 1687 (scil. primo) 10, annis vero 1779 et 1782 aderant 22. — Inde ab an. 1804 Gesecae nonnisi sic dicta « *höhere Bürgerschule* » subsistit. Cf. quoque Meyer, Wilh., *Jahresbericht der höheren Stadtschule zu Geseke,* Geseke 1901; idem, *Zur Erinnerung an das hundertjährige Jubilaeum der höheren Stadtschule zu Geseke,* ibid. 1904.

5. Die 14 sept. 1658 Christophorus Bern. de Galen, episcopus Monasteriensis (1650-1678), rogante senatu urbis Rheinae, FF. Minoribus Provinciae Saxoniae scholam Latinam instituere concessit « a Syntaxi exclusive usque ad Rhetoricam incl. » (1; docum. 153s.). Definitorium Provinciae Saxoniae, habitum Rheinae, 5 nov. 1858, rem acceptavit, et insuper etiam classem Syntaxeos; pro quolibet Magistro 50 imper. exegit, statuitque, ut his libri necessarii subministrarentur, et domus scholarum vicina conventui exstrueretur (2). Conventus Rheinae 1635 fundatus erat; an. 1658 novam ecclesiam, et 1662 novum conventum fabricare Fratres ceperunt (3-5). Classes infimae Franciscanis denegabantur, quia schola trivialis Rheinae easdem comprehendebat (6-8). Fratres vero Minores has quoque instituebant, unde lis acris orta est (8-11), usquedum 29 iul. 1675 municipium eis 5 classes concessit, se etiam obligando novam domum scholarum exstruere (11-2), et studentium Praemia solvere (12s.). An. 1683 Gymnasium a Capitulo cathedrali Monasteriensi, sede vacante, dein a novo quoque episcopo suppressum fuit (14-20). Anno 1706 tamen FF. Minoribus denuo Infimam et Secundam, an. 1707 item Syntaxim, et an. 1708 omnes classes instituere concessum fuit (20s.). Domus nova scholarum an. 1733 demum extructa fuit e regione

conventus (21). Civitas Fratribus Magistris varias gratificationes solvere promiserat, v. gr. candelas, soccos, crepidas, calamos, papyrum etc., saepius vero solvere neglexit (23s.) Decreto Napoleonis I edito 14 nov. 1811 omnes conventus etc. in ditione illa imperiali exstincti sunt (26-8). Ab anno 1812 duo FF. Minores (vi saecularizati) scholam aliquatenus continuaverunt, quae demum immutata, an. 1820 (una cum tribunali) in structuram conventus O. F. M. translata est (78s.). Ann. 1908-09 nova domus pro Gymnasio a fundamentis erecta est. — Plurimae notitiae de Gymnasio O. F. M. continentur in *Catalogo studiosorum Gymnasii Dionysiani, reformati anno 1676,* cuius servantur duo volumina in-fol., quorum alterum annos 1676-1693, alterum 1707-1819 comprehendit (29-61). De reformatione scholastica Frid. Wil. de Fürstemberg anni 1770 sqq., cf. 33-9. De *Declamationibus* (45-6), item de *Actionibus* (45-9), Rheinae habitis, de ratione studiorum (50-61) plura proferuntur. Nomina Praefectorum (omni ferme anno officium resignantium) habes 51s.; numeros studiosorum an. 1675-1819, p. 52-3; annis 1711 et 1714 erant 97, annis 1801 et 1803 solummodo 24. Qui numeri extremi sunt. Inter celebriores qui in humanitates Rheinae incubuerunt, recensentur (58): Ioh. Hyac. Kistemaker (1754-1834), Th. Katerkamp (1764-1834), Bern. Overberg (1754-1826), paedagogus, G. Hermes (1775-1831). — In appendice (153-63), inter alia, eduntur « *Regulae et privilegia pro liberalium artium Professoribus Ordinis S. Francisci... Provinciae Saxoniae... an. 1675 innovata* » et approbata (158-61). Ceterum sumuntur ex *Die sächsische Franziskanerprovinz,* 1905, 55-8; cf. AFH IV, 373. — In fine plures effigies Gymnasii recentioris, scil. Conventus O. F. M., (1822-1909) et modernae structurae novae exhibentur.

Aliis iam occasionibus de aliis Gymnasiis antiquis O. F. M. in AFH actum est. — De Gymnasio Episcopiensi (*Tauberbischofsheim*) Provinciae Thuringiae (1688-1827) nos ipsi egimus; cf. AFH III, 374s. — De Gymnasio in *Recklinghausen,* Provinciae Saxoniae (1646-49; 1730-1824) tractavit AUTBERTUS GROETEKEN, O. F. M.; cf. AFH III, 375; idem de Gymnasio in *Vreden,* eiusdem Provinciae (1677-1811); cf. AFH V, 796.

Quibus opusculis adde alia de nostris Gymnasiis, v. gr. Kork, M. J., *Beiträge zur Geschichte des Progymnasiums zu Dorsten,* Dorsten 1867; Schwarz, W., *Festschrift zur Einweihung des neuen Gymnasialgebäudes und zur Feier des 260jährigen Jubiläums der höheren Lehranstalt in Dorsten,* Dorsten 1902. — Willoh, *Das Gymnasium Antonianum zu Vechta,* Vechta i. Old. 1896. — Bunnefeld, W., *Geschichte der höheren Lehranstalt zu Warendorf,* Warendorf 1897. — Inde ab an. 1797 Gymnasium publicum O. F. M., Hallae (Tyrol.) floret; cf. Lener, J., O. F. M., *Hundert Jahre Franziskanergymnasium; Programm des Obergymnasiums zu Hall,* Hall 1902. = De nostris antiquis Gymnasiis in Belgio, cf. plura opuscula ap. AFH VI, 576, 580-1. = De Gymnasiis FF. Minorum Conventualium Provinciae Coloniae, cf. AFH III, 763.

P. Michael Bihl, O. F. M.

Zephyrin Engelhardt, O. F. M. — *The Missions and Missionaries of California.* — Vol. III: *Upper California Part II: General History.* With numerous illustrations and facsimiles. — San Francisco, The James H. Barry Co., 1913, in-8°, pp. XVIII-663. — (3 doll.).

The first and second volumes of this monumental history of the California Missions were reviewed in these pages by the present writer



shortly after their appearance (AFH II, 1909, 145-6 and V, 1912. 594-5). The praise then bestowed upon the work of Fr. Zephyrin we now repeat with added force in regard to this fresh instalment of his gigantic undertaking, which fully maintains the rich promise of the earlier volumes and bears new witness to his wide knowledge and deep erudition.

To review the volume before us with any detail, would be to write an article. We must content ourselves therefore with a general survey. It is occupied with a continuation from the proceding volume of the general history of the Franciscan Missions in Upper California and is divided into two sections. The first of these (pp. 3-307) comprises eighteen chapters and deals with the administration of Fr. Vincente Francisco de Sarriá (1812-1818; 1824-1830) and Fr. Mariano Payéras (1819-1823) Comisarios-Prefectos, and of Fr. José Señán (1812-1815: 1820-1823) Fr. Mariano Payéras (1815-1820) Fr. Narciso Durán (1824-1827) and Fr. José Bernardo Sánchez (1827-1830) Presidentes. The second section of the volume (pp. 311-606) covers seventeen chapters and treats of the administration of Fr. Narciso Durán (1830-1836) Presidente. There is also an ample Appendix (pp. 607-663) in which the author discusses various interesting questions raised in the course of the work such as the Bula de la Santa Cruzáda or Bull of the Crusades (620-623), the Spanish Inquisition (623-629), the wealth of the Missions (629-637). The volume is further enhanced with nearly eighty illustrations made from original drawings or old lithographs and of facsimilies of autographs, seals and documents. Among these latter special attention may be called to the reproduction of some of the annual reports on the spiritual and temporal state of the Missions at different periods (pp. 72-172). A feature of convenience to the reviewer or the reader anxious to gain a rapid acquaintance with the contents of the volume is the comprehensive summary of the different chapters (pp. V-XV).

In the space at our disposal it is impossible to enter into further details respecting the contents of the volume under review. Enough has been said to show the import and value of the book, which incidentally has much to tell us that is of considerable interest even for those who are not especially students of Californian Mission history. More than once in the course of his work Fr. Zephyrin has to criticise the criticisms of writers like Hittell a « violent enemy » of the Missionaries. (See pp. 9, also 553 ff. and passim). Towards the close of the volume not a little light is thrown on the humiliating position occupied by the missionaries after the confiscation of their establishments and of the so-called secularization, (see Section II Chapters XIII and XVI passim) which resulted in the dispersion or annihilation of the Indian converts and which the author does not hesitate (p. 515) to call « the crime of the nineteenth century ».

We have laid down this volume with a growing sense of the importance of Fr. Zephyrin's work and with the hope, that the success it has so deservedly attained, may encourage its indefatigable author to continue his invaluable history of the missions and missionaries of California.

Fr. Paschal Robinson, O. F. M.



BOLLETTINO BIBLIOGRAFICO ITALIANO.

P. Zeffirino Lazzeri, O. F. M. — *L'antico Monastero di Valleglоria vicino a Spello (con Appendice di documenti)* (Estratto dal Periodico *La Verna,* 1911-3, IX 120-33, 243-8, 281-94, 465-78; X 66-77, 129-43, 522-35). Arezzo, Coop Tipografica, 1913. In-8°, pp. 87.

Uno dei primi Monasteri di Clarisse dopo quello di S. Damiano. L'A. ha limitato le sue ricerche e il suo studio al primo secolo soltanto di quel Monastero, cioè alla storia di Valleglоria Vecchio, fuori di Spello (1222?-1320), del quale poche vestigia restano sul luogo (3s.), ma abbastanza numerosi e importanti documenti in Archivio. E tra le conclusioni cui arriva nel suo racconto (3-47) e l'esposizione di questi documenti che elenca in *Appendice* (48-86), il lavoro gli è riuscito esauriente e di notevole pregio per la storia del 2° Ordine Francescano.

Per una lunga contesa che ebbe coi Monaci Camaldolesi di S. Silvestro del Monte Subasio, era invalsa, e ormai pacifica, presso gli storici l'opinione che il monastero di Valleglоria fosse stato di origine camaldolese; ciò che l'A. prova falso e tutto basato su l'equivoco (4-10). Poichè, altrimenti, si accenna alla sua esistenza fin dal 1215 e anche dal 1213, probabilmente intorno a questi anni si raccolsero in quel luogo le devote donne, alle quali poi la B. Balbina o Balvina non prima del 1222 venne da Assisi a dar forma regolare secondo l'istituto di S. Damiano (14-16). Intorno poi alla B. Balvina (l'autore preferisce questa forma, come la più autentica), poichè gli storici ne ammettono due, una nipote e l'altra soltanto discepola di S. Chiara, e questa fondatrice di Valleglоria (sdoppiamento che appare dapprima in Fra Mariano da Firenze), il P. Lazzeri cerca ristabilire che non ne esistette se non una sola, la nipote, morta a Valleglоria circa il 1240. I documenti antichi non fanno alcuno accenno della seconda (11-14).

Nel 1236 (non prima, p. 18) Gregorio IX soppresse il monastero di S. Silvestro, e parte de' suoi beni devolse alle Clarisse di Valleglоria. Di qui una catena interminabile e noiosa di controversie comincia per esse con i Monaci, che rivolevano i loro possessi e tentarono risorgere; la quale si protrasse per tutto quel secolo di vita del vecchio Valleglоria, e ne riempie la storia. Non altro ricordano i documenti, non altro ha potuto dirne l'A. (17-41). Solo, in relazione con l'Ordine di S. Chiara, crede di poter asserire che il Monastero di Valleglоria non accettasse mai nè la Regola di S. Chiara (1253) nè quella di Urbano IV, ma ritenesse quella di S. Benedetto con la *formula* del Card. Ugolino (42-4; cf. AFH V, 193 ss., 413 ss.). Il B. Andrea da Spello sarebbe stato loro confessore (44). Delle Abbadesse che ressero in questo tempo il Monastero, e delle Suore illustri che lo abitarono, pochi e incerti nomi sono a p. 45-7; cf. 80s. Il Monastero, per ragioni di guerre ecc. e per concessione di Giovanni XXII, nel 1320 fu trasferito dentro la città, dove tuttora sussiste (40).

L'*Appendice* offre l'elenco di 83 documenti, in gran parte Bolle pontificie; o in regesto, i già editi, o per intero, gl'inediti; quasi tutti tratti dall'antico Archivio del Monastero. Le Bolle inedite, d'argomento locale, sono 21 (7 di Gregorio IX, 1 di Innocenzo IV, 11 di Alessandro IV, 1 di Clemente IV e 1 di Giovanni XXII); altre già nel nostro *Bullarium,* ma con direzione e data diverse; di altre infine è corretta la data, secondo l'originale (nn. 8, 9, 10, 30).



P. Bonaventura Marinangeli, O. M. Conv. — *Descrizione e memorie della Chiesa e Convento di S. Francesco in Montefalco.* In *Miscellanea Francescana,* XIV, 1913, fasc. V, pp. 129-152.

È una buona raccolta di materiale per un'ampia illustrazione di quell'antico convento e della sua artistica chiesa, o meglio di tutta la storia Francescana in Montefalco, tratto nella maggior parte da un MS. della seconda metà del sec. XVIII, *Monumenti spettanti a Montefalco,* contenente spogli dell'Archivio di S. Francesco e del Monastero di S. Chiara, e che forse si deve al P. M°. Brusoni Min. Conv.; nel resto, da stampe, più che altro dall' *Umbria serafica* di Fr. Agostino da Stroncone, ed. in *Miscellanea Franc.* II ss. (129-31). È divisa in due parti. La prima, *Descrizione della Chiesa di S. Francesco a Montefalco* (131-2), scritta nel sec. XVIII, e che sarà utile per un confronto con ciò che resta oggi; la seconda, *Memorie Francescane* (132-52), ordinate cronologicamente. Allargando un po' di più le ricerche l'elenco si sarebbe potuto facilmente raddoppiare; ma siamo grati di questo già non poco offertoci, e da cui spigoliamo il nuovo più importante.

Nulla si ha del principio del convento fuori il paese, e che fu trasferito dentro le mura nel 1336. La prima memoria risale al 1275, con un'indulgenza concessa da Fr. Tommaso, « O. M., Praepositus [ma Ord. Praedicatorum: Eubel, *Hierarchia,* 254; Episc.] Fanen. » ecc., a quelli che portassero aiuto nell'edificazione del convento di Montefalco (133). Manca il ricordo delle indulgenze concesse alla chiesa da Nicolò IV con bolla del 1291 (5 giugno; Eubel, *Epitome* n. 1928; *Bull. Franc.* IV, 253 n. i. donde è preso il brano dei *Monumenti* riportato sotto l'anno 1215, p. 132). Di Fr. Francesco di Damiano da Montefalco, fratello della B. Chiara, sono due nuove memorie sotto gli anni 1306, 1307 (p. 133); del processo della B. Chiara due estratti, coi nomi dei Frati Minori testimoni, tra i quali, per il lavoro precedente, « Fr. Andreas Tingisoni Cappellanus Dnar. Vallis gloriae » (134). Fra i molti legati alla chiesa e al convento (sec. XIII-XV), uno del 1351 è di « decem libr. denar. corton. » « pro una Imagine fienda Virginis Marie cum Filio in brachio et Sancti Francisci in loco novo »; e un'altra del 1363 per « una pictura Beati Honofrii in qua expenda[n]tur III lib. denar. » (155). Del Vescovo di Nocera Andrea da Montefalco, O. M. (1404), due ricordi sono sotto gli anni 1391 (136) e 1400 (137), e forse anche quello sotto l'anno 1363. Delle pitture e altri lavori nella chiesa il P. M. parla sotto gli anni in cui furono eseguiti: 1430, 1440 1450, 1461, 1485, 1506 ecc. Sotto l'anno 1452 descrive tutti gli affreschi che largamente profuse in quella chiesa Benozzo Gozzoli: Cappella di S. Girolamo; abside, Vita di S. Francesco. ritratti dei più illustri Francescani; la volta (139-41). Nel 1510 Tiberio d'Assisi dipinge nella cappella di S. Andrea (145), e Francesco Melanzio un quadro per la sagrestia, nel 1511 (146). A p. 148, l'elenco dei Superiori del convento di S. Francesco dal 1593 al 1617; a p. 149 quello dei Conventuali di Montefalco viventi nella prima metà del sec. XVII. Nel 1671 (151) è concessa alle Suore di S. Clemente il sito della Rocca, dove stavano anticamente i Frati Minori.

Annibaldi Prof. **Cesare.** — *La Chiesa di S. Marco di Iesi e i suoi affreschi Giotteschi, tra cui uno rappresentante la S. Casa di Loreto.* In *Picenum,* Rivista Marchigiana illustrata, Roma, an. VII. fasc. 7 (luglio 1910), pp. 241-255.

Di questa Chiesa e di questi affreschi si è qui parlato altre volte (AFH V, 791; VI, 194-5). Le notizie che si hanno intorno alla ori-

